7/7/1982

S. 1301A



BRITISH MUSEUM

ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM

NOVA ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
LEOPOLDINO-CAROLINAE
NATVRAE CVRIOSORVM
EXHIBENTIA

EPHEMERIDES
SIVE
OBSERVATIONES HISTORIAS
ET EXPERIMENTA
A
CELEBERRIMIS GERMANIAE
ET EXTERARVM REGIONVM
VIRIS
HABITA ET COMMVNICATA SINGVLARI STVDIO
COLLECTA
TOMVS SEXTVS
ACCEDVNT APPENDIX ET TABB. AEN.
CVM PRIVILEGIO SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS

NORIMBERGAE,
Impensis WOLFGANGI SCHWARZKOPFII.
TYPIS CHRISTIANI THEOPHILI LENZII ANNO MDCCLXXVIII.

NOVA ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
LEOPOLDINO-CAROLINAE
NATURAE CURIOSORUM
EPHEMERIDES
SIVE
OBSERVATIONUM HISTORIAS
ET
VIRIS
TOMUS SEXTUS

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY



SACRATISSIMO POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQVE PRINCIPI
DOMINO DOMINO

IOSEPHO II.

ROMANORVM IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO
GERMANIAE HIEROSOLYMORVMQVE
REGI

CORREGENTI ET HAEREDI
REGNORVM HVNGARIAE ET BOHEMIAE
DALMATIAE CROATIAE SCLAVONIAEQVE
ARCHIDVCI AVSTRIAE
DVCI
BVRGVNDIAE ET LOTHARINGIAE
MAGNO DVCI ETRVRIAE
RELIQVA RELIQVA
DOMINO DOMINO
NOSTRO CLEMENTISSIMO

IMPERATOR CAESAR AVGVSTISSIME.

Devotissima eadem pietate, fide, submissione, qua AVGVSTISSIMOS IMPERATORES, Academiae Imperialis naturae curiosorum *statores* & *conservatores*, *glorioſissimos*, venerari licuit majoribus nostris, eadem, & si qua ulterius eniti datum nobis est, men-

te humillima, ad MAIESTATIS TVAE thronum provolvimur, AVGVSTISSIME IMPERATOR, atque ardentiſſime rogamus, ut liceat nobis, qualiumcunque laborum noſtrorum, per ultimos hos annos, quibus JOSEPHVS SECVNDVS, non Germaniae ſolum ſuae, cui divinitus conceſſus eſt, ſed *generis humani amor & delicium*, & pietate, clementia, virtute, exemplo, *nemini ſecundus*, temperat orbem, exactorum, quasdam reddere rationes, dum iſthoc novum volumen, taleque quarta vice, ex quo imperii gubernacula feliciſſime tenes, ad pedes TVOS deponere conamur, atque ſimul indulgentiſſimam gratiam, & favorem, quo hucusque

que & hanc TVAM academiam dignatus es, porro efflagitamus.

Hac ſolum mente, quae nos decebat, nunc utimur, neque ea repetimus, quae in omnium ore, animoque, ſunt. Quis enim, dignum TANTO IMPERATORE, dicere Panegyricum ſermonem, audebit? qui, excelſae virtutis tot editis documentis, abſolutiſſimus, re magis quam verbis, SIBI IPSI exſiſtit *encomiaſtes, cujus* quoque *vultus, ubi populis affulget, gratior iis it dies, & ſoles melius nitent.*

Quare, dum & artes & ſcientias, & homines, tuearis, ſerves, & reddas feliciores, dulciſſima ſpe & nos ali, be-

nigniſſime concedas, IMPERATOR AVGVSTISSIME, ut, prout idem illud exoptat orbis, incolumitate omnigena diutiſſime gaviſus, & a nobis

Ames dici: Pater, atque Princeps!

SACRAE CAESAREAE

MAIESTATI TVÆ

devotiſſimi
Academiae Naturae Curioſorum
Praeſes, Director, Adjuncti,
& Collegae.

Perſtat itaque, quae eſt ſummi Numinis gratia, Academia noſtra, atque perſtare eam ſalvam, jure noſtro, eo magis laetamur, quo magis nobiscum reputamus, quam fragilis ſaepe rerum ſtatus, & inſtitutorum humanorum ſors, ſit, neque & cunctorum inſtitutorum ſemper eadem ſit duratio, vel aeſtimatio, ut potius ſaepe *aliquid* deſideretur *novi*. Superavit autem *naturae curioſorum* haec noſtra *academia* jamjam *ſeculum*, & quae olim, in Franconia noſtra naſcens, vix unam alteramve viderat ſororem, ea nunc plures videt, & numeroſam quoque prolem, ſi vel ſolam noſtram ſpectemus Germaniam, & exteris quoque relinquamus ſua, quamvis quoque & horum varii nobis ſeſe adſociarint. Tantum autem abeſt, ut, invida, vel ſola antiquitatis gloria ducta, alto ſupercilio, aetate minores ſocietates, deſpiciat, ut potius laeta ſcientiarum incrementa, ſi vera ea ſint, ſpectet, quae quidem ſaepe talia ſunt, ut vix forte magis de promovendis his incrementis, quam de *ſtatuendis* illorum *limitibus*, ſolliciti eſſe debeamus.

Quamvis itaque *genium ſeculi*, & *modernum ſcientiarum cultum*, ſuo modo, lubens aeſtimet academia noſtra, tamen & honori ſibi ducere poteſt, fuiſſe *eam*, quae aliis, & *poſteris, naturae curioſis*, *facem* praetulit. Quaenam enim eſt *ſcientia* quae nunc in primis aeſtimari, tractarique, ſolet, quam *naturalis*, quae tot varias ſub ſe comprehendit ſectiones, praeſertim *hominis cognoſcendi ſtudium*, & excolendi omnes eas partes, quae in *medicina* ſolent appellari *principales*, & *miniſtrae?* Quodnam autem, ſtatim ſub initium academiae noſtrae, aliud fuit objectum, quod reſpexerunt majores noſtri, niſi *univerſum naturae regnum*, & tot ejus regiones, & provinciae, in quibus peragrandis ſuam locarunt induſtriam?

Accidit vero illis quoque, quod circa alia rerum primordia accidere ſolet, ut quodlibet, tentatum, omni numero abſolutum, confeſtim non fuerit. Ibant itaque, quo poterant, & quo non poterant ſtabant. Effectum vero interim eſt, ut, dum tamen aliquid fiebat, & dies diem poſtea docuit, poſteris largior meſſis fuerit relicta, &, jactis amplioris doctrinae fundamentis, *creverit in majus, quod fuit ante parum.*

Vix

Vix autem hactenus ventum esset, nisi *observare* ea, quæ obvenirent, & quærere talia, in quibus observandi quædam dabatur occasio, & rimari, & inter se comparare, ea, quæ observarunt, suum esse duxerint; quæ cuncta vestigia secuti posteri, *observandi*, quem vocant, *spiritum* magis magisque accommodarunt, & ex observationibus, ad essentiarum, sic dictarum, parandi fere modum, varia extrahere conati sunt *resultata*.

Haud vero eo usque deducta plane est cognitio nostra, ut nunc in his, quae acta sunt, acquiescamus, vel his dulce pulvinar nobis substratum esse, putemus, in quo inertes recubemus; sed, dum cognitionum *fragmenta* sæpiuscule ea esse appareat, quæ integra opera antea videbantur, omni ope niti debent *naturae curiosi*, ut *nunquam otiosorum* nomen, agendo, experiundo, judicando, revidendo, porro mereantur.

In quibus itaque, per ultimos hos annos, versatus sit naturæ curiosorum labor, ea novo hoc volumine cum erudito orbe communicamus, haud quidem ignari, non omnes observationes ejusdem esse valoris, atque præstantiæ; verum, cum, in serie cognitionis humanæ, dentur, quoque spatia imo lacunæ, ea quo-

que

que luſtrare oportet, ut ſic *particulae* ſuum quoque adferant, ad conſtituendum *totum*.

Atque cum jam tot, & numeroſa, volumina, quæ edidit Academia noſtra, proſtent, in quibus & *bonus* jacet *condus*, quem pro *bono promo* habuerunt multi, his & hoc volumen addere decrevimus; & ſimul honoratiſſimos noſtros collegas, imo quoscunque probos, quibus naturæ ſtudium arridet, rogatos volumus, velint, pro ea, qua ſunt perſpicacia, ulterius ſuos continuare labores, atque, cum ſucceſſu temporis, plures, qui academiam noſtram ornarunt, atque annotationibus & muneribus ſuis *acta* noſtra, *bibliothecam*, & *muſeum*, ditarunt, quorumque imagines in illuſtri poſitae ſunt, quæ eſt rerum humanarum conditio, & viciſſitudo, morte, nobis ſaepe flebili, noſtri amplius, in vivis, eſſe deſierint, in horum locum ſuccedere, & *ex Veteri noſtro, ſymbolicoque, inſtituto, et ſecundum leges noſtras*, nobiscum, in *Argo* noſtra, vaſtum Naturae Oceanum, per *navigare*, &, recte tamen, phyſiculando, utile dulci miſcere, quo fines noſtros, quos propoſuimus nobis, quantum datum eſt, & quod Deus bene vertat, attingamus feliciter!

I. Con-

I.

Continuatio

CATALOGI

Dnn. Collegarum Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum

ab anno 1773. *usque ad annum* 1778. *in eandem receptorum.*

Ordo receptionis.

780. Dn. BOURDELIN, Doctor Regens Facultatis Medicae Parisiensis, Regiarum Principum Archiater Praecipuus, Professor Chimiae in Horto Regio, Academiae Regiae Scientiarum & Berolinensis Sodalis. *Artephius* II.

781. Dn. *Franciscus Du* JARDAIN, Collegii Chirurgici Parisiensis Magister. *Ammonius.*

782. Dn. *Antonius Nobilis* de STOERCK, Medicinae Doctor, Sacrae Caesareae Majestatis & Regiae Apostolicae Majestatis Archiater & Consiliarius Aulicus. *Mithridates* II.

783. Dn. D. *Sebastianus* PAULI, Physicus Lucensis, Academiae Bononiensis Sodalis. *Hermogenes* II.

784. Dn. *Henricus* LUCCHESINI, Philosophus, Senator Serenissimae Reipublicae Lucensis. *Aristippus.*

785. Dn. D. *Henricus Palmatius* LEVELING, Serenissimi Electoris Bavariae Consiliarius, Anatomiae & Chirurgiae Professor in Universitate Ingolstadiensi, Academiae Electoralis Bavaricae Scientiarum & Societatis Moralis Oeconomicae Sodalis. *Heraclianus.* II.

Ordo receptionis.

786. Dn. *Chriſtianus Erneſtus* HANSELMANN, Sereniſſimorum Principum Hohenloicorum Conſiliarus Aulicus Dominalis & Feudalis, Conſiſtorii Principalis Waldenburgenſis Praeſes, Academiarum Regiarum Anglicae, Boruſſicae, Electoralium Bavaricae & Palatinae, Societatis latinae Ienenſis Sodalis. *Dionyſius Halicarnaſſeus.*

787. Dn. *Paſchalis* ADINOLPHI, Summi Romani Pontificis Clementis XIV. Praelatus Cubicularis & Archiater. *Caeſareus* II.

788. Dn. D. *Ioannes Georgius Haſenoerl* de Laguſi, Celſiſſimi & Sereniſſimi Leopoldi Archiducis Auſtriae, Magni Etruriae Ducis Conſiliarius & Archiater. *Alexander Trallianus.*

789. Dn. D. *Hannibal Mariotti*, in Peruſina Univerſitate Profeſſor Medicinae ac Botanicae. *Crateras* III.

790. Dn. D. *Ioannes Gottlob* LEIDENFROST, in Univerſitate Regia Duisburgenſi Medicinae Profeſſor, Academiae Regiae Scientiarum Berolinenſis Sodalis. *Artemon.*

Anno 1774.

791. Dn. D. *Carolus Gottlieb* WAGLER, Sereniſſimi Ducis Brunsvico Luneburgenſis Conſiliarius Aulicus & Archiater. *Carpitanus.*

792. Dn. D. *Petrus* LUCHTMANNS, Anatomiae & Chirurgiae Profeſſor in Univerſitate Ultrajectina. *Numiſianus.*

793. Dn. D. *Ioannes Agathinus Le* ROY, Regiae Celſitudinis Comitis Provinciae Archiater, Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum utilium, & Principalis Haſſiacae Gieſſenſis Sodalis. *Attalus* II.

794. Dn. D. *Ehrenfried* POHL, in Univerſitate Lipſienſi Botanices Profeſſor extraordinarius. *Philadelphus* III.

Ordo
receptionis.

795. Dn. D. *Ioannes Fridericus* GMELIN, in Universitate Goettingensi Professor Philosophiae Ordinarius & Medicinae Extraordinarius, Societatis Oeconomico-Physicae Tigurinae Sodalis. *Cassius Dionysius.*

796. Dn. *Christophorus Fridericus* SIGEL, Pharmacopoeus in oppido Vaihingen. *Aristophilus.*

797. Dn. D. *Christophorus David* MANN, Liberae S. R. I. Civitatis Biberacensis Physicus ordinarius, Academiae Electoralis Bavaricae Scientiarum Sodalis. *Bion.*

798. Dn. D. *Georgius Christianus* ARNOLD, Medicinae & Artis obstetriciae Practicus Lesnae in Polonia. *Nileus* III.

799. Dn. *Ioannes Leberecht* SCHMUCKER, Potentissimi Borussorum Regis Exercituum Chirurgus Generalis Primarius, & omnium chirurgicorum nosocomiorum castrensium Director. *Heron* II.

800. Dn. *Ignatius* S. R. I. Eques a BORN, Dominus in Altsedlitsch, Inchau, Tissa, S. C. R. Majestati in re metallica & monetaria a Consiliis, Societatis Regiae Holmiensis, Magni Ducatus Sienensis & Georgicae Paduanae Sodalis. *Aristocrates Rheginensis.*

801. Dn. *Georgius Sebastianus* DILLNER, Theologiae Doctor, in Curia Episcopali Ratisbonensi Cancellariae Director, & Collegii ad S. Ioannem Decanus. *Philolaus Crotoniensis* II.

Anno 1775.

802. Dn. D. *Aloysius* BERTINI, Medicus Lucensis, Academiarum Augustae Perusinae ac Physico-Botanicae Florentinae Sodalis. *Epicharmus* III.

803. Dn. *Franciscus Fridericus Sigismundus Augustus* S. R. I. Liber Baro de BOECKLIN a Boecklinsau, Dominus in Rust, Bischeim & Knoblochsburg, Condominus Praefecturae Kehl,

)( )( )(Ba-

Ordo receptionis.

Baronatus Flekenſtein, Allmannsweyler & Obenheim, Sereniſſimi Marchionis Brandenburgici Conſiliarius Intimus, Sereniſſimi Ducis Wirtembergici regnantis Cubicularius, Societatis Electoralis Bavaricae Moralis & Oeconomicae Burghauſenſis Sodalis. *Deophanes.*

804. Dn. *Ioannes Baptiſta Ludovicus de* ROME de LISLE, Academiae Regiae Holmienſis Scientiarum & Electoralis Moguntinae Scientiarum Vtilium Sodalis. *Archelaus* II.

805. Dn. *Balthaſar Georgius* SAGE, Academiae Regiae Pariſienſis, Holmienſis Scientiarum & Electoralis Moguntinae Scientiarum Vtilium Sodalis. *Olympiodorus* III.

806. Dn. D. *Ioannes Baptiſta Michael* SAGAR, Phyſicus Circuli Iglavienſis in Moravia. *Evenor* II.

807. Dn. D. *Ioannes Iacobus* REICHARD, Medicinae Practicus Moeno-Francofurtenſis & Horti Senckenbergiani Praefectus, Societatis Principalis Haſſo-Gieſſenſis Sodalis. *Cajus Valgius.*

808. Dn. D. *Ioſephus Franciſcus* CARRERE, Anatomiae & Chirurgiae Profeſſor in Academia Perpiniana, Academiarum Regiarum Montispeſſulanae & Toloſatinae Scientiarum Sodalis, Cenſor Regius. *Numiſianus* II.

Anno 1776.

809. Dn. *Guilielmus Godofredus* PLOUCQUET, Philoſophiae & Medicinae Doctor Tubingenſis, Societatis Electoralis Bavaricae Oeconomicae Collega Honorarius. *Polemocrates.*

810. Dn. D. *Chriſtianus Godofredus* GRUNER, Sereniſſimi Ducis Saxo-Vinarienſis Conſiliarius Aulicus, Botanices & Theoriae medicae in Univerſitate Ienenſi Profeſſor, Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum Utilium Aſſeſſor, Societatis Ienenſis latinae Sodalis Honorarius. *Dioſcorides* VI.

811.

Ordo
receptionis

811. Dn *Ioannes Samuel* SCHROETER in aede primaria S. S. Petri & Pauli Archidiaconus apud Vinarienſes, variarum Academiarum & Societatum Collega. *Olympiodorus* IV.

812. Dn. D. *Ioannes Philippus* du Roi, Medicinae Practicus, Praeſidii militaris Sereniſſimi Ducis Brunsvicenſis Medicus ordinarius. *Caſſius Dionyſius* II.

813. Dn. D. *Carolus Godofredus* HAGEN, Pharmacopoeus Regius Aulicus, Chimiae Profeſſor deſignatus in Univerſitate Regiomontana. *Syneſius* II.

814. Dn. D. *Eberhard* GMELIN, Praefecturae Wirtembergicae Freudenſtadienſis Medicus ordinarius, Inſtituti moralis & litterarii, quod Erlangae floret, Socius Honorarius. *Marcion Smirnaeus.*

815. Dn. *Ioannes Chriſtianus* WIEGLEB, Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum Utilium Sodalis, Pharmacopoeus Longoſaliſſenſis. *Morienus.*

Anno 1777.

816. Dn. *Chriſtophorus Albertus* EICHELBERG, A. L. M. Philoſophiae Doctor, Gymnaſii Veſalienſis Rector. *Thucydides.*

817. Dn. D. *Balthaſar* HACQUET, in Univerſitate Labacenſi Anatomiae, Chirurgiae atque Artis obſtetriciae Profeſſor Caeſareo-Regius Publicus Ordinarius, Societatis Caeſareo-Regiae agrariae & bonarum artium in Ducatu Carniolae Secretarius perpetuus, & Berolinenſis Amicorum naturam indagantium Sodalis. *Pelops* II.

818. Dn. *Henricus* NUDOV Philoſophiae & Medicinae Doctor, Practicus Gedanenſis & in Gymnaſio Profeſſor Anatomiae, Societatis, quae Gedani floret, naturam indagantis Collega & Secretarius. *Numiſianus* III.

Ordo receptionis.

Anno 1778.

819. Dn. D. *Friedericus Wilhelmus* CAPPEL, in Universitate Iulia Carolina Helmstadiensi Medicinae atque Anatomiae Professor Publicus Ordinarius. *Marinus* II.

820. Dn. *Amadeus Emanuel* de HALLER, Inclutae Reipublicae Bernensis Ducentumvir, Rerum civilium & criminalium Iudex. *Titinius Capito.*

821. Dn. *Franciscus Carolus* ACHARD, Academiae Regiae Borussicae Scientiarum & Societatis Berolinensis Amicorum naturam indagantium Sodalis. *Hierotheus* II.

822. Dn. D. *Christianus Friedericus* REUSS, in Universitate Tubingensi Medicinae Professor Publicus, Societatis Berolinensis Amicorum naturam indagantium Sodalis. *Nonus* II.

823. Dn. *Christophorus Traugott* DELIUS Sacrae Caesareae & Regiae Apostolicae Majestatis Consiliarius Aulicus Actualis. *Appollodorus* III.

824. Dn. D. *Laurentius* MONTIN, Medicus Provincialis Hallandiae in Suecia, Regiae Academiae Scientiarum Holmiensis, Societatum Scientiarum Nidrosiensis, Lundensis atque Gothoburgensis Sodalis. *Phanias Eresius.*

825. Dn. D. *Carolus Petrus* THUNBERG, Medicus Societatis Belgicae in Indiam orientalem commercia agentis, Demonstrator in Horto botanico Upsaliensi. *Oribasius* III.

II.

CATALOGVS

Dominorum Collegarum hujus Academiae hactenus, quoad quidem nobis constat, demortuorum.

Ordo receptionis.

418. Dn. D. *Ioannes Sebastianus* ALBRECHT, in Illustri Gymnasio Academico Coburgensi Casimiriano Philosophiae naturalis Professor Publicus Ordinarius, Physicus Ducalis Provincialis, Academiae Imperialis Naturae Curiosorum Adjunctus † d. 8. Octobris 1774. anno aetatis 80.

464. Dn. D. *Carolus* LINNAEUS, Potentissimi Regis Sueciae Archiater, Eques auratus Stellae Polaris, Medicinae & Botanices in Universitate Upsaliensi Professor Publicus Ordinarius, Academiar. Regiar. Scientiar. Monspeliens. Holmiens. & Upsaliens. Sodalis, & Parisiens. Correspondens. † d. 10. Ianuarii 1778. anno aetatis 71.

512. Dn. D. *Ioannes Philippus* BURGGRAV, Eminentissimi Celsissimi Principis Electoris Moguntini Consiliarius & Archiater, Physicus Francofurtensis ad Moenum. † d. 5. Iunii 1775.

540. Dn. D. *Christianus* MATERNUS *de* CILANO, primo Philosoph. natural. & Medicin. Prof. publ. in Gymnasio academico Altonensi, Comitat. Pinnebergens. & Ranzovien. Medicus provincial. Altonensium Poliater & Collegii anatom. Director, postea Antiquitat. Graecar. & Romanar. Professor, praedicti Gymnasii Director, & Reg. Hafnien. Societat. Scientiarum Sodalis. † d. 9 Iulii. 1773.

560. Dn. D. *Albertus* de HALLER, Eques auratus Ordinis Regii Suecici Stellae Polaris, Potentissimi Regis Magnae Britan-

tanniae Conſiliarius Aulicus & Archiater, Botan. Anatom. & Chirurg. in Regia Goettingenſi Univerſitate olim Prof. Pub. Ordin. Societat. ibidem & Oeconomicae Bernenſis Praeſes, Supremi Senatus Reip. Bernenſ. Viris Primariis adſcriptus, Academiar. Imperial. Petropolit. Scientiar. Regiar. Pariſ. Londin. Holmienſ. Hafnienſ. Boruſſ. Electoral. Bavar. Brunovic. Luneburg. Cellenſ. Principal. Haſſ. Homburg. Patriot. Bononienſ. Arcadior. Florent. Botan. Edinburg. Medic. Helvet. Med. Phyſ. Oeconom. Phyſ. Tigur. Batav. Harlemenſ. Paduanae ad incrementum Agriculturae Sodalis. † d. 12. Decembris 1777. anno aetatis 70.

568. Dn. D. *Philippus Conradus* FABRICIUS, Sereniſſimi Ducis Brunsvicenſis Conſiliarius Aulicus, in Academia Helmſtadienſi Medicinae Profeſſor Primarius. † d. 9. Iulii 1774. anno aetatis 60.

591. Dn. D. *Rudolphus Auguſtinus* VOGEL, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Magnae Britanniae Regis & Electoris Brunsvico-Luneburgenſis Conſiliarius Aulicus, in Academia Goettingenſi Medicinae Profeſſor Primarius, Societatis Regiae Scientiarum Goettingenſis, & Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum Utilium Sodalis. † d. 5. Aprilis 1774. annoaetatis 50.

622. Dn. *Ioannes Sigismundus Valentinus* POPOWITSCH, in Univerſitate Vindobonenſi Eloquentiae germanicae Profeſſor, Academiae Caeſareo-Regiae Roboretanae degli Agiati, itemque Ducalis Societatis teutonicae Helmſtadienſis Sodalis. † d. 21. Novembris 1774. anno aetatis 69.

648. Dn. D. *Erneſtus Ieremias* NEIFELD, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Poloniae & Electoris Saxoniae Conſiliarius Aulicus, Practicus Liſſiae in Polonia maiore. † d. 26 Aprilis 1773. anno aetatis. 53.

Ordo
receptionis.

687. Dn. *Philippus Statius* MULLER, Philoſophiae & Hiſtoriae naturalis Profeſſor Publicus Ordinarius in Univerſitate Friderico-Alexandrina Erlangenſi, Eccleſiae Evangelico-Lutheranae Diaconus. † d. 5. Ianuarii 1776. anno aetatis 51.

706. Dn. D. *Chriſtianus Ludovicus* STIGELIZ, Capituli Wurzenſis Canonicus, Supremi Saxonici Iudicii Aulici, Ordinisque Ictorum Lipſienſium Aſſeſſor, & Incluti Senatus ibidem Aedilis. † d. 4. Maii 1772. anno aetatis 48.

710. Dn. D. *Chriſtianus Ludovicus* WILLICH, metallariorum Clausthalenſium Medicus Ordinarius. † d. 20. Decembris 1776.

735. Dn. D. *Chriſtophorus Theophilus* BÜTTNER, in Univerſitate Regiomontana Medicinae Profeſſor Ordinarius, Phyſicus Samlandinenſis, & Collegii Sanitatis Regiomontani Sodalis. † d. 10. Aprilis 1776 anno aetatis 68.

740. Dn. D. *Ioannes Erneſtus* NEUBAUER, Sereniſſimi Ducis Saxo-Vinarienſis Conſiliarius Aulicus, in Univerſitate Ienenſi Anatomiae & Chirurgiae Profeſſor Publicus Ordinarius. † d. 30. Ianuarii 1777. anno aetatis 35.

770. Dn. *Nicolaus* SCHWEBEL, Philoſophiae Doctor, Illuſtris Gymnaſii Carolino-Alexandrini Onoldini Rector & Profeſſor, Academiarum Imperialis Thereſianae Roboretanae, Regiae Goettingenſis, Electoralis Bavaricae, & Societatis latinae Ienenſis Collega. † d. 7. Decembris 1773. anno aetatis 60.

785. Dn. *Chriſtianus Erneſtus* HANSELMANN, Sereniſſimorum Principum Hohenloicorum Conſiliarius Aulicus Dominalis & Feudalis, Conſiſtorii Principalis Waldenburgenſis Praeſes, Academiarum Regiarum Anglicae, Boruſſicae, Electoralium Bavaricae & Palatinae, & Societatis latinae Ienenſis Sodalis. † d. 22. Auguſti 1775. anno aetatis 76.

III.

CATALOGVS

ALPHABETICUS

Excellentiſſimorum Virorum, qui pro ſexto hoc Tomo Obſervationes phyſico-medicas communicarunt.

Ordo receptionis.

Dn. *Paſchalis* ADINOLPHI, Summi Romani Pontificis Clementis XIV. Praelatus Cubicularis & Archiater. Academ. N. C. *Caeſarius* II. pag. 72.

Dn. D. *Georgius Chriſtianus* ARNOLD, Medicinae & artis obſtetriciae Practicus Lesnae in Polonia. Academ. N. C. *Nileus* III. Append. pag. 160.

Dn. D. *Ferdinandus Iacobus* BAIERUS, S. R. I. Nobilis, Sacrae Caeſareae Majeſtatis Conſiliarius & Archiater, Sereniſſimo Marchioni Brandenburgico Onoldino & Culmbacenſi a conſiliis aulicis, Comes Palatinus Caeſareus, Academiae Imperialis N. C. Praeſes. *Eugenianus* II. pag. 235. 258.

Dn. D. *Ioſephus* BENVENUTI, Summi Romani Pontificis Eques, Medicinae Practicus in Sereniſſima Republica Lucenſi, Thermarumque Lucenſium Medicus ex Reipublicae auctoritate praefectus, Societatum Regiae Goettingenſis, Bononienſis & phyſico-botanicae Florentinae Sodalis. Academ. N. C. Adjunctus, *Epicharmus* II. pag. 1.

Dn. D. *Aloyſius* BERTINI, Medicus Lucenſis, Academiarum Auguſtae Peruſinae ac phyſico-botanicae Florentinae Sodalis. Academ. N. C. *Epicharmus* III. pag. 83.

Dn.

Dn. D. *Chriſtophorus Gottlieb* Bonz, Liberae S. R. I. Civitatis Eslingenſis Phyſicus ordinarius. Academ. N. C. *Diophantus* IV. pag. 205. 329.

Dn. *Georgius Florentinus Henricus* Brüning, Philoſophiae & Medicinae Doctor, Comes Palatinus Caeſareus, Sereniſſimi Principis Hohenloico Waldenburgenſis Conſiliarius & Archiater, Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Capituli Eſſendienſis, ejusdemque Urbis Imperialis Phyſicus & Senator, Regiminis Politici Praeſes, Academiae Electoralis Moguntinae Utilium, & Societatis Principalis Haſſiacae Gieſſenſis Scientiarum Sodalis. Academ. N. C. *Chienus*. pag. 342.

Dn. D. *Guilielmus Henricus Sebaſtianus* Bucholz, Poliater Vinarienſis, Phyſicus Berkavienſis, Academiarum Regiae Francofurtenſis ad Viadrum, Electoralis Moguntinae, Bavaricae & Principalis Haſſo-Gieſſenſis Scientiarum Sodalis, Academ. N. C. Adjunctus, Solinus III. pag. 238.

Dn. D. *Chriſtophorus Theophilus* Büttner, in Univerſitate Regiomontana Medicinae Profeſſor publicus ordinarius, Phyſicus Samlandenſis, Collegii Sanitatis Regii Membrum. Academ. N. C. *Euphranor*. pag. 27.

Dn. Lic. *Ioannes Friedericus* Consbruch, in Ducali Stuttgardienſi Academia militari Profeſſor Medicinae ordinarius, Academ. N. C. *Olympius Mileſius*. pag. 9. 55. 155. 165.

Dn.

Dn. D. *Henricus Friedericus* DELIUS, Sereniſſimi Marchionis Brandenburgici Onoldini & Culmbacenſis Conſiliarius Intimus Aulicus, in Univerſitate Friderico-Alexandrina Erlangenſi Medicinae Profeſſor Primarius, Regiae Societatis Monspelienſis & Academiae Scientiarum & Artium Rhotomagenſis Sodalis. Academ. N. C. Adjunctus. *Democedes* II. pag. 10. 214.

Dn. FUCHSIUS, Legionum Regiarum in Potsdamo Chirurgus primarius. pag. 244. 264.

Dn. D. *David Henricus* GALLANDAT, in Urbe Fleſſinga Anatomiae, Chirurgiae & artis obſtetriciae Profeſſor & Operator publicus, Societatis Zeelandicae Fleſſingenſis Scientiarum Sodalis & Theſaurarius. Academ. N. C. *Medeus.* pag. 273.

Dn. D. *Ioannes Gottlieb* GLEDITSCH, Potentiſſimi Regis Boruſſiae Conſiliarius Aulicus, Academiae Regiae Berolinenſis Scientiarum Sodalis, Botanicae Profeſſor publicus, Collegii medico-chirurgici Aſſeſſor ac Lebuſienſis Circuli Phyſicus. Academ. N. C. *Theophraſtus Ereſius* II. pag. 90.

Dn. D. *Ioannes Fridericus* GMELIN, Profeſſor Philoſophiae ordinarius & Medicinae extraordinarius in Univerſitate Goettingenſi, Societatis phyſico-oeconomicae Tigurinae Soda-

Sodalis. Academ. N. C. *Caſſius Dionyſius.* Append. pag. 202.

Dn. D. *Eberhardus* GMELIN, Praefecturae Wirtembergicae Freudenſtadianae Medicus ordinarius, Inſtituti Moralis & Literarum elegantiorum, quod Erlangae floret, Sodalis Honorarius. Academ. N. C. *Marcion Smyrnaeus.* pag. 277. & Append. pag. 354.

Dn. D. *Balthaſar* HACQUET, Anatomiae, Chirurgiae & Artis obſtetriciae Profeſſor Caeſareo-Regius publicus ordinarius in Academia Labacenſi, Societatis Caeſareo-Regiae agrariae & bonarum artium in Ducatu Carniolae Secretarius perpetuus, Societatis Berolinenſis Amicorum naturam indagantium Sodalis. Academ. N. C. *Pelops* II pag. 294.

Dn. D. *Carolus Godofredus* HAGEN, Pharmacopoeus Regius aulicus, in Univerſitate Regiomontana Profeſſor Chimiae deſignatus. Academ. N. C. *Syneſius* II. Append. pag. 330.

Dn. D. *Chriſtianus Rudolphus* HANNES, Phyſicus Veſalienſis & Ducatus Cliviae Provincialis, Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum Vtilium, Societatis Principalis Haſſiacae Gieſſenſis & Fliſſingenſis Sodalis. Academ. N. C. *Antiſtius.* pag. 125. 261. 364.

Dn. D. *Paulus Ioannes Fridericus* HELMERSHAUSEN, Sereniſſimi Ducis Vinarienſis Conſiliarius, ejusdemque Praeſidii militaris Medicus ordinarius, & Praefecturae Mega-Rudeſtadienſis Phyſicus. Academ. N. C. *Hygienus* IV. pag. 151.

Dn. D. *Hannibal* MARIOTTI, in Peruſina Univerſitate Medicinae ac Botanicae Profeſſor publicus ordinarius. Academ. N. C. *Crateras* III. pag. 36.

Dn. D. *Antonius* MATANI, in Piſana Univerſitate Medicinae Profeſſor publicus ordinarius. Academ. N. C. *Athenaeus* II. pag. 85.

Dn. D. *Chriſtophorus Andreas de* MELLE, noſocomii pedeſtris Petropolitani Medicus, Anatomiae & Chirurgiae noſocomii tam pedeſtris quam maritimi Demonſtrator, Regiae Suecicae Holmienſis Academiae Scientiarum Sodalis. Academ. N. C. *Diocles Cariſtius*. Append. pag. 370.

Dn. D. *Laurentius* MONTIN, Medicus provincialis Hallandiae in Suecia, Regiae Academiae Scientiarum Holmienſis, Societatum Scientiarum Nidroſienſis, Lundenſis atque Gothoburgenſis Sodalis. Academ. N. C. *Phanias Ereſius*. pag. 324.

Dn.

Dn. *Otto Fridericus* Müller, Potentissimi Regis Daniae Consiliarius Status, Academiarum Regiae Suecicae Holmiensis, Electoralis Bavaricae, & Societatis Helveticae Scientiarum Sodalis. Academ. N. C. *Chaereas* pag. 48.

Dn. D. *Ioannes Ernestus* Neubauer, in Universitate Ienensi Anatomiae & Chirurgiae Professor publicus ordinarius. Academ. N. C. *Empedocles* II. pag. 290.

Dn. *Petrus* Osbeck, Potentissimo Suecorum Regi a concionibus aulicis, Paroeciarum Hasloeficae & Woxtorpicae in Hallandia Praepositus, Academiae Regiae Holmiensis & Upsaliensis Sodalis. Academ. N. C. *Philolaus Crotonienſis.* pag. 327.

Dn. *Guilielmus Godofredus* Plouquet, Philosophiae & Medicinae Doctor Tubingensis, Societatis Electoralis Bavaricæ Oeconomicae Membrum honorarium. Academ. N. C. *Polemocrates.* pag. 207.

Dn. D. *Ioannes Iacobus* Reichard, Francofurti ad Moenum Medicinae Practicus ordinarius, Horti botanici Senckenbergiani Praefectus, Societatis Principalis Hassiacae & Berolinensis Amicorum naturam indagantium Sodalis. Academ. N. C. *Cajus Valgius.* pag. 170.

Dn. D. *Ioannes Iacobus* RITTER, Medicus Practicus Peylaviae in Silesia. Academ. N. C. *Mundinus* II. Append. pag. 1.

Dn. *Ioannes Baptista Ludovicus* DE ROME DE LISLE, Regiae Holmiensis & Electoralis Moguntinae Scientiarum utilium Sodalis. Academ. N. C. *Archelaus* II. pag. 186.

Dn. D. *Ioannes Casparus de* RUEFF, Serenissimi Electoris Bavariae Consiliarius aulicus & Archiater. Academ. N. C. *Theombrotus.* pag. 20. 249.

Dn. *Balthasar Georgius* SAGE, Academiarum Regiae Parisiensis, Holmiensis & Electoralis Moguntinae Scientiarum utilium Sodalis. Academ. N. C. *Olympiodorus* III. pag. 199.

Dn. *Ioannes Leberecht* SCHMUCKER, Potentissimi Borussorum Regis exercituum Chirurgus generalis primarius & omnium chirurgicorum nosocomiorum castrensium Director. Academ. N. C. *Heron.* II. pag. 74.

Dn. SELLIEN, supremus Chirurgus castrensis Legionis Regio-Borussicae militum cataphractorum sub Praefectura Pannevizii. pag. 113.

Dn. D. *Carolus Casparus* SIEBOLD, in Universitate Wirceburgensi Anatomiae, Chirurgiae & Artis obstetriciae Professor publicus ordinarius, nosocomii principalis Iuliani Chirurgus primarius. Academ. N. C. *Philotimus* III. pag. 223.

Dn.

Dn. *Chriſtophorus Fridericus* SIGEL, Pharmacopoeus in oppido Vaihingen Ducatus Wirtembergici. Academ. N. C. *Ariſtophilus*. pag. 62. 66. 129.

Dn. *Carolus Gottlob* STEDING, Pharmacopoeus Norimbergenſis. Acad. N. C. *Claudius Rocardus*. pag. 367.

Dn. *Ioannes Chriſtianus Antonius* THEDEN, Potentiſſimi Borufforum Regis Chirurgus generalis tertius & Legionum rem tormentariam exercentium Chirurgorum Praefectus. Academ. N. C. *Meges*. pag. 105.

Dn. D. *Carolus Petrus* THUNBERG, Medicus Societatis Belgicae in Indiam orientalem commercia agentis, Demonſtrator in horto botanico Upſalienſi. Academ. N. C. *Oribaſius* III. pag. 328.

Dn. D. *Guilielmus Bernhardus* TROMMSDORFF, Facultatis medicae Erfurtenſis Aſſeſſor ordinarius, Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum utilium Sodalis. Academ. N. C. *Ariſtander*. II. pag. 184.

Dn. D. *Melchior Adam* WEIKARD, Reverendiſſimi & Celſiſſimi Epiſcopi & Abbatis Fuldenſis Conſiliarius & Archiater, Profeſſor Medicinae, Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum utilium atque Electoralis Palatinae phyſico-oeconomicae Sodalis. Academ. N. C. *Amphilochus* pag. 12. 175.

Dn.

Dn. *Ioannes Christianus* WIEGLEB, Pharmacopoeus Longosaliſſenſis, Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum utilium Sodalis. Academ. N. C. *Morienus.* Append. pag. 398.

Dn. D. *Christianus Ludovicus* WILLICH, Metallariorum Clausthalienſium Medicus ordinarius. Academ. N. C. *Rufus* IV. pag. 251.

Dn. *Franciſcus* ZANETTI, Philoſophiae & Medicinae Doctor, in alto Novarienſi Comitatu Cannobienſium Poliater. Academ. N. C. *Glicon.* pag. 33. 118. 263.

NOVA

NOVORVM ACTORVM PHYSICO-MEDICORVM ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM TOMVS SEXTVS.

OBSERVATIO I.

Dn. D. IOSEPHI BENVENVTI

De

Lucenſium Thermarum atmosphaera.

Perſpectum ſatis eſt hominum temperiem pro cæli varietate variam eſſe; variam ſanitatem, ac vitam, mores etiam & morbos pro regionum varietate differre; Medicum idcirco maxime decere, loci, quem inhabitat, naturam, atmosphæ-

ræ qualitates & alterationes, soli & aquarum indolem exquisite scrutari, ut in morborum curatione methodum climati respondentem inveniat, ægrisque mortalibus opituletur. Id ipsum veteres agnovere Hippocratem sequuti, qui aeris constitutiones ac medicaminum vires, multis in regionibus exploravit, variaque itinera discendi causa suscepit. Talibus ego exemplis excitatus, e re futurum existimavi, de Lucensium thermarum atmosphæra aliqua scribere, tractanda susceperus, quae nemo antea pertractavit.

Corsenæ pagus, qui Lucensium thermarum nomine venit, quindecim milliarium intervallo septentrionem versus ab urbe Luca disjunctus, sub longitudine graduum viginti octo, ac minutorum quinquaginta, latitudine vero graduum quadraginta quatuor, in colle situs est. Tribus ex partibus a montibus quibus circumcingitur satis distans, septentrionem versus cum illo conjungitur, qui *Controni* nuncupatur. Vallis & planities hac eadem ex parte jugo subest, nobilibus ædibus ornata, prope quam *Limae* flumen rapido motu excurrit, quod cum torrente altero, *Camalionis* vocato, clivi radices ab occasu alluente, binorum ad milliarium distantiam in *Auserim* illabitur.

Corsenæ collis altitudinem metiri exoptans, Scheuchzeri methodo usus sum in Anglicanis transactionibus descripta, utpote quæ a celebri auctore trigonometrica præstantior declaretur. Bina igitur, cum ampla tubi cavitate, tum hydrargyri altitudine perfecte convenientia barometra, unum in collis cacumine, alterum in imo locavi, hac adhibita cautione, ut eodem ad amussim tempore, dum ego unum inspicerem, alterum amicus observaret. Compertum inde habuimus, hydrargyrum in barometro, quod in monticuli apice positum erat, ad parisinos pollices viginti septem, lineasque undecim ascendisse; ad clivi radicem, pollices viginti octo, lineas duas, cum quarta parte decimali, indicasse. Trium igitur linearum, cum quarta decimali disparitas fuit: singula autem linea cum ex

lau-

laudato Scheuchzero unum & ſeptuaginta pariſinos pedes indicet, patet hinc altitudinem Corſeni collis bis centum triginta ſex circiter pedibus æqualem eſſe. Ut vero ejusdem celſitatem ſupra mare (quod recta, duodecimo circiter lapide a Lucenſibus thermis diſtat) exploratam haberem; iisdem inſtrumentis, iisdemque cautionibus, tam in pago noſtro, quam prope maritimum Viaregii littus, ſereno utrobique cælo, eodemque ſpirante vento, tentamen iteratum eſt, ex quo facile cognovi, Corſenae vallem quingentis quadraginta circiter pedibus ſupra Viaregii oras extolli.

Satis ex his patet, Lucenſium thermarum aerem tenuem, levem, nitidum ac purum eſſe, nimia tamen ſubtilitate haud ita præditum, ut cum eo, quem in alpibus inſpiramus, æquiparari queat. Ejus tenuitas demonſtratione non indiget, quo enim magis atmosphaerae altitudo creſcit, eo levior ac tenuior evadit, ſin vero decreſcat, ponderoſior & craſſior fit. Corſenae autem in pago, haud mediocrem atmosphæræ altitudinem barometrum oſtendiſſe, animadvertimus. Prout autem aer magis vel minus ponderat, corpora inde diverſimode afficiuntur; compertum enim eſt humani corporis partem quadrato pariſino pedi aequalem, ita ab atmosphæra comprimi, veluti ſi a triginta duorum circiter pedum cubicorum aquae pondere premeretur: cubicum autem aquae pedem, ſeptuaginta tres fere gallicas libras pondo æquare. Spatium hinc quadrati pedis in humani corporis ſuperficie tercentum triginta ſex ſupra bis mille libras ſuſtinere. Etenim $73 \times 32 = 2336$. Quot ergo quadratis pedibus humanum corpus conſtabit, toties deſcriptum pondus ſuſtinebit. Mediocris viri ſtatura, quindecim pedum ſtatuitur: in hoc igitur aeris preſſio triginta quinque millibus & quadraginta libris æqualis erit, cum $2336 \times 15 = 35040$. Quamquam humanum corpus, ut ſatis conſtat, diverſimode premitur juxta varias mercurii altitudines in barometro, unde nil mirum, ſi atmosphæræ variationibus tam notabiles, in hypochondriacis

præcipue, commotiones excitentur. At de atmosphærae gravitate satis. Ceteras qualitates examinabo.

Purum tunc dicimus aerem, cum adventitiis insalubribus corpusculis, animata ea sint, vel inanimata, scatere haud deprehendimus. Noster profecto nullimodo infici potest, cum a solo & aquis nullum infectum halitum promanare timendum sit. Nulla hic stagnantium aquarum foeditas, nulla hic specus, nullae cavernae; nulla ex vegetabilibus, animantibus, aut mineralibus prava miasmata; nullæ ex foetentibus artibus exhalationes promanant; quin potius incolæ, atmosphæram flagrantium florum, & salubrium herbarum effluviis odoratam hauriunt, quae spiritus recreat, blandam sanguini temperiem conciliat, hilaris mentis, vegetique corporis procreatrix. Solum ipsum non pingue, sed sabulosum, minus agricolarum votis respondens, crassis, oleosisque halitibus neutiquam nocet. Accedunt & saluberrimi thermalium aquarum vapores, haud sulphurei, vel bituminosi, sed neutro sale, martiali itidem ochra scatentes, humano corpori amicissimi, ut edito haud ita pridem scripto demonstravi.

Roris etiam analysis de saluberrima soli nostri natura certiorem me fecit. Ex Boerhaavio etenim, & Arbuthnotio didiceram, substantiis illis rorem imbui, quibus humus, unde oritur, abundat; ejus propterea analysin pro potiori methodo habendam fore, qua soli quovis in loco indoles referetur. Ne tædeat rogo, si, quae hac de re tentamina institui, sideliter enarrem.

Super pratum Villensibus thermis proximum, nocturno, æstivoque tempore, alba strophiola subtilissimae texturæ expansa reliqui, suspensa tamen, ac siccis baculis filo alligata, ut satis ab illis, ac subjectis herbis distarent, ne forsan ab earum contactu, diversam ros indueret naturam; antequam vero sol surgeret, rorem expressi, sal ab evaporatione relinquentem, illi non absimile, quod a thermalibus aquis extrahitur, ex tenuibus scilicet, albidisque crystallis, ad prismaticam figuram pro-

proxime accedentibus conflatum. Magna vero me tenuit admiratio, cum ad tercentum circiter paſſuum ab ipſis thermis diſtantiam, in Corſenæ planitie, periculum ea plane methodo iteraſſem; rorem enim obtinui inodorum, inſipidum, fluidiſſimum, nec ſalis miculam ab evaporatione relinquentem. Curioſitate motus, pluries experimentum repetebam, chimicis periculis quamplurimis in uſum vocatis; compertum tandem habui, rorem prope thermas, ejusdem ſemper naturae decidere, quod ab aquarum vaporibus fieri exiſtimabam; alibi non ita: quem enim in planitie collegi, alias inſipidum, interdum ſalino ſapore præditum, neutro ſale plus minus ſaturatum deprehendi. Cujus rei cauſſa ab effluviorum mutabili natura fortaſſe pendebat, quae continuo in atmosphæram evecta, ſali acido primigenio uniuntur; magis vero alcalica ſalia ſublevantur, cum ab aeſtivo ſole arefacta tellus vapores emittit, eis propemodum ſimiles, qui ex calcinatis lapidibus, vel coctis lateribus promanant. Ruſticos tunc, delicatulas præſertim foemellas, interdum vidi pedum rubore ac pruritu vexatas, poſtquam ſuper ſolum rore madidum diſcalceatae ambulaſſent.

Vitrea ſeptem vaſcula, quæ æqualem roris doſin, ſub diverſo cælo collectam, reciepiebant, bene clauſa, ſolaribus valde fervidis radiis expoſui, quemque paludoſis ex locis collegeram, ſeptima die corruptum, ac vermibus inquinatum vidi. In duobus inſuper vaſculis, quae rorem ſaluberrimis in regionibus delapſum continebant, vermiculos duodecima die nudis oculis conſpexi. Quem autem cætera vaſcula excipiebant, ros tardius putrefactus eſt, neque inſecta exhibuit, utut in ſuperficie virideſcens materies, muſco perquam ſimilis adparuiſſet. Foetidus erat ros in ſingulis vaſculis, ille vero magis, in quo vermes oborti ſunt.

Ad aeris itidem puritatem libera ventorum perflatio conducit; de his propterea, cardinalibus nempe, obiter verba faciam. Ventum ab oriente ſpirantem, vernali & æſtiva tempeſtate, ſiccum apud nos, & ſerenum cælum ut plurimum ſequi-

tur: hiemali vero tempore frigus, nivesque producit. Auster seu meridionalis, calidus, & humidus, facile pluvias infert; si vero non inferat, sensibilem secum humiditatem vehit, humano corpori noxiam. Raro Corsenae cælum australibus hisce ventis perflatur. Occidentalis, seu zephyrus, plerumque quidem siccus, sæpius in pago nostro æstivo tempore spirare solet. Aquilonaris siccus & frigidus, hiemali tempestate facile vehementerque perflando, ingentem in atmosphæra commotionem excitat.

Aer igitur noster ventorum impulsu agitatus infici nequit, ut stagnanti contingeret; nec aliunde a ventis, malis halitibus onustis inquinabitur, quod nulla extent suspecta loca, quae duodecim fere milliarium intervallo a Lucensibus thermis non absint: tametsi vero cominus existerent, interjectis præcipue montibus, minime nocitura forent, ut rationibus & exemplo demonstrarunt Varenius *a*) & Lancisius *b*). Rapidus insuper binorum fluminum motus, quæ ad collis ima excurrere diximus, atmosphæræ agitationi plurimum conducit.

Insalubris quoque fit aer, nisi a solaribus radiis satis calefiat, aeque vero si nimio æstu incalescat. Clariss. Halleyus caloris a sole provenientis quantitatem in Anglicanis transactionibus *c*) determinavit; neque tamen ego celebris viri methodum imitatus fui, ut Corsenae caeli calorem deprehenderem; thermometro potius tentamina instituì, quibus compertum habui, Lucensium thermarum incolas, æstivo temperato calore frui, neque aspero nimis frigore hieme vexari.

Sunt, qui humiditate nimia Corsenæ cælum scatere crediderint, quod ibi aliquando aura serotina decidat. An vero ex ejus defluxu benigna aeris temperies labefactari queat, accuratioribus judicandum relinquam, qui optime intelligunt, a relabentibus istis vaporibus, neque saluberrima loca immunia esse

a) Geograph. gen. pag. m. 49.
b) De Silv. Cister. Consil. num. 5.
c) Ann. 1693.

eſſe : docuit enim Boerhaavius tellurem a ſolaribus radiis calefactam, millies diutius quam aerem calorem retinere ; ex ejusdem hinc ſuperficie vapores exhalare pergent a ſolis æſtu commoti, etiam aere frigeſcente ab ejus occaſu ; non igitur atmoſphæræ culpa, ſed a ſole potius, magis minusve terram irradiante, major, vel minor auræ ſerotinæ copia repetenda eſt. In regionibus porro ſaluberrimo aere ditatis, uberior contingit vaporum defluxus, eo præſertim tempore, quo ſolis radii, magis ad perpendicularem lineam accedentes, diutine terram percutiunt. Soli & atmosphærae qualitates aura ſerotina ſequitur, ibique hanc noxiam experimur, ubi illæ ſunt infeſtae.

Aquoſis effluviis Corſenae caelum minime abundare, praeter hygrometrum, vulgares experientiae confirmant. Alkalica fixa ſalia parum aeri expoſita madeſcunt ; veſtes in ſcriniis diutius clauſis repoſitae mucoſae non fiunt, nec lintea humida; ligna albicanti mucore haud obducuntur ; charta etiam & libri omnino ſicci ſervantur ; neque vaſa ſtannea maculis quibusdam vix delendis inquinantur ; ſicuti udis in locis contingere animadvertimus. Vapores inſuper in montium noſtrorum cacumine minime condenſantur, ut in alpibus evenire animadvertimus.

Salubre omnino ac temperatum Lucenſium thermarum caelum, praeter jam dicta, demonſtrant inſectorum quorumdam abſentia; aquarum bonitas, tam hydroſtatica lance, quam chimicis tentaminibus explorata; ſolum aromaticis plantis redundans ; optimus incolarum color, qui ſuavibus moribus, acrique ingenio praediti ſunt; vernaculi morbi per ſe nulli, eorumdemque incolarum longaevitas, quae interdum ad nonageſimum annum protrahitur.

Quoad meteora, nihil de his peculiare animadverti, quod eodem plane modo in reliquis Etruriae locis haud adpareat ; ſatis

satis de ventis, & aura serotina dixi. Tonitrua hieme praesertim audiuntur, eaque non levia. Lumen boreale haud infrequens est. Pluvia saepius, procella rarius oritur, tunc vero australi vento perflante. Quotannis fere utut aqua in glaciem coeat, nivesque cadant, citius tamen quam in urbe Luca liquescunt.

Meteorologicas quotidie variationes observare solitus, quae ad eas attinent, aliquantulum attingam. Hydrargyri in barometro media altitudo, Corsenae in valle, pollices parisinos viginti septem, lineasque octo adaequat. Thermometrum hydrargyro repletum, ad Bülfingeri mentem constructum, scalam sive graduum numerationem juxta Reaumurii methodum conjunctam habet. Hygrometrum caeteris praestantius, ex cannabina chorda valde retorta confeci. Eam in calido furno reliqui, donec ita exsiccata foret, ut facile, si extenderem disrumperetur. Tunc vitreo tubo inserui, cujus in superiori parte, acicula transversim per chordam adacta, spongiam aqua madidam introduxi, quae guttatim eam humectaret, donec plumbeum stylum, inferiori chordae parti extra tubum productae alligatum, haud ultro se contraheret, ac in gyrum verteret, sed spongia semota extenderetur. Compertum sic habui, chordae variationes intra pollicum trium, linearumque novem spatium contigisse, hinc in quadraginta partes, sive gradus divisi. Hygrometrum sic satis mobile, faciliusque comparabile obtinui, eo siquidem magis, si chordam saepius renovarem; temporis enim decursu sensibiliter minus moveri animadverti.

Pluviae quantitatem ut detegerem, cylindrico vase figulino, vitrea interius crusta obducto usus sum, aperto aeri exposito, cujus diameter gallicum pedem, quatuorque pollices aequabat. Cessante pluvia, pondus delapsae aquae, potius quam mensuram, in meteorologica tabula adnotabam.

Ven-

Ventorum directionem anemoſcopium ſupra excelſam divi Petri eccleſiae turrim poſitum, oſtendebat. Barometrum, Thermometrum, & Hygrometrum, in Xyſto, qui occidentem reſpicit, locata ſunt. Quotidie meridianis horis, eorum variationes obſervabam.

Luca Hetruriae Onoldum
miſſa die 10. *Martii* 1773.

OBSERVATIO II.

Dn. Lic. IOANNIS FRIDERICI CONSBRVCH

De

Sacco quodam inteſtini ilei inconſueto.

Dum cadaver lanionis cujusdam frigore peremti diſſecandum erat, in regione iliaca dextra partem aliquam inteſtini ilei offendi inuſitato quodam diſtinctam ſacco, in quem deorſum inteſtinum hiavit. Longitudo illius duos pollices ſuperabat. Ubi ſaccus coepit, ibi ita patuit, ut commode binos digitos admitteret, dein hinc demiſſus, quo propius ad impervium ſuum fundum deſcendebat, eo paulo magis in anguſtius nitebatur. Ego vero ab his diſcedens, nihil amplius in ſacco conſpicere potui, quod a vulgari inteſtini ilei ſtructura eſſet alienum.

Scholion.

Obſervationi meae pauca haec liceat addere.

Rariſſime hujusmodi inteſtini ilei ſaccos, aut, ſi mavis, appendices, ſive diverticula, illuſtris *Morgagnus a)* obſervavit, quamvis tot ſecuerit cadavera. Dum *Ruyſchius b)* affirmat, haec diverticula utplurimum, ſi non ſemper, in inteſtino ileo occurrere; *Morgagnus* aliter, ac quidem primo intuitu

a) De ſedibus & cauſis morborum per Anatomen indagatis. Libro III. Epiſtola XXXIV. articulis 16. 17.

b) In Theſauro VII. Numero XV. 3.

tuitu videatur, accipienda esse celeberrimi hujus viri verba existimat. Nimirum, dicere illum velle; quum adsint haec diverticula plerumque ea in intestino ileo deprehendi. Verum illustris de *Haller c*) monet, perfrequenter conspici in intestino ileo has appendices, additque; saepe hujusmodi diverticulum in herniam peritonaei subire, & solum comprimi, dum princeps intestinum liberum superfit. Ita posse gangraenam intestini ab hernia nasci, & tamen iter per intestinum ad anum patere. Generari autem diverticula haec, si laxata alicubi musculosa intestini membrana, aer & faex, a vicinis fibris transversis promota, incumbant in hanc partem minus resistentem. Caeterum illustris de *Haller*, & in colo, & in intestino recto, ac *Morgagnus* cum in recto, tum in duodeno hujusmodi quid, at rarius, quam quidem in intestino ileo, observarunt.

Vaihinga Onoldum
missa d. 20. *Martii* 1773.

OBSERVATIO III.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

De

Diverticulo ilei, & ventriculo biloculari.

Variae omnino sunt *conformationes*, quae, dum cadavera lustramus, si & a reliquis visceribus, & vasorum, & nervorum, distributionibus recedimus, circa intestinorum canalem nobis obveniunt. In his autem saepe dubium est, quid *connatum*, quid *adscititium*, & morbosum, sit. Iam si v. c. in colica sicca, vel post eam & illam, quam Pictonum vocant, hic diametrum intestini cuiusdam in immensum saepe auctam, alibi autem nimis imminutam, & intestini partem tantum non plane coa-

c) Elementa Physiologiae corporis humani. Tomo VII. Parte I. Libro de intestinis.

coalitam, & in funis modum constrictam reperimus, tunc conformationem hanc praternaturalem, & morbosam, utique appellamus. Tacemus *hernias*, rel. Verum si saccum ilei, in antecedenti observatione descriptum, considerabamus, parum abest, quin eum connatum, successu temporis magis elongatum, judicemus, dum caussa quaedam occasionalis non patet, ex qua mutata sit haec intestini fabrica. Similis autem fere conformatio nunc memoriae succurrit, quam olim in *amoenitatibus* meis *medicis* Decad. II. p. 93. descripsi, & depingendam curavi. Simul autem eo in loco notavi, inventos esse jam similes saccos, seu productiones ilei; prouti apud *Ruyschium* Thesaur. anat. VII. Tab. IV. fig. 2. videre est, ubi tale tuberculum, coecum, pro *diverticulo* praeternaturali habet. Ante aliquot annos simile diverticulum absque ulla herniae suspicione, mihi videre contigit in femina melancholica, quae suspendio sibi ipsi mortem contraxerat. Brevius autem illud erat, & inter binas, sic dictas, valvulas conniventes versus mesenterium, ortum sumserat, qua occasione simul adducere libet, me in ejusdem feminae cadavere, quod in theatro nostro anatamico publice dissecui, invenisse *ventriculum*, quem *duplicem* fere vocasses, qualemque *b. Heisterus* in Act. Acad. Nat. Cur. Vol. X. p. 53. descripsit & Tab. I. fig. 3. depingi curavit. Erant autem fibrae ventriculi longitudinales in arcu majori, quem alias fundum nominarunt, adeo in fasciculos, ligamentorum speciem referentes, ita collectae, ut ex earum contractione ventriculus in binos saccos distinctus videretur. Olim ea femina saepius cardialgia vexabatur, & ad eam leniendam saepius hausto vini adusti, seu spiritus frumenti, utebatur. Iam dubium videtur, utrum haec structura ventriculi fuerit connata, & cardialgiae caussa? An potius spiritus vini, cujus vis stringens, indurans, notissima est, fibras ventriculi longitudinales sensim in fasciculos collegerit, unde in medio ventriculo sensim isthmus ortus est, qui duplicem ventriculum simulavit? quae ultima sententia probabilior mihi videtur, si-

mul autem cautelam ſubminiſtrat, non ſatis bene in pathematibus hypochondriacis & hyſtericis, quorum ſpecies ſaepe cardialgia eſt, ſpirituoſis tantopere abuti.

OBSERVATIO IV.

Dn. D. MELCHIORIS ADAMI WEIKARD

De

Damnis purgantium in nervis mobilibus, ubi natura acre foras pellere conata fuit, ſive de morbi nervorum ſpecie.

Juvenis ſexdecim vel ſeptendecim annorum, litterarum cultor, patre natus litterato valetudinario, ad iram pronus, ſtatu corporis gracili, cujus quoque fratrum unus morbos epileptico-convulſivos, choream ſancti Viti, caeterosque ſpasmos ac tormenta fere incredibilia per tres annos paſſus fuerat: juvenis, inquam, ante binos annos morbo convulſivo ultra quadrantem anni paulo aliter ac nunc conflictabatur. Scabie poſtea ſuperfuſus eſt. Ab ineunte aetate plerumque deformis tinea caput exulcerabat, quae modo defuit; atque caeterum parum firma valetudine utebatur.

Nunc menſe Februario anni 1773. circa frontem ac collum hinc inde elevabantur puſtulae ac potius veſiculae albae pruritu moleſtae. Laudabatur aegro inſigniter pulvis purgans d'*Ailhaud*. Mediam doſin voravit, verum diebus ſequentibus ſat male habuit: ineptus ad litteras, caput ipſi dolens, appetentia cibi hebetata fuerat. Repetenda, clamabant patroni pulveris atrore infucati, repetenda doſis. Repetebatur initio Martii effectu peſſimo. Mox enim ingraveſcit aeger, e capite dolet vehementius, magis languet ſtomachus, atque indies advenit quidam paroxysmus palpebras claudens, linguam loquelae incapacem faciens: verbo, advenit paroxysmus quidam convulſivus, qualem mox deſcribam. Fuerat is mitior initio morbi, deterior tempore ac vehementiſſimus.

Admo-

Admovi corticis peruviani pulverem ac demum simul decoctum ligni quassiae. Videbatur post dies quinque vel sex mitigatus morbus, sed mansit capitis dolor, languebat mens, corpus, stomachus. Ambulabat ad lassitudinem uno die, reliquisque denuo se studiis adserebat. Mox catarrho correptus videbatur, ad quem quandoque pulveres ex kerm. miner. & stib. diaph. n. abl. atque spec. pectoral. adhibebantur, sed brevi magis patuit morbus seu paroxysmus convulsivus, qui parum hucusque delituit, semel vel bis de die increvit, fere indies pejor factus, urgens caput, pectus, artus, stomachum, nervos, tendines, quamdiu duntaxat pulvere ex moscho & saccharo, decocto ligni quassiae atque guttulis ex spirit. vitriol. dulc. drachm. iij. camph. dr. ß. laudan. liq. Syd. ac tinctur. croc. ana gutt. 10. & reliquis mitigare valetudinem frustra tentaveram. Aliquoties infuso croci ante paroxysmum atque sub eo dato, atque pannis assiduo calidis corpus calidum ac madidum servabatur, irrito conatu.

Paroxysmus autem, quem modo depingam, habebat hoc moris, ut ab aegro adverteretur adveniens; expectabat eum languidus, oculi somno pleni, neque palpebras porro sustinere poterat, quae tandem concidebant immobiles. In naribus protinus siccitas, demum in lingua secuta est. Amittebatur potentia loquendi, pectus fuit oppressum, dolens, respiratio cum labore, stertens, sonora, quandoque valde anxia. Corpus nonnunquam se extendens cum rigore, brachia mox rigida, mox flexilia, cutis subinde sicca, saepe mollis, quandoque humida. Lingua siccissima, quae, dum ei parum liquoris anodyni illinebatur, illico remissis spasmis molleſcebat, denuo brevi exsiccata. Motus plerumque tremulus ac convulsivus tendines pervagabatur. Tussis fere semper spasmodica, nisi paroxysmi vehementia eum suffocaret, humidior paroxysmo finito. Pulsus sub paroxysmo parvus, debilis, angustus ac summe tardus, tandem sub finem paroxysmi frequentior factus ac fortior. Dum mitior erat paroxysmus, sibi men-

te constabat æger, omnia audiens, intelligens; manſit deglutiendi vis ac debiliter manum vel brachium ad arbitrium movendi. Aliquoties autem in paroxysmo pejore mens, ſenſus, ac omnis vis movendi muſculos aberant. Mane ſubinde levior paroxysmus aderat, ſaepius nullus, ingruebat vero hora ſecunda vel tertia pomeridiana; quandoque citius, quandoque lente magis ac cunctanter adrepebat. Sitis ſubinde nimia, ſubinde nulla. Urina ſub paroxysmo ſumme aquoſa, pallida, ante eum plus minusve talis, ineunte paroxysmo plerumque frequenter miſſa. In manubus torpor ac praecipue in genubus cum impotentia movendi. Poſt paroxysmum æger jacebat languidus, appetentia cibi quandoque per plures dies nulla, artus impotentes, ac vires proſtratæ; quandoque pituitam quandam tuſſiendo ejecit; manſit dolor capitis, tuſſis. Somnus fuerat non reficiens, meris protruſus inſomniis.

Notandum quod nunc, ſicut ante duos annos, ſub hoc morbo dulcis quidam peculiaris ſudoris odor in cubiculo ſparſus advertebatur. Notandum quoque, paroxysmum jam omni tertio die rediiſſe graviorem. Nunc, uti & ante duos annos, ad riſum quendam minus naturalem æger frequenter faciem componebat.

Decimo quarto Martii, die cæteroquin acerbiore ex ordine vel typo morbi, mane ipſi e novellis legebatur hiſtoria illius, qui Hamburgi dormiret triginta diebus, atque morbus morbo affinis pronunciabatur. Audiit haec, deſuper forte plus juſto meditans ac timens ſibi iuvenis. Adverti enim poſt aliquot dies hanc hiſtoriam adhuc animo ipſius hærere penitus. Advenit hoc die poſt prandium medio tertiæ paroxysmus iniquus valde, hærens ad undecimam. Tuſſiebat vehementer, dolorem capitis, pectoris, artuum, manifeſtum fecit digitis, quamdiu mentis compos fuerat. Demum abfuit tuſſis, dum absque ſenſu jacuit, ſtertens fere lethaliter. Adeo quandoque videbatur exanimis, ut pro mortuo haberetur ab adſtantibus. Tendines aſſiduo movebantur, digiti ſaepius contrahe-

ban-

bantur; artus mox rigidi, mox flexiles. Sub finem paroxysmi per horam & ultra in ſopore vel ſomno profundiſſimo cum reſpiratione valida jacere videbatur, non ſecus, ac plerumque ſolent epileptici. Bina injecimus clysmata, acre prius, mite ac blandiſſimum poſterius, ad quod ſecuta alvus, fricavimus corpus pannis calidis, bina veſicatoria ad ſuras pedum poſuimus.

Decimo quinto die, mitiore ex ordine, remedia priſtina ſepoſui & dedi omni tertia hora tres pilulas ſequentium: R. Caſtor. Galban. ana dr. ß. Aſae foetid. ſcrup. j. Tinct. Caſtor. q. ſ. f. pil. gr. ij. atque ſubinde praebui guttulas viginti liquoris cornu cervi ſuccinati. Paroxysmus meridie ſerior, mitior, ſed fere æque diu durans. Per pauca ſolum minuta mens ac ſenſus aberant. Ad brachia per aliquos dies applicata fuere epiſpaſtica cum aliquo ibi, ut videbatur, levamine, etiam ad caput applicaſſem, ſi juvenis ac mater ejus pilos e capite tolli permiſiſſent.

Decimo ſexto mane jam palpebras levare haud poterat atque ex capite dolebat inſigniter. Continuatae pilulae ac liquor cornu cervi ſuccinatus. Poſt prandium, medio ſecundae, paroxysmus ingruit, qui pridie medio quartae adfuit. Adeo hic conterebat vires, ut aeger poſt eum nec digitum nec pedem movere, nec palpebras, vel linguam movere potuerit, ita ut debilitatem aegri inſuperabilem, eumque mox ſequente paroxysmo e vita exiturum facile aeſtimaſſes. Nihil omnino ab aliquibus diebus comederat.

Decimo ſeptimo adhuc ſummam iſtam inveni debilitatem, pulſum exiliſſimum. Putabam igitur feſtinandum medicamine. Tuſſim ſuffocabat debilitas. Dabam gr. iß. ſulf. antim. cum ſtib. diaph. n. abl. mane & a prandio; ſemper id medicamen unum pituitae paucae vomitum excitavit, mane cum veloci aegritudine, a prandio cum levamine. Omni hora dabatur larga doſis electuarii ex corticis peruv. unc. j. liq. anod. drachm. ß. cum ſyrup. cinamom. q. ſ. Dabantur tertia quaque hora

hora pilulae, ſubinde guttulae, atque aliquoties pulvis ex limat. ferr. cum cinamomo & ſaccharo. Inde ſenſim pulſus celerior, fortior, color vividior, tuſſis liberior; levabantur palpebrae, in capite minuebatur dolor, excitabatur animus. Peſſima quaeque, quippe dolor pectoris, artuum gravitas, ac reliqua mitigabantur. Paroxysmum vel leviſſimum vel nullum exſpectabamus. Proſpere enim omnino iſta medicatio ceſſiſſe videbatur. Advertit autem æger poſt horam tertiam adſtare paroxysmum, palpebras ſuſtinere haud valens; parum ibi opis ab aqua frigida affuſa oculis percipit. Tandem monſtrat nobis linguam ſiccam fieri, loquelam amitti, mente conſtante, ita ut ſub paroxysmo ſcriberet, oxycrato linguam abluendam. Poſt mediam horam paroxysmus praeterierat. Pauca hoc die comedens a potu abhorruit, licet antea ſaepe potaſſet nimium. Urina nunc craſſior, tincta magis colore fuit. Sudor atque feces odorem pilularum retulerunt. Mucidus nonnunquam in ore ſapor. Poſt paroxysmum aeque bene cum aegro agebatur.

Decimo octavo horrens electuarium, duntaxat pilulas & liq. corn. cerv. ſuccin. continuavit, aliquosque pulveres ex limat. ferr. cum ſacchar. & cinamom. abſumebat. Ultra horam iuvenis quatiebatur paroxysmo, magnaque demum aegritudine.

Decimo nono pulveres ex ferro, nullae pilulae, guttulae ex Tinctur. Caſtor. Croc. & liq. anod. Fuere horae duae paroxysmo moleſtae. Minor poſt eum virium ac animi proſtratio. Quippe dierum ordo alleviationem poſcebat. Veſperi poſt paroxysmum ad corticem denuo confugi, atque aliquoties pulverem ejus cum oleo aniſi adhibebam.

Vigeſimo Martii mane rurſus pilularum atque electuarii uſum, ut ſupra, urgebam acriter. Paroxysmus a prandio mitis quadrante horae notabilis, mane leviſſime pulſans oſtium. Cibum aeger magis appetiit. Continuabam medicamina.

Vige-

Vigesimo primo medicamina eadem. Levissimus a prandio paroxysmi insultus aderat medio tertiae, sed rediit sortior ac pertinacior medio quintae, hora manens integra. Ab aliquibus diebus quidem nec vires, nec animus adeo, ut antea, decumbebant, tamen ita adhuc ligamenta ac musculi invalidi ac relaxati fuere, ut caput erectum tenere, vel sedere in lecto, hucusque haud potuerit, vix pedes loco movere valens.

Vigesimo secundo medicamina eadem. Consumptis autem versus meridiem pilulis, nihil nisi electuarium absumebat. A prandio versus quartam oculos caeculos habuit, per quatuor vel sex minuta aderat paroxysmus, sub quo datus liquor anodynus cum saccharo, atque guttulae supra descriptae, quibus nunc parum laudani liquidi Sydenhamii additum fuerat. Relicta ab incompleto hoc paroxysmo levis quaedam aegritudo atque nictatio oculorum. Post quadrantem horae aut serius denuo paroxysmus aegroto, utut obluctanti, irruit cum respiratione celeriore non stertente, vocis amissione, linguae siccitate, dolore pectoris, & reliquis, per decem minuta durans, quo finito aeger alacrior, aliquoties vini haustum in deliciis habens. Caeterum notari expedit, sub finem paroxysmi fere semper rigores ac tensiones corporis vel artuum atque oscitationes frequentius praeiisse. Vesperi sequens construi electuarium curavi: R. cort. peruv. conserv. rutae ana unc. j. liq. anod. drach. ß. syrup. cort. auran. q. s. m. f. electuar. d. s. Sumat omni bihorio ad nucis magnitudinem.

Vigesimo tertio, die juxta typum morbi deteriore, mane major dolor in capite, nec in animo ea, quae pridie, alacritas cernebatur. A prandio post tertiam paroxysmus aderat non ultra horae quadrantem durans, rediens autem medio quartae cum dolore pectoris & reliquis, ad medium quintae continuus. Paroxysmo finito lassitudo ingens ac dolor in artubus, demum succedens sudor. Urina mane citrina, post paroxysmum aquea. Alvus non mollis mane. Dabatur vesperi clyster ex lacte & oleo, vesicans ad nucham.

Vigesimo quarto ac quinto fere eadem. Sitis varians, debilitas ingens quandoque, & reliqua. Vigesimo sexto constitui sequentia: R. cort. peruv. rad. valer. sylv. ana unc. ß. conserv. rut. drach. vj. syrup. cort. aurant. q. s. f. electuar. sumat omni bihorio ad nucis magnitudinem. Praeterea ter vel quater de die dabatur infusum, cum, vel sine lacte, ex sequentibus: R. flor. arnic. anth. āā pug. iij. herb. serpill. m. ß. Vires prostratas saepius elaeosaccharo moschi erigere conabar. Facies, quamdiu paroxysmi hi durarent, plerumque florida ac vivida. Frustra aliquoties ob nimium e capite dolorem camphoram cum nitro ac absorbente porrigebam. Plerumque sub paroxysmo & post eum cutis maduit, paroxysmi sensim evasere breviores, at non constantes, acerbiores autem constanter tertio die. Initio Aprilis subinde caput levare poterat; circa collum nodulos quosdam sive glandulas induratas sensi.

Sexto Aprilis electuarium, quod hucusque in usu fuit, sepositi, retento infuso ex flor. arn. anth. & herb. serpill. Dabatur mane & vesperi pulvis ex antimon. diaph. n. abl. gr. xv. fuligin. lap. cancr. ana gr. x. sulf. antim. tert. praecip. gr. iij. Levis hoc & sequente die diarrhoea aderat. Die septimo Aprilis iidem dabantur pulveres, & a prandio paroxysmus abfuit, sed ad vesperum usque debilitate aeger ac somnolentia premebatur. Per unum vel alterum minutum evigilabat, per quaedam demum dormire videbatur. Respiratio facilis, ciborum ac roboris appetentia. Vesperi ab hora quinta ad nonam sudor erupit cum levamine. Alacrior enim inde ac minus somno ac debilitate oppressus fuit.

Octavo Aprilis, medicamina eadem, atque praeprimis a prandio ea in somnum seu debilem soporem propensio, ita tamen, ut & haec paroxysmi mutatio alternis diebus tota die notabilior compareret. Fuit autem haec nunc morbi facies: Aeger e capite ac artubus vehementer doluit. Maxime irritabile systema nerveum, adeo, ut, dum extenderet brachia vel

vel corpus, dum loqueretur, ſcalperet, vel quaecunque ageret, illico per quaedam minuta vel diutius quaſi dormiens ac fere absque ſenſu jaceret, dum tangerentur genua ac pedes, evigilaret perterritus. A minimo terrore, a re quadam in terram procidente vel ex alia cauſa excitato, ultra quadrantem horae absque ſenſu jacuit fere exanimis. Idem obtingebat, dum lecto eximeretur. Facies ſub hac ſcenae mutatione non adeo florida, magis pallida. Linguam cum muco immundam vidi, praebui decimo Aprilis rad. ipecacoanh. ac kerm. min. ana gr. iij. ſtib. diaph. non abl. ſcrup. j. Aliquoties inde evomuit materiem flavo-viridem absque ſapore alieno. Denuo poſthac electuarium ex cort. peruv. rad. valer. &c ut ſupra adtuli. Omni tertia hora ad nucis magnitudinem praebebatur. Debilitas hoc & ſequente die ferme iniquior, ita ut undecimo Aprilis ad vires refocillandas demum elaeoſaccharum moſchi advocarem. Bis de die nunc per quatuor vel plures dies infuſum ſalviae vino paratum fuit exhibitum. Dabatur vinum bonum, infuſum Caffée, ac cibus roborans. Conſtans a quinta ad nonam ſudor.

Decimo tertio Aprilis, electuario neglecto, omni tertia hora guttas ſexaginta tincturae ſequentis porrigebam: R. cort. peruv. unc. ß. flaved. cort. aurant. rad. valer. ſylv. ana dr. ij. rad. ſerpentar. virg. dr. j. croc. auſtr. gr. xij. coccinell. gr. vij. infunde calide in ſpir. vin. unc. v.

Adverti non raro intra digitos veſiculas aqua mordaci repletas. Cibi reficientis nunc aſſidua appetentia, ac notabile valde circa decimum ſextum ac ſeptimum levamentum, ita ut per minutum ſubinde ſedere ac corpus erigere potuerit, quin ut antea deficeret animo. Tandem die decimo nono ac vigeſimo. Aprilis aeger meliuscule eſſe coepit. Sedebat in lecto, educebatur ex eo, & ſubinde duntaxat momento citius quidam ſopor leviſſimus aut quaedam paroxysmi umbra praeteriit.

Constans diu fuit ista nervorum mobilitas, ita ut, licet juvenis sermonem cum aliis conferret aut chartis luderet alacris, illico per momenta quaedam (centies forte de die) subsideret quasi evanidus, quamprimum verbo quodam vehementius prolato aut strepitu fortuito vel levissime terrebatur. Facillime, dum subsidebat, attactu, vel acclamatione excitari poterat. Conabar ferro, cortice peruviano, vino, diaeta ac frictione debilitatem istam extirpare. Nonnunquam e domo diebus Maji fervidis manu ducebatur. Tandem autem fine Maji tangebatur morbillis nobis tunc epidemicis. Die uno aut altero ante febris eruptionem saepius ac alias linquens veluti animus revocari debuerat. A die febris autem excussa nervis ista mobilitas, debilitas animo. Cæterum morbillorum febre sat inique torquebatur. Ita igitur natura novit foras pellere morbum, quem ars incauta forte ad partes nobiliores intro duxerat. Mihi quippe videor exinde didicisse, quomodo purgantia vehementiora materiam acrem a peripheria ad centrum avocare, atque nervos mobiles morbose afficere valeant. Taceo decantati pulveris purgantis supra memorati sinistros effectus, colicas siccas spasmodicas aliaque incommoda, & ubi aliquid profeciisse fertur, vel fallacia experimenti, vel individui dispositio in causa fuerunt.

Fulda Onoldum
missa die 6. Iunii 1773.

OBSERVATIO V.

Dn. D. IOANNIS CASPARI DE RVEFF

De

Taenia seu Verme lato.

Non inter ultimas mortalium calamitates, quibus misere adeo affligimur, considerari merentur illæ infirmitates, quæ a vermibus hospitibus intestinorum ingratissimis excitatæ indies observantur.

Quam

Quam larvate incedere consueverint affectus ab animalculis hisce in intestinorum canali stabulantibus orti, ita, ut pauci omnino numerentur, quos vermes aut non sustentent, aut non mentiantur, neminem latet, nisi hospes in medicina sit.

Ast plurimum incommodi patientibus, & plurimum negotii medentibus hactenus facere consuevit vermis latus, Taenia & solitarius dictus, omnem medelam sæpe pertinacissime respuens: ni enim in globum quasi convolutus cum adunco capite suo, quo intestinorum parietibus quam firmissime adhæret, exturbatus fuerit, & sic demum cum eo totum animal per anum expellatur, indies incrementa de novo capiens ad multorum pedum longitudinem renasci mirissime observatur. Neque hunc unicum esse vermem, ast plurium vermiculorum ex illo genere, quos cucurbitinos vocant, continuata serie aliorum aliis adnexorum, celeberrimus MEADIUS evincere conatur *in suis monitis & praeceptis medicis pag. 66.*

Quantum hucusque insudarint omnis aevi saluberrimæ artis nostræ excultores, ut efficax experiundo remedium posteris relinquerent, quo confisi hostem hunc inimicissimum impugnare, ac devincere firmissime possent, nemo nostrum est, qui ignorat. Practici exercitatissimi passim dolent, vermium curam difficilem esse, eam vero Taeniarum & difficillimam, & sæpe impossibilem teste eruditissimo HAENIO in sua ratione medendi parte 12. pag. 212. Hinc nemini mirum videbitur, quod neque mercurius sub varia forma propinatus, nec asa foetida, nec martialia, nec stanni rasura cum sexcentis aliis exoptatum præstiterint effectum.

Idem conqueri videtur insigne illud artis nostræ decus ac ornamentum (quo cum mihi a viginti retro annis amicissimum colere licuit litterarum commercium) incomparabilis Liber Baro van SWIETEN, varia anthelmintica, dum de morbis infantum doctissime discurrit, a celeberrimis auctoribus probata in medium adducens. Singularem tamen præ reliquis remediis virtu-

tem in expellendo verme latò tribuiſſe videtur arcano Domini HERRENSCHWAND, quod cum publico necdum communicatum dolet: methodum interea, quam præfatus auctor in uſum duxiſſe creditur, exactiſſime delineando, minime dubitandam eſſe exiſtimo, latuiſſe celeberrimum hunc virum illa, quæ hoc arcanum ingrediuntur pharmaca, cum nil unquam celando aperte ac ſinceriſſime nunquam non cum Publico communicaret cuncta, quæ noverat.

Cum igitur rara fortuna in cognitionem famoſi hujus arcani me veniſſe exiſtimem, pulcherrimos inde, ac repetitis vicibus lætiſſime effectus obſervans, tardare nolui, quin hoc absque mora juris publici faciam, nil aliud in votis habens, quam ut methodus mox deſcribenda, a peritioribus adhuc excolenda magis, in exoptatam proximi creſcat ſalutem.

Pridie, antequam detur ſpecificum, ſcrupuloſum obſervetur jejunium, tota die præter tenuiſſima juſcula cum pauca quantitate cremoris hordei, vel avenæ miſta nil concedendo. Sexta veſpertina dentur ægroto unciæ tres olei amygdalarum dulcium recenter expreſſi, & poſt tres horas drachma una ſalis abſinthii pro una vice cum potu Thee. Sequenti mane hora ſexta accipiat primam doſin de pulvere inferius notato, ſorbillando poſtea juſculum, & hora nona doſin ſecundam. Vermis poſtea plerumque expellitur, unde tertia doſis non ſemper neceſſaria judicatur; ſi vero vermis nondum exiverit, hora duodecima, tertia repetenda foret doſis, & hoſtis ſtationem deſeret haud dubie. Non ſine moleſtia equidem agit hic pulvis, ſurſum deorſumque valide quandoque purgando cum torminibus ventris. Languere quidam obſervantur per unum alterumve diem, cum tamen alii ab hoc medicamento parum afficiantur. Hinc ſi prima vice deſideratum haud praeſtiterit effectum, absque ullo ſcrupulo etiam repeti poterit haec methodus, poſt aliquot tamen dierum intervallum: ni enim, quod ſupra monui, in globum convolutus exeat, aſt in fruſta abruptus, vermem integrum expulſum eſſe non creden-

dendum, cum pauco tempore ad plures ulnas mirifice renascatur, easdem, ut prius, ludens tragoedias. Nunquam igitur fidendum, aut quiescendum, donec in globum convolutus se manifestet.

R. Sal. absinthii ℈ß.
C. guttae gr. iij. iv - v. M. D. sic in triplo ad chart. S. *Fruh morgens um 6 Uhr das erste, um 9. Uhr das zweyte, und, wann der Wurm nicht abgehet, das dritte.*

OBSERVATIO VI.

Dn. D. IOANNIS CASPARI DE RVEFF

De

Usu insigni corticis Peruviani in omnibus affectibus, qui per intervalla & periodice redire consueverunt.

Nil arti nostræ exitiale magis, atque detestabile fere ab omnibus bonis merito judicatur, quam specioſus medicamenti alicujus (longo usu necdum probati) vanus titulus. Nil vero & arti nostrae quam saluberrimae utilius accidere posse omnibus in confesso est, quam si medicamina nobis suppeditare valeat, quae infallibilem efficaciam suam in debellandis certis morbis quotidie feliciter ostendunt.

Primum certe in hisce locum sibi vindicare videtur cortex peruvianus, feliciſſimum illud gentis loyoleae inventum, hinc & cortex Ieſuiticus merito quondam appellatus.

Quamvis enim divinum hoc remedium varia agitatum sciamus sorte, fidis nempe tunc temporis, necdum satis probatum experimentis; id demum omnibus (nisi hospites omnino in medicina sint, aut falsis agitati, obcoecatique praejudiciis) in confesso erit, haud certius in re medica ullum exstare remedium, ad morbos quoscumque (qui per intervalla & periodice quasi recurrunt) feliciter abigendos, profligandosque, nobiliſſimo hoc cortice peruviano.

Sen-

Sententiam hanc variis exemplis ex propria observatione, eaque repetita, sedulo collectis corroborare conabor.

Historia prima.

Miles legionis nostrae, qui granatorum ignitorum jaculatores salutantur, & cui crus a peritissimo chirurgo quam felicissime amputabatur, nullo inde subsequuto malo symptomate, octiduo vix elapso, tertia pomeridiana violento maxillae utriusque spasmo inopinate, ac absque ulla causa manifesta praegressa corripiebatur, ita, ut tam loquela, quam masticatione privatus, deplorabile, ac mirum adstantibus praebuerit spectaculum.

A congestione sanguinis ab amputato crure ad hanc partem facta, symptoma hoc deducens, venaesectionem celebrandam curavi. Applicatis simul ad partes affectas, utramque maxillam nempe, unguentis, ac cataplasmatibus quam molliss imis.

Factum inde, ut spasmodica maxillarum constrictione, bihorio vix elapso, pulchre soluta, affectus iste spasmodicus videretur sublatus. Altera die nihilo minus eadem ferme hora taedioso rediit morbus, iisdem tamen jucunde cedens remediis. Hoc vero & die tertia recurrebat symptoma. Hinc cum spasmus iste periodice, & statuta quasi hora repetens typum quotidianae referre videretur, corticem peruvianum absque mora in usum vocare mecum constitui, ordine ac dosi ad febres curandas consueta, ac exoptatissimo cum effectu.

Miles enim ab hoc maxillarum spasmo pulchre curatus, optime valens plagaque consolidata ad Fortalitium Rotenbergense ablegatus, stationes suas ibidem sanus cum mutilatis sociis suis congrue peragere pergit.

Historia secunda.

Nobilissimus ab intimis sereniss imae aulae nostrae consiliis, quinquagenario major, temperamenti melancholici, ac a longo tempore hypochondriacis multum vexatus miseriis vehemen-

mentissima derepente corripitur odontalgia, dolorque gravissimus dextram solummodo maxillae partem afficere observabatur. Per duodecim incirca horas saeviit dolor, nec pulsu febrili, aut alio, quae febrem comitari solent, symptomate stipatus. Plurima eaque topica utplurimum ad immanes dolores sublevandos, ast frustra, in usum vocaverat miserandus nobilissimus patiens remedia, donec ego die quinta in consilium vocatus exoptatum malo huic remedium adferrem.

Morbi enim genio exacte perpenso, ac reliquis optime perspectis, examinatisque, paroxysmum hunc odontalgicum in dies determinata hora redeuntem cum observarem, cortice absque mora in usum vocato, feliciter intra biduum immanes dolores laetissime sustuli, cum maximo nobilissimi patientis & adstantium admiratione.

Et simillimos a dato cortice exoptatissimos effectus laetus vidi in saevissimis capitis doloribus, qui periodice ac sine febre redire consueverunt, reliquis artis subsidiis variis frustranee applicatis.

Neque ullum malum aut incommodum, ab applicato cortice subsequens, unquam annotavi. Corpore praesertim prius rhabarbaro purgato.

Historia Tertia.

Primarius Sereniſſimae Aulae nostrae chirurgus lectissimam suam conthoralem per plures septimanas a dolentissima cardialgia flatulento-spasmodica vexatam tristis indoluit, ad cuncta applicata rebelliore, ita, ut affectus iste omnes tam suos, quam aliorum conatus turpiter hactenus elusisse videretur.

Demum & ego arduo super hoc affectu consultus, circumstantiis omnibus cum cura perpensis, cardialgicum hunc spasmum si non in dies, alternis tamen vicibus a meridie, hinc periodice, inordinate quamvis redire laetus observavi. Curam igitur sequentem in modum adornans.

Ad materiam acrem, qua nervosa ventriculi tunica in superiori suo orificio vellicari per intervalla observabatur, tam corrigendam, quam absque stimulo evacuandam, ut patiens de pulvere sequenti resolvente ter in die horis medicis dosin acciperet, auctor fui: R. Sal. polychrest. ℈ß. antimon. diaph. non ablut. rhab. elect. āā gr. vij. M. D. fic ad chart. sex doses, forbillando singulis vicibus duo vascula de speciebus thee formibus. Applicatis insuper ad cardiae regionem linimentis anodynis ac sacculis: R. Ung. anodyn. ʒß. ol. nuc. moschat. expr. theriac. Androm. āā ʒij. axung. castor ʒj. camph. in spir. sal. ammon. solut. ℈ß balsi. peruv. ℈j. M. F. l. a. linimentum.

R. Fol. absinth. roman. menth. flor. samb. chamaem. vulg. āā manip. j. bacc. lauri, iunip. āā ʒß sem. foenic. anisi commun. āā ʒij. Incis. & contus. M. D. ad chart. pro sacculis.

Notabilem equidem ex hisce adhibitis bonum effectum senserat patiens, cum paroxysmi ferocia remittere non solum, ast etiam ad dies aliquot siluisse videretur, taedioso vero recrudescens iterum, nec applicatis antea cessit remediis, usum corticis exposcens. Hunc igitur aperitivis ac anodynis sociatum sequentem in modum ordinare non neglexi. Nec exoptatus spem meam fefellit effectus, simme dolorifico hoc affectu cardialgico paulo post feliciſſime profligato electuarii notati usu, quod notata dosi acceperat obsequens aegra, bis postea & ter in die per octiduum continuando. R. Cort. peruv. pulverisat. ʒvj. cascarillae, rhabarb. elect. āā ʒj. tartar. tartarisi. ʒij. theriac. coelest. sal. sedat. Homberg. āā ℈ß. extr. chamaem. ʒß. syr. acetos. citri q. s. M. F. electuar. dosis magnitudo nuc. mosch. omni trihorio.

Rediit inde sanitas adeo perfecta, ut jam ab anno, & quod excurrit, ab omni morborum genere immunis vivat, saepius antea valetudinaria. Notandum vel maxime, quod affectus iste cardialgicus periodice recurrens nullis unquam comitatus observaretur symptomatibus febrilibus, cortice tamen integerrime curatus.

Si-

Simillimum exoptatissimum effectum observare mihi licuit in equite Sereniſſimi noſtri cuſtode (arcier), qui, saevissima cardialgia periodice recurrente moleſtatus & variis laceſſitus remediis, ſolo & legitimo corticis uſu cum ſanitate demum rediit in gratiam. Notabatur in aegroto hoc ſingulare ſymptoma, graviſſimum nempe durante paroxysmo delirium, hoc finito feliciter ceſſans, & cortici omnino obediens.

Merito igitur ad divinum remedium hoc in omnibus affectibus (qui per intervalla, & periodice redire conſueverunt) tanquam ad ſacram anchoram confugere licebit, a quacunque demum cauſa natales ſuos mutuentur, & ortum ducant. Et ſerio optandum, ut plura nobis remedia ſuppeditaret ſuppellex pharmaceutica, quibus ſuffulti equidem tam certo, ſecure ac jucunde prodeſſe poſſemus miſeris aegrotantibus, ut cum cortice peruviano.

Monachio Onoldum
miſſae d. 24. *Novembris* 1773.

OBSERVATIO VII.

Dn. D. CHRISTOPHORI THEOPHILI BÜTTNERI De

Exoſtoſi maxillae inferioris per ſectionem feliciter ablata.

Corporis noſtri partes duriſſimas, puto oſſeas, variis moleſtiis ac morboſis affectionibus ſubjectas eſſe, quotidiana nos edocet experientia. Nolo varia fracturarum oſſearum genera, a laeſionibus externis gravioribus ſaepius provenientia, in medium proferre.

Nolo luxationes oſſium in articulis crebrius occurrentes allegare.

Nolo & internam in oſſibus, *ſpinam ventoſam* dictam, & externam, oſſeam ſubſtantiam corrodentem & deformem reddentem, *cariem* commemorare.

Nolo tophos & gummata gallica, ex impuris succis ortum trahentia, hic adducere.

Nolo rhachitidem in articulis, spinamque vertebrarum bifidam considerare.

Tantummodo osseam excrescentiam vel exostosin maxillae inferioris nunc tangam, cum talem in maxilla superiori, relictis duobus dentibus molaribus, nuper ediderim, quae Volumini quinto novorum Actorum Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum, cum binis figuris aeneis, inserta legitur.

Liceat itaque mihi priorem, posteriore majorem, excrescentiam, sequenti morbi historia confirmare. Puella quaedam in pago *Ablitten;* sub praefectura Waldavienſi, duo milliaria a Regiomontio, Borussorum metropoli, dissito, anno 1753 vegeta ac optima partium externarum conformatione nata, baptizata & a patre Weigckus, *Catharina,* nominata, anno aetatis suae sexto, 1759 lapsum, & ex hoc contusionem vel concussionem maxillae inferioris & praesertim in sic dicto *mento* passa, quam mox in loco indicato, sub dentibus incisoriis, tumor initio parvus, postea vero sensim sensimque major factus excepit, qui ad annum aetatis decimum septimum sic excrevit, ut labium inferius a maxilla hac plane dimotum ac depressum fuerit, quod miserae triste non solum dedit spectaculum, sed in aliis, eam intuentibus, etiam excitavit horrorem & aversationem, hinc necessitate coacta, me, physicum loci, anno 1770 adiit, ac testimonium, cum descriptione excrescentiae monstrosae, a me petiit, quo ceu persona, ad aliorum servitia minus idonea, regium in xenodochium recipi posset.

Obtinuit hoc beneficium & ab anno 1770 usque ad annum 1773 sana, laboriosa ac corpore robusto praedita ibi vixit.

Licet vero dura haec excrescentia ossea ab anno 1770 usque ad diem amputationis non majorem obtinuerit ambitum, uti & ipsa & alii praesentes bene observarunt, sed in eodem

statu,

ſtatu, eademque magnitudine, permanſerit; miſera tamen vitae ſuae fere pertaeſa & impatiens anxie avideque, ut miſeriarum ſuarum rami amputarentur, ut Cicero ait, deſiderans, ſummis, aegrotorum in xenodochio regio curam habentem, Virum Praenobiliſſimum inſcientia medica & chirurgica experientiſſimum, inque operationibus chirurgicis manualibus exercitatiſſimum, medicinae Doctorem & Chirurgum caſtrenſem primarium legionis pedeſtris de Borck, Dominum GERVAIS, precibus efflagitavit, ut ſe miſeram ab hac excreſcentia liberaret. Quibus petitis ille ſatisfacturus, die 22. Iulii 1773. ad amputationem hujus excreſcentiae conſtituta, me ad hanc operationem chirurgicam conſilio faciliorem reddendam humaniſſime invitavit, cui etiam deſiderio lubentiſſime annui.

Quum itaque ante operationem locum fixum hujus tuberis inveſtigarem, illius firmam in medio maxillae inferioris, ſub dentibus inciſoriis, ſiniſtro canino & duobus anterioribus molaribus, jam nunc deficientibus, obſervabam ſedem, & quidem in illo loco, ubi haec maxilla poſt partum ex duobus adhuc fruſtis conſtans, mediante cartilagine, per ſynchondroſin conjungitur, poſteaque concreſcit ac indureſcit, qui locus prominentiae proprie *mentum* dicitur.

Ex hoc loco progrediebatur proceſſus vel petiolus, vel caulis, vel ramus quidam nominandus, cujus perimeter unum & dimidium, craſſities vero unum pollicem non ſuperabat, & ſenſim in maiorem, latiorem, denſiorem, fere ovalem & parvo capiti ſimilem excreſcentiam ſeſe finiebat.

Dentes quatuor inciſorii, ſiniſter caninus & duo molares anteriores ſiniſtri maxillae inferioris, ex hac excreſcentia, ob laeſionem alveolorum, ſponte deciſi obſervabantur, quorum unum & ultimum dentem caninum ſiniſtrum, modo ex alveolo jam nimis dilatato, pridie celeberrimus operator extrahere juſſerat.

Excrescentia ipsa plane abominabilis cuticulae & cuti circumcirca firmiter adnata, cum maxilla inferiori parallela, seu in directum jacens, aut horizontalis cernebatur, nec tactui externo cedebat, ideoque non mollem, non membranaceam, non cartilagineam, sed compactam osseam substantiam externam nacta erat.

Liceat mihi hanc excrescentiam, respectu supra descripti processus vel petioli brevis, *caput* vel *corpus* nominare, cujus pondus post amputationem, cum integumentis & subjecta pinguedine, quinque uncias & quinque drachmas tenebat.

Scalpello hanc exostosin a maxilla inferiori solvere haud possibile erat, hinc nominatus operator, ad miseram ab hac mole liberandam, cutem, quae processum vel petiolum brevem egredientem circumdabat, & sub hac periosteum firmiter adnatum, circuli instar, mediante cultello, gallice *bistourie* dicto, usque ad osseam hujus exostoseos substantiam separare necesse ducebat, postea vero, labio inferiori bene munito, parva serra, descriptum processum hujus excrescentiae, aliquot minutis, amputabat & auferebat.

Summa quidem, ex arteriis discissis, sanguinis profusio sequebatur, ast sine omni vulneratae lipothymia & virium prostratione, hinc post sufficientem sanguinis effluxum, vulnus, turundis & spleniis tectum, fasciae ope, rite obfirmabatur ad majus sanguinis profluvium avertendum, & vulneratae quietum vitae genus gerendum ordinabatur, quod etiam bene observavit, & sine omni febris accessu optime convaluit, nec non maxime hilaris & contenta nunc vivit.

Labium inferius antea a maxilla quindecim per annos separatum & ab exostosi depressum, mediantibus fasciis applicatis, ad naturalem redit situm, & non amplius, ut antea, deorsum vergit. Quo integumenta ab hac exostosi rite separare possem, illam per aliquot dies maceravi, in qua quidem summum edebat foetorem, ast separatio eo melius succedebat.

Se-

Separatis integumentis, hanc exoſtoſin adhuc in aqua recenti per aliquot dies detinui, quo ſucci interne collecti rite extraherentur, quibus itaque extractis, exoſtoſin libero expoſui aeri ac plane exſiccavi, quo eo melius ſubſtantia externa mere oſſea, interna vero ſpongioſa, celluloſa vel cavernoſa cognoſcatur, hinc ficca nunc facta excreſcentia tantummodo unam & dimidiam ponderat unciam; ex quo pondere mutato jam levitas hujus exoſtoſeos ac ſpongioſitatis internae major copia ſatis dilucide apparet.

Tota excreſcentia in ſuperficie externa ſuperiori & inferiori maxime inaequalis, aſpera, minus laevis, multis ſulcis, impreſſionibus, parvis foveis & eminentiis ſtipata eſt.

Proceſſus vel petiolus a maxilla inferiori ſerra ablatus non perfecte rotundus, ſed oblongus, cujus axis major unum & dimidium, minor vero axis unum tantummodo tenet pollicem.

Proceſſus hic ſuperius tantum ſpongioſus cernitur, inferius vero tabula alba oſſea obducitur, quae firmiſſima & ſub ſe ſpongioſam continet ſubſtantiam.

In hoc proceſſu ſuperius amplum adeſt foramen, quod alveolus unius fuit dentis, ante operationem extracti. Id cute tegebatur, nec tam amplum, uti nunc poſt ſeparationem cutis, apparebat. In hoc foramine interna cavernoſa ſubſtantia oculis ſatis ſe praeſentat.

Sub proceſſu deſcripto inferius cavitas ſcaphoidea vel navicularis, cute & adipoſa ſubſtantia tecta, latebat, quam denudatam nunc externe vere oſſeam & unum fere pollicem a proceſſu diſtantem cernere licet.

Menſura a dicto proceſſu ſuperne usque ad locum inferiorem excreſcentiae ſumta ſex continet pollices.

Exoſtoſis ipſa caput oblongum ſimulat, &, uti ſuperius jam dictum eſt, in ſuperficie ſuperiori & inferiori multis parvis & majoribus eminentiis ac interpoſitis foveis vel ſulcis gaudet.

Cir-

Circumferentia hujus excreſcentiae nondum plenarie ſex comprehendit pollices, & jure ſpongioſo-oſſea nominari meretur exoſtoſis.

Unde haec excreſcentia proprie orta? facile explicanda eſt.

Perſona haec anno aetatis fuit ſexto, quo lapſum ad maxillam inferiorem paſſa, ex hoc lapſu vero contuſio gravis, maxillae hac aetate adhuc valde tenuis, ſpongioſae, ſucculentae, perioſteo, vaſis ſanguiferis nervisque ſubtiliſſimis ſtipatae, exorta, quam non ſolum, in vaſis minutiſſimis nimis compreſſis, conquaſſatis, inflammatis, circulus ſanguinis interruptus, ſed & perioſtei hujus maxillae laeſio & ſub hoc ex ſanguine extravaſato ſuppuratio excepit. Perioſteo enim laeſo & ab oſſe ſeparato majorem extenſionem os ipſum pati debere experientia confirmat.

Quia in hac aetate infantili ſucci vel humores, majori copia, ad meliorem oſſium elaborationem ac majus robur conciliandum adducuntur, facile a contuſione externa ſtagnationes & extravaſationes humorum in vaſis ſic dictis capillaribus ſanguiferis exoriuntur, quae perioſteum oſſa arcte cingens & figuram vel terminum unicuique oſſi praeſcribens, facile ab oſſe ſeparare valent; hoc facto, collectis & accumulatis humoribus in loco laeſo & debili, oſſa adhuc ſucculenta ſucceſſivam experiri excreſcentiam coguntur, quod in carie, tophis, aliisque excreſcentiarum oſſearum generibus apparet.

Ex hoc fundamento oſſea haec excreſcentia maxillae inferioris recens interne tota ſpongioſa, ob copiam multorum ſuccorum quoque majus, poſt emacerationem in aqua & exſiccationem vero ab his liberata minus habuit pondus.

Quod vero ab anno 1770. usque ad annum 1773. non majorem molem & extenſionem ulteriorem excreſcentia haec obtinuerit, rationem veram eſſe cenſeo, quod non amplius tanta copia ſuccorum internorum congeſta ac depoſita fuerit, quia potiora viſcera thoracis & abdominis, accreſcentibus annis, majo-

majorem nutritionem & elaborationem requiſiverunt; inque annis pubertatis menſium fluxus rite promotus & ſecutus congeſtiones ſanguinis majores ad laeſam hanc maxillam impedivit, hinc ex humorum ſuperfluorum defectu in eodem ſtatu permanſit, quem ab anno 1759. poſt lapſum ſucceſſive creſcendo, usque ad annum 1770. obtinuit, ſicque ab anno 1770. usque ad diem operationis 1773. ulterior & major excreſcentiae ambitus plane tunc deſiit.

Tab. I.

Fig. 1. Superficiem ſuperiorem repraeſentans.
a. a. Proceſſus vel petiolus parvus unius & dimidii pollicis latus & unius pollicis craſſus maxillae inferiori accretus.
b. Foramen vel alveolus dentis canini exemti.
c. c. Bina foramina, quae alveoli dentium fuerunt.
d. d. d. Variae eminentiae in ſuperficie ſuperiori.
eeee. Varii ſulci vel variae impreſſiones in hac ſuperficie.

Fig. 2. Superficiem inferiorem exhibens.
aa. Proceſſus vel petioli ſuperficies inferior.
b. b. b. b. Cavitas navicularis ſub hoc proceſſu inferius ſita.
c. c. Subſtantia celluloſa vel cavernoſa hujus proceſſus.

Regiomontio Onoldum
miſſa die 27. Novemb. 1773.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. FRANCISCI ZANETTI
De
Rhachitide.

Depravatam in hoc morbo eſſe nutritionem, vel ipſi ſenſus manifeſtant, omnes enim corporis partes male nutriuntur, dum aliae marceſcunt, aliae vero in molem juſto majo-

rem excrescunt. Et quamvis hic infantum morbus valde pertinax sit: congruis tamen remediis per aliquot hebdomadas continuatis tandem depellitur. Sequenti methodo plurimos patientes a rhachitide liberavi.

1) Cacochymiam primarum viarum per rhabarbarum, vel ejus cum cichoreo syrupum, & aliquando etiam, si opus est, per lene emeticum ex radicis ipecacuanhae aliquot granis educendam curo; & hoc pro scopo purgante.

2) Decocti alterantis tria vel quatuor cochlearia de die sumenda ad tres hebdomadas praescribo: R. Herb. rutae murar. cort. aurant. rad. osmund. regal. aa ʒj. curcumae ʒß. Incis. ebulliant cum vini albi generosi & aquae font. aa ℔j. Colat. expr. adde in nodulo incluſ. rhabarb. elect. & croc. mart. aper. aa ʒij. sacch. alb. q. s. Quibus elapsis hebdomadis, loco decocti *Ens Veneris Boyleanum*, (quod describitur in ejusdem exercit. de utilit. philos. natural. experiment. pag. 234. §. 14.) in panatellis exhibitum ad pondus granorum quatuor vel quinque, plus minusve juxta aetatem vel morbi magnitudinem per dies quindecim substituo, interposita tamen de quarto in quartum dosi congrua rhabarbari pro corporis purgatione. Transacto hoc tempore per duas hebdomadas remediis internis jubeo feriari. Demum ad secundam dosin entis veneris devenio, atque exigente morbo etiam ad tertiam, quartam & plures procedo, servatis modis & formis ut supra, donec debiliores corporis partes vim aliquam & firmitatem consequantur.

3) Toto curationis tempore embrocationes coxis, cruribusque hoc linimento omni vespere adhibendas curo. R. rad. osmundae regalis minutim incisae, fol. salviae, roris marini aa ʒj. coq. cum vini albi generosi ℔iv. consumta tertia parte F. colatura expressa, cui adde ol. lumbr. terrestr. ℔iß. coq. denuo ad tertiae partis remanentiam.

Partes inunctae leviter fricentur, dein panniculo subtili laneo involvantur, postmodum puer fasciis obvolutus in culla re-

recubetur, ſuppoſito infirmis vertebris pulvillo potius duriuſculo.

4) Quoad victus rationem haec ſunt ſervanda. Pro pueris adhuc lactantibus nutrix ſana, recens ac juvenis boni habitus, victu potuque non abutens ſeligatur, ita, ut hac cautela lac bonum dulce ac mediocriter dilutum habeatur. In ablactatis victus ſit tenuis, facillimaeque digeſtionis. Potus vero decoctum ſimplex radicis osmundae ac graminis etiam ſaccharo dulcoratum.

5) Interim prae reliquis cum PLATNERO (opuſc. tom. I. diſſert. 4.) ut vanum & noxium, imo ut pernicioſiſſimum repudiandum eſſe cenſeo morem illum pueros miſeros thoracibus duris, rigidis ferreisque includendi, quo ea, quae e ſede ſua ceſſerunt, valentius premantur. Compertum eſt enim, has deformitates in rhachiticis pueris non parum emendari, dum decreſcente per aetatem morbo ſuccus laudabilis, & ſatis virium corporibus redit haecque latius increſcunt. In quibusdam infantibus firmari poſſe aliquantulum corpus, experientia docet, ſed mediante thorace potius flexili, ocreisque pariter in pueris jam incedentibus, unica tamen intentione, ne magis vitientur partes in earum figura, interdicto tamen omni motu nimis exercitato ſive ſtando, ſive ambulando.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. FRANCISCI ZANETTI

De

Scrophularum medela.

Strumae, ſive ſcrophulae non ulceratae per ſe difficile tolluntur, niſi ferro, ut aliqui volunt, uſu tamen horum remediorum, cum moderata victus ratione, raro mihi defuit earum curatio.

R. Sapon. Venet. Extr. cicutae āā ʒij. Milleped. ppt. Mercur. dulc. āā ʒß. G. ammon. depur. ʒiß. M. c. ſ. q. ol. amygd. dulc. f. pilulae num. CC. Dentur puero decenni duae, adoleſcentulo tres alternis diebus mane jejune, vel etiam quatuor. Die vacuo a pilulis ſumendum eſt decoctum ex rad. ſarſaparilla, china, bardanae, ligno lentiſci &c.

In ſcrophulis apertis, poſt corporis purgationem cum electuar. lenitiv. & diacatholico, quae etiam repetatur omnibus decem diebus, efficaciſſimum eſt hoc linimentum quotidie renovandum, donec detergatur ulcus & cicatriſetur perfecte. R. fellium bovin. num IV, vel VI. ol. fl. liguſtri per infuſionem q. ſ. arſen. alb. pulver. ʒj. Exponantur in vitro clauſo calori ſolis vel camini ad tempus, hac tamen cautela, ut materia aliquoties cum aliquo ligno ad modum ſpatulae dimoveatur. Praeparatum ſic linimentum ad opus extendatur ſupra linteum carptum, ut ulceri applicetur, poſt viginti quatuor horarum ſpatium renovetur medicatio, abluta prius parte aceto vini fortiſſimo. Hoc linimentum applicari etiam poteſt ſtrumis non apertis pro earum maturatione, ſed hoc exigit longum tempus.

Cannobio Onoldum
miſſae die 6. Decemb. 1773.

OBSERVATIO X.

Dn. D. HANNIBALIS MARIOTTI

Inopinata mors ab arteriae phrenicae ruptura diuturnum vomitum conſecuta.

Nobilis adoleſcens, Hippolytus Ceſarei Peruſinus, aetatis annum agens XXV. temperamento praeditus ſanguineo-phlegmatico; ſtatura quidem proceriori, quam quae per tempus expectanda fuerat; facie coloratiori corporisque habitu nonnihil laxo & ſubpingui; cum vitam a morbo fere immunem ſem-

ſemper tranſegiſſet; ſi frequentes tantum vehementesque vomitus exceperis, quibus in navigatione peſſime vexatus quotidie fuerat, dum in Hieroſolymitanum equeſtrem ordinem adlectus, in Melitenſibus ac Centumcellenſibus triremibus triennio plus meruiſſet; in patriam nuper reverſus, ut ſuaviſſimo vitae otio frueretur, ſuae nimio plus fortaſſe confiſus perfectae valetudinis ſpecie, nihil ſibi interdixit, quod in cibo, in potu, in corporis exercitatione, aut in alia re qualibet ad honeſtam voluptatem pertineret: gratis vero quibuscumque, utut deterioribus, liberius utebatur, quam quod oportebat. Animi is quidem recreandi gratia, ineunte Auguſto menſe vertentis anni 1772. nihil ſolis æſtum, intempeſtivas refrigerationes nihil timens, venatus laboribus jamdiu aſſuetus, ad plura ab urbe noſtra milliaria biduo juveniliter equitaverat; cum peregre rediens, aliquod incommodae valetudinis indicium prae ſe ferre viſus eſt; quam tamen cum omnino negligeret, duos tantum poſt dies, videlicet pridie Nonas Auguſti veſpere me accerſivit. Quae praeceſſerant percontatus, & praeſentem mediocrem febrim, quae ex catarrhalium genere erat, capitis gravedini, artuumque hebetudini conjunctam animadvertens, ſanguinis miſſione primum propoſita (quam tamen illi inſuetus eques non valde probavit & in ſequentem diſtulit diem) nil aliud aegrotanti interea praeſcripſi, niſi paregoricam emulſionem ex melonum ſemine, cui pauca nitri depurati grana fuerunt admixta; vitaeque regimen opportunum. Poſtridie mane ad eum reverſus, tota nocte leni madore perfuſum fuiſſe accepi: At vero febris haud ſatis remiſerat; rubicundior erat facies, arebat lingua, & maxima ad vomitum aderat proclivitas; ita ut nihil potius fuerit aegrotanti, quam ut emeticum a me flagitaret; quippe qui, cum neque anxietate, nec ſpirandi difficultate, nec vehementi calore, nec dolore capitis, aut pectoris urgeretur, in animum ſibi induxiſſet ſuum, evacuato per vomitum adeo ſibi familiarem ventriculo, in vado futura eſſe omnia. Facilem dictis aurem praebere ego ſimulo: at emeſi miſſionem ſanguinis praemittendam eſſe enixe

contendens, hanc fieri extemplo jubeo, eductis a saphena decem circiter sanguinis unciis, qui nihil quidquam vitii alere visus est, res multo melius quam ante ire profecto coepit. Siquidem & febris imminuta est, & faciei color, & capitis gravedo & hebes membrorum dolor ita remisit, ut tota illa die ad seram usque noctem amicorum colloquiis jucunde vacaverit, libenter coenatus in utrumvis oculum tota nocte placide conquieverit, & jam sibi convaluisse omnino videretur. Quae tamen a sumno mane hujus diei coeperat ad vomendum proclivitas, quaeque identidem per ipsum diem aegrum vexaverat, sequentis diei mane adhuc perseverabat; ita tamen, ut a solo largiori potu vomitus excitaretur, quo nil, praeter ipsum potum, & viscidas materias, e ventriculo extrudebatur. Accedebat praeterea hujus tertiae diei mane aliqua oris amarities, & linguae sordes; tum sensus quidam repletionis in abdomine, ut ipse referebat aegrotus; qui proinde vomitorium medicamentum iterum hoc mane vehementer etiam atque etiam a me flagitabat. Ego autem contra, bono quidem omine, emetico omnino posthabito, alvum unice subducere volui medicamento praescripto ex manna, sena, & cremore tartari, succo limonum paratis; tum quod medicamentum hujusmodi quotidiana praxis nostra in hac civitate jamdiu plurimum commendaverit; tum eo etiam animo, ut potionis jucunditate vomitum, si fieri posset, ab assumpto medicamento prohiberem. Ex voto tamen res omnino non cessit. Ubi enim primum alvus fluere coepit, ventriculus quoque aliquot vomitionis nisus passus est, qui iterum a prandio increbuerunt, ita tamen, ut rejecto potu stomacho minus grato, una cum viscidis ejusdem stomachi recrementis, & aliqua cibi portione, facile sedarentur, nihilque alvi purgationi officerent, quae quinquies per illum diem subducta est, nullis excitatatis turbis, magnoque cum aegri levamine, qui ab excretis faecibus nauseam paullatim imminutam, oris amaritiem emendatam, ventris gravedinem sublatam, omnia denique in melius conversa

vespe-

veſpere fatebatur. Hinc adventanti mihi hoc primum habuit, ut vinum in coena bibendum peteret, ſe jam perfecte convaluiſſe affirmans, lecti moleſtiam diutius ferre non poſſe, & opus ſibi eſſe, ut ventriculi morſus cibo aliquo interea leniret, quippe qui a ſervata diaeta, alvique purgatione vacuus, & languens refici omnino vellet. Explorato identidem pulſu, cum vix quidquam a naturali ſtatu alienum in eo deprehenderetur aliorum etiam judicio, qui hac in re multiplici experientia inſtructi atque honeſta curioſitate compulſi, ut ferme fieri ubique ſolet, mecum illum tentaverant; haud aegre conceſſum fuit, ut panis fruſtulo aqua madido, & aceto ſaccharoque condito famem aliquanto compeſceret. Et ſane mirifice ſe exinde refectum ac recreatum faſſus, & de coena tamen adhuc anxie ſollicitus, ſuaviſſima conſanguineorum atque amicorum ſtipatus corona, juveniliter per lectum exultare, ludicrosque cum illis ſermones ad integram ferme horam familiariter ſuo more conferre non deſtitit; donec repente ad ſeſquihoram circiter noctis ejusdem diei VIII. nempe Idus Auguſti inter riſus, jocosque, novo veluti excitato ad vomendum niſu, lecto ut inſideat magno impetu ſeſe attollit: convelluntur hinc artus, & collum; livore ſuffunditur facies; magnus ab imo pectore, inconditusque exprimitur clamor; gelido madent ſudore genae; & fulminis quaſi ictu perculſus, in ſuorum conſpectu ac paene in patris ſinu, nullo edito verbo, quam citiſſime occumbit.

Poſtridie mortis, quae quidem bonis omnibus acerbiſſima, & quo magis, non dicam novitate ſua, ſed perſonae dignitate ſpectabilis, eo etiam gravior ac terribilior univerſae fuit civitati, cadaveris ſecandi venia ab humaniſſimis conſanguineis impetrata, ad tres circiter noctis horas ad id ventum eſt; una mecum dilectioni adſtantibus Viris clariſſ. Nicolao Orſino Medico experientiſſimo, atque in patrio Peruſino Lyceo Medicinae Profeſſore, Aloyſio Bertinio Medico Lucenſe doctrina ingenioque praeſtanti, qui Peruſiae tum aderat, aliisque permultis

tis lectiſſimis viris, qui curioſitatis cauſa, ſpectatum venerant; praeter eximios civitatis noſtrae chirurgos Antonium Federicium, publicum theatri noſtri anatomici inciſorem, & Peregrinum Schiavinum jampridem in Senenſi Lyceo Proſectorem; quorum manibus peracta eſt diſſectio.

Retecto cadavere, collum ſub ipſo mento nonnihil livere animadvertimus, ſicut & pectus: licet impenſius antea praedictas partes livore ſuffuſas fuiſſe acceperimus. Ad thoracis diſſectionem accedentes, in quo unice tam ſubiti atque improviſi interitus cauſam ex perrupto aliquo inſigni vaſe nos facile reperturos praedixeram, deductis integumentis, ſuperiores externi muſculi intercoſtales, maxime dextri, qua coſtis, ſternum verſus, tendineo ſtrato infiguntur, inſigniter laeſi, & quaſi avulſi, perruptique conſpiciebantur. Remotis deinde coſtis, ſeſe primum nobis obtulit haud exigua ſanguinis copia, quae univerſam ſiniſtri thoracis cavitatem inundaverat, quaeque duas circiter libras cum ſemiſſe viſa eſt aequare. Cum nihil pulmones exhibuerint, quod praeter naturam eſſet, ſi eorum tantum ſolito debiliorem habitum excipias; continuo cor, eique adnexa vaſa diligenter inſpicere curavimus. Cor itaque magnitudinis longe majoris, quam eſſe ſoleat, repertum eſt, ejusque univerſa compages admodum laxa, debilisque obſervata fuit. Ventriculorum parietes extenuati erant, vehementerque diſtracti, atque in medio eorum cavo, quod longe ſolito majus erat, modica nigricantis denſatique cruoris copia deliteſcebat. Ejusdem cordis auriculae coronaria vaſa, utraque arteria, aorta ſcilicet, & pulmonalis, haud minus ac illis reſpondentes venae praeter modum expanſae erant, & quaquaverſus aequaliter diſtractae. Singula haec autem vaſa ſedulo conſiderantes, animadvertimus, ſuperiorem aortae deſcendentis partem, quae tota livebat, duobus pertuſam foraminibus, orbicularis formae, lentis magnitudinem ferme aequantibus, ad quorum margines ſubnigricans haerebat ſanguis, majori copia facile hinc effluxurus, ubi illuc data opera

ra adigeretur, inferiori arteriae portione leniter digitis undequaque compreſſa. Hujusmodi autem bina foramina, quae dimidium ferme unciae a ſe diſtabant, illi prorſus loco reſpondere viſa ſunt, in quo ab aorta producitur arteria phrenica, ſeu diaphragmatica ſiniſtra, quae cum duplici ramo, & quidem utroque ſupra diaphragma, ab illa emergeret in noſtro ſubjecto, quemadmodum in aliis ſimiliter obſervatum ab aliis fuit; duplex propterea foramen a trunco tota avulſa in eodem trunco reliquerat. Diaphragma prae flacciditate ſua ſatis conſpicua nonnihil infra abdomen depreſſum erat, & magna ſuorum vaſorum pars praeter modum ſanguine turgebat. In abdomine ventriculum longe ampliorem offendimus, quam ſoleat, & undique laxum. Hujus pariter vaſa nigro ſanguine plurima livebant. In inteſtinis nullum deteximus vitium; praeterquam quod duodenum & reliqua tenuia ſolito infirmiora, ampliora-que viſa ſunt, atque alicubi livido colore infecta. Quae reſtant abdominalia viſcera, omnia mole aucta, & laxitate immodica conſpicua erant; maxime vero ſplen ita fluxum, ac fere dixerim corruptum apparuit, ut modica digitorum preſſione diſcerperetur. Caput ſectioni ſubiicere ſupervacaneum duximus, quod ſatis abunde cauſam mortis praecordia exhibuerint, quin ulteriori indagatione eſſet a nobis alibi inveſtiganda.

Ut autem obſervationis noſtrae aetiologiam breviter perſequamur; ea, quae morbum praeceſſerant, conſideranti vix dubium eſſe poſſe arbitramur, diuturnum vomitum, cum quo in mari nobiliſſimus eques aſſiduo cum angore fuerat conflictatus, primam dediſſe praecordiorum vitio occaſionem, quod deinde, nova ſubeunte cauſa, promotum & auctum, repente vitales deſtruendo actiones, inopinatam, ac ſubitaneam mortem intulerit. Nemo eſt in phyſiologicis doctrinis paullo verſatus, qui neſciat, quas vomitio in humana oeconomia turbas excitat; & quos ſaepe exinde natos funeſtos effectus medici viderint, ob illa maxime vitia, quae in praecordiis creare ſo-

let. Quae quidem vitia si non iis omnibus contingunt, quorum pectus validis contentionibus exercetur: *id*, ut probe celeberrimus MORGAGNUS notat, *aut firmior vasorum, quae circa praecordia sunt, structura efficit; aut levior minusque assidua contentio, atque agitatio; aut denique minor copia sanguinis, meliorque conditio; ut sic ad eam, quam diximus, causam aliae distendentes aut erodentes non accedant* (de sed. & caus. morb. ep. 18. §. 24.). Nostro autem in adolescente, fato veluti quodam, ea omnia concurrere visa sunt, ob quae in praecordiis insigne vitium a vomitione oriretur. Naturalis enim fibrarum laxitas in illo erat satis conspicua, cujus haud obscurum indicium prae se ferebat ipsa praecox corporis proceritas: tum etiam humorum acrimonia aderat haud vulgaris; quippe quae abesse non poterat in fervidae aetatis juvene, cibis durioribus, fermentatis liquoribus, vino meraciori, exercitationibus immodicis jamdiu maxime dedito. Vehemens autem longeque assidua pectoris contentio certe non defuit, quando a prima in navim conscensione, ad ultimum excensum usque, ut a domesticis mox rescivimus, quotidie pluries immani vomitu per triennium, & ultra quati consuevit; quin diuturnus maris usus quidquam utilis fuerit nimiae diaphragmatis, ventriculique irritabilitati moderandae, quae a navis jactatione, ut ut mediocri, contra inertiae vim spiritus animales, aliosque humores agente, jugiter affici perseveravit. Cum vero inter partes, quae maxime a vomitu afficiuntur, potissima sit diaphragma; facile fuit, ut hoc immaniter quotidie saepius per triennium convulso, paullatim arteria phrenica debilitaretur, ac distraheretur; donec tandem, novis accedentibus vomendi conatibus, a trunco avulsa dehiscceret. Quidnam autem causae fuerit, cur haec prae ceteris arteria, eoque maxime in loco, quo ab aorta prodit, a vomitu laederetur, non facile est dijudicare. Expensa tamen pene immediata septi transversi convulsione in vomitu; cognito nexu ejusdem arteriae cum trunco aortae ad angulum acutum (HALLER elem. physiolog. Lib.

2.

2. Sect. 1. §. 19.) animadverſaque ipſius arteriae debilitate eo majori, quo cordi illa proximior eſt (Haller. op. cit. ibid. §. 14.); facti ratio coniici aliquo modo poteſt; maxime vero ſi in tanta vaſorum omnium debilitate, ſpecialem hanc arteriae phrenicae ponamus univerſali majorem natura extitiſſe; quando, ut elegantiſſimus CELSUS monuit, *raro quisquam non aliquam corporis partem imbecillam habet* (Med. lib. 1. cap. 3.) & hujusmodi prae ceteris in adoleſcente noſtro fuiſſe diaphragma vel ille ipſe oſtendiſſe videtur labor, quo aliquot ante annos afficiebatur, quotiescumque tibias inflabat, a quarum proinde tractatione, ut nuperrime relatum eſt, mature deſiſtere prudenter conſtituit.

Hanc vero arteriae phrenicae debilitatem in ſuo nexu cum aorta diu deliteſcere potuiſſe, quin ſui ullum unquam ediderit ſignum; iis tantum inveriſimile videri poteſt, qui neſciunt, quot in praecordiorum vaſis graviſſima aliquando obſervata fuerint vitia, incolumi prorſus ſanitate, diu protracta, ut ex multorum eruimus obſervationibus, atque ab optimis diſcimus hac in re ſcriptoribus locupletiſſimis IOANNE MARIA LANCISIO, PETRO SENACIO, atque Italicae Medicinae ornamento nuperrimo Io. BAPT. MORGAGNO. Ut enim nonnulla tantum ab hoc poſtremo deprompta proferam, ad rem, de qua agimus, proxime pertinentia; quis ſibi laeſionem ſomniare potuiſſet in corde nobilis illius viri habitus formoſioris, atque athletici, qui ad latus uxoris repente mortem occubuit, & in cujus cadavere *ruptura ſiniſtri cordis ventriculi prope oſtium aortae* reperta fuit, cujus *nulla ſigna* praeceſſerant; ut ex BOHNIO MORANDUS, ac denuo praelaudatus Morgagnus refert in ſuo abſolutiſſimo opere de ſed. & cauſ. morbor. ep. 27. §. 1? Quis divinando aſſequi potuiſſet arteriam magnam inſigni vitio laborare in altero viro nobili bona corporis habitudine, craſſis & vulgaribus cibis, & generoſo vino dedito, cujus mentio eſt cit. loc. §. 28. in quo tamen ſubita morte ſublato *aorta rupta* inventa fuit intervallo a corde digiti circiter transverſi?

Jam vero frequentiores ubique sunt hujusmodi observationes, quam ut earum aliquam non medicus quilibet se vidisse meminerit. Ita nempe in praecordiorum vitiis saepe fit, ut non dicam medentes, sed ne aegroti quidem ipsi signum habeant, ex quo illa subesse coniiciant. Quod nullum autem in nobili hoc adolescente latentis morbi signum extiterit, omnes sciunt, qui eum per integrum vitae suae cursum, nulla unquam validis etiam in motibus respirandi, nulla in utrumque latus decumbendi difficultate, pulsatione nulla praeternaturali, nulla pulsus intermittentia, aut inaequalitate, nulla animi defectione, dolore in praecordiis nullo laborasse norunt; tum iis etiam suasum esse debet, qui semel cognitum vitium ejusmodi fuisse intelligunt, ut nullo se manifesto signo prodere posset. Quod enim nonnullos absentes medicos hac in re comminisci nunciatum est, fieri nempe nunquam potuisse, ut phrenica arteria rupta fuerit, sine praecedenti ejusdem insigni aneurysmate, quod profundam saltem aliquam pulsationem multo ante creaverit; pro commento hominum revera habemus, qui, ut *Lactantii* verbis utar, *contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliena etiam vera subvertunt.* Facti veritas conjectura qualibet potior est: neque ullus alienis theoriis locus, ubi contra res ipsa loquitur apertissime. Si universalem vasorum omnium, quae in praecordiis erant, superius a nobis indicatam dilatationem, seu potius universorum lumen solito majus pro aneurysmatico haberi velint; phrenicae quoque arteriae aneurysma cum illis ponere non repugnabo. At peculiari hanc affectam fuisse aneurysmate, quod pulsationem gigneret in praecordiis, id certe nec ratio, nec autopsia concedere finit, cum nihil tale quidquam extiterit, & manifesta caeteroquin habeatur ratio, ob quam arteria illa ab aortae trunco dissilierit, in erodenti humorum indole, a qua paullatim nexus firmitas attrita fuit; in innata suarum fibrarum laxitate, in sanguinis ad illius angulum vehementi appulsu; in assidua denique suorum laterum distractione a diuturno vomitu; ob

quae

quae omnia conjunctim agentia, gracilior in dies facta, ac paullatim in ſuo cum aorta nexu debilitata, nova ſubeunte cauſſa, ſciſſa denique eſt, atque a ſuo trunco divulſa. Quid vero tantum monſtri habet obſervatio haec noſtra, ut difficilibus hujusmodi ac moroſis hominibus fidem omnem ſuperare videatur? Nonne ipſa mortis ratio excogitati aneurysmatis ſuſpicionem adimit? Audiant, quaeſo, quid hac in re doceat probatiſſimus MORGAGNUS in op. cit. ep. 27. §. 1. *Illud ſemper eſt animadvertendum*, inquit ille, *cordis aneurysmata, haud ſecus atque aortae, non ita neceſſarias ſubiti interitus cauſas eſſe, ut ſunt cordis, aut aortae ruptiones. Immo dilatationes illae, niſi eo demum pervenerint, ut nova alia cauſa extrinſecus, aut intrinſecus accedente, illico ceſſare debeat ſanguinis circumitio, lentam potius mortem afferent, quam repentinam.* Legant, ſi lubet, repentinarum mortium, quas auctores referunt ſectione cadaverum illuſtratas hiſtorias; & facile intelligent an falſa MORGAGNUS effutiverit, quando ſcribere non dubitavit, quod *etiam ſine aneurysmate interdum eroditur, effunditque ſanguinem arteria magna.* ep. 26. §. 7. Quod autem in caſu noſtro arteria haec ipſa magna eo potiſſimum loco perrupta fuerit, a quo phrenica emergit, ex iis, quae ſuperius dicta ſunt, facile inferre licet; proindeque etiam conſtat, quomodo ab hiantibus hinc in pectus foraminibus ſanguis in thoracem effluxerit, qui pondere exinde ſuo cor pulmonesque comprimendo, & ſuperioribus cruoris undis ſuccedentem ſtimulum ſubtrahendo, in cauſa fuit, ut quam citiſſime vitales motus ceſſarent atque inopinatus ſequeretur interitus. Quominus enim hanc immediatam mortis cauſſam proferamus, num illorum prohibebit opinio, qui, ut aliquid ſemper garriant, tantam ſanguinis quantitatem, quantam revera vidimus in cavo pectoris ſiniſtro effuſam, ſpatium illud nunquam capere potuiſſe obmurmurant; vel, ſi tanta etiam fuerit, ſatis illam fuiſſe negant tam citae morti creandae? Advertant oportet, qui haec loquuntur, corporis proceritati pectoris capacitatem noſtro in hoc rite con-

ſtituto juvene reſpondiſſe; quae propterea in praeternaturali ſtatu non modo binas, tresve ſanguinis libras capere potuiſſet, ſed multo etiam majorem fluidi quantitatem; ut arguere licet ex obſervationibus multorum, qui empyemate, aut pectoris hydrope interierunt, quorum in thorace non adeo etiam praegrandi plurimae ſaniei, aut ſeri effuſae librae repertae ſunt. Meminerint praeterea oportet rationum omnium, quas doctiſſimus MORGAGNUS ex optimis phyſiologicis doctrinis elicitas profert in cit. op. ad ep. 26. §. 18. ut oſtendat, quantam vim habeat mediocris etiam ſanguinis quantitas in pectore effuſa ad motus vitales quam citiſſime ſiſtendos; ut mirari deſinant quantitatem a nobis repertam illis revera citiſſime ſiſtendis ſufficere potuiſſe.

Illud quaerendum nunc eſſet, an aliquid in morbo, qui mortis inſons mortem forte praeceſſit, commiſerit medicus aut praetermiſerit, quod ab omni eum culpa immunem minime faciat. Usquedum vero nulla hac de re ad nos querela pervenerit, niſi ab hominibus, qui commiſerandi potius quam refellendi ſunt; nobis interea ſine contentione gratulari nos poſſe videmur, quod ſi non in morbo, quem inſanabilem, atque ab ipſo oedipo minime conjectandum nobis potius quam aliis maligna obtrudit; in ejus ſaltem curatione nobiscum certe adeo benigne fortuna egerit, ut nihil praeſtiterimus, quod mortem properare potuerit; contra vero remedia a nobis hujusmodi praeſcripta fuerint, quae, ſi tantum poſſent, ad aliquod certe temporis ſpatium illam potius differre potuiſſe videantur. Sanguinis miſſionem ſemel celebratam non minus cognito morbo, quam latenti praecordiorum vitio utilem, fortunate quidem iteratam a nobis non fuiſſe gaudemus; utpote qui, poſita praedicta arteriae laeſione, ex vaſorum omnium immodica laxitate, non ſine noxa id effici potuiſſe coniiciamus. Emeticum utut a natura, morbique genio indicatum, atque ab ipſo aegrotante expetitum conſtanter negatum a nobis eſſe, ejusque loco alvum blande ſubducens medicamentum exhibitum,

tum, qui non magnopere laetemur; quando res ita comparatas exinde vidimus, ut nimiorum humorum averſio a praecordiis utiliſſima, vomendi autem actio omnium eſſet aegrotanti noſtro infenſiſſima? Nonne nova ex hac noſtra obſervatione ratio ad illas accedit, quas inter ceteros immortalis VAN SWIETENUS in medium attulit, ut cum BOERHAAVIO regulae illius: *vomitus vomitu curatur*, periculum, & falſitatem oſtenderet? Adeo vero celebratam interni ſenſus vim in aegrotis qui temere attendere usquequaque poterit; nec potius, emetici deſiderium ubi hic reſpexerit, cum clariſſ. *Tiſſoto* ſtatuet, coeco aegrotantis inſtinctui haud aeque ſemper fidendum eſſe? An non potius ignotis illis vocibus auſcultandum aliquando eſſe diſcimus, quibus intimus animi noſtri ſenſus, ſuum genium dixiſſet *Socrates*, futura quaſi praeſentiens atque divinans, nos medicos perſaepe monet, ut in tanta rationum ambiguitate, quanta artem noſtram comitari plerumque ſolet, unam potius quam alteram teneamus viam? Equidem non inficiabor, quod arroganter dictum nolim exiſtimari, phyſicam aliquam evidentemque rationem me ante oculos habuiſſe, ob quam emeticum aegrotanti huic meo haud ſatis opportunum exiſtimaverim; fibrarum ſuarum potiſſimum debilitate, & ſuccorum non mediocri abundantia perſpecta, quae vel clariſſ. *Geislero* judice, emeticorum medicamentorum laudatore eximio, illorum uſum prohibent. Qui tamen tot alia neglexerim, quae hoc remedii genus poſtulare videbantur; qui aegroti ipſius deſiderio, quod conſulere ſemper ſoleo, tam conſtanter obſtiterim; dum caeteroquin illa ipſa die hujus ſorori, quae perinde ac frater, catarrhali febri laborabat, ex qua brevi convaluit, medicamentum hujusmodi fidenter praeſcribere non dubitavi; non facile ipſe ego intelligo; niſi intimum meum quoque ſenſum me audiviſſe fatear, ex quo tantopere ab emetico in praeſenti aegroto timere didicerim; meumque conſilium fortunam juviſſe cogitem, quae ſi unquam, nunc certe me non omnino deſtituit. Si enim, quando ea praeſtiti, quae & cognito & in-

co-

cognito morbo opportuna fuerant, nonnullorum tamen offensionem atque acerbitatem vitare non potui; quid futurum fuisse conjectem, si qua in re me peccasse non modo sibi suaderent, sed aliis etiam aliquo manifesto evincerent argumento? At vero, manum de tabula.

Lucca Onoldum
missa d. 23. April. 1774.

OBSERVATIO XI.

Dn. D. OTTONIS FRIDERICI MVLLERI

Molluscorum marinorum Norvagiae

Decas I.

DORIS *clavigera.*

DORIS *ovalis candida, pedicellis clavatis croceis.*
long. 10. lin. lat. 3 lin.

Mirifice & perquam largiter Creator O. M. animalculum hoc exornavit.

Corpus colore lactis albissimum, pellucidum, oblongum, antice dilatatum, obtusum, postice extensum, acuminatum, supra punctis convexis diversae magnitudinis, margine toto (caudae extremitate excepta) obsito, pedicellis albis, capite croceo, granulato, instructis; novem nempe in quovis margine laterali, quatuorque in antico minoribus, horum quatuor minora divergentia ultra medium dorsi postica versus conspiciuntur, an locum ani decorantia, quod analogia quidem jubet, foraminulum vero ne microscopio quidem detegere potui; apex caudae itidem croceus.

Pedicelli *Clavarias militares croceas* nov. act. nat. curios. Tom. IV. obs. XLV. tab. 7. fig. 5. mentiuntur.

Ten-

Tentacula duo, in anteriore dorſi, acuminata, tota crocea; haec retractilia ſunt; clavae marginales ad latus flexiles ſunt, *dorſales* corripi & produci videntur, non enim ſemper aeque viſibiles exiſtunt.

Subtus plana, tota alba; medio inteſtinum obſcurum percipitur. Caput ut in *Limacibus* a pede diſcretum, oris in medio veſtigium. Ab utroque capitis latere Papilla crocea, apice truncata, ſubemarginata, apparet.

Quoties margo lateralis dorſi aliquantum elevatur, ſeries punctorum croceorum infra eundem in conſpectum ſubeunt.

Supina in ſummo aquae quieſcere amat.

DORIS *faſciculata.*

DORIS *oblonga, alba, faſciculis marginalibus fuſcis.*

long. 8 lin. lat. $2\frac{1}{2}$ lin.

Corpus album, oblongum, poſtice acuminatum, ſupra convexum, faſciculis quinque a latere dorſi ornatum, ſubtus planum.

Lobi faſciculorum oblongi, ſublanceolati, rubro-fuſci, vel cinereo albidi, ſex in primo a capite faſciculo, dein numero decreſcunt, ac demum in ipſa cauda ſolitarius.

Tentacula quatuor, bina nempe in fronte linearia, longa, curvata, acuminata, alba; bina alia antice in dorſo, craſſiora, teretia, fuſca, apice obtuſa, alba; pone haec puncta duo nigra, quae *oculi.*

Caput ſublunatum, ſubtus ore notatum, infra hunc corniculum utrinque, transverſim porrectum, album.

More Limacis incedit, ſupinusque in ſummo aquae ſaepe haeret.

Deſcriptio Limacis *papilloſi* in *Fn. Suec.* huic convenit, at lobi, aut laciniae faſciculatae, nec tubercula nec papillae dici poſſunt.

In *Fuco* Sacharino.

DORIS *quadrilineata.*

DORIS *oblonga alba, lineis quatuor nigris, auriculis sulphureis.*
long. 4. lin. lat. $1\frac{1}{2}$ lin.

Animalculum vivax.

Corpus oblongum, extensum, album, antice obtusum, postice acuminatum, dorso convexum, lineis quatuor longitudinalibus interruptis nigris, duabus nempe in ipsa dorsi carina, reliquis in margine, maculisque sulphureis inscriptum. Frons auriculis seu mucronibus quatuor sulphureis instruitur; in antica dorsi parte *Tentacula* bina, distantia, brevia, obtusa, albida, margine crenulato, nigro; in postica trina alia corpuscula, approximata tentacula magnitudine & forma aequantia, pone haec protuberantiae duae majores cylindricae, albae, apice sulphureae.

Subtus planum, album, in medio macula intestini subrubens pellucet; in hac pagina caput a corpore rimula discretum videtur, interstitiumque utrinque puncto sulphureo notatum. Os conspicuum.

In *Fucis* haud infrequens.

DORIS *tuberculata.*

DORIS *ovata, supra undique verrucosa.*
long. 4. lin. lat. 3 lin.

An D. *verrucosa* LINNAEI, omnia conveniunt; numero Tentaculorum excepto.

Corpus aurantium, patelliforme, lamellis duabus compositum, superior pellucida, laxa, quasi tegumentum animalis, verrucis luteis magnitudinis diversae undique obsita, subtus albida, glabra; inferior ipsum corpus constituit, retractaque superiore ejusdem parte, caput detegit, figuramque Limacis *Buccini* fluviatilis capite a pede discreto prodit.

Tentacula aurantia antica dorsi parte verrucis duplo longiora exserit, & recondit; ope microscopii mihi annulata videcantur.

Verru-

Verrucae albidae, apice latiores.

In Sutura, quae caput & truncum ſubtus diſcernit, cirri breviſſimi duo vel tres difficulter conſpicui.

Buccinorum & *Faſciolarum* ad morem ſupina in aquae ſuperficie natare amat.

In *Madrepora* pertuſa.

ASCIDIA *inteſtinalis.*

ASCIDIA *elongata, laevis, alba, interaneo in collum producto.*

Tethyum ſeu Mentula marina penem caninum referens. PLANC. de *Conchis.* p. 45. t. 5. f. 5.

Tethyum faſciculatum; BOHADSCH. p. 132, t. 10. f. 4. 5.

Tethyum ſociabile; *Act. nidros.* 3, p. 81. t. 3, f 3. 4. deſcriptio bona.

Tethya RONDEL. *poiſ.* 2, p. 81.

Techia GESN. *Fiſch-buch*, p. 153.

Germ. Meer-Spitzen.

Langued. Bechus.

long. 15 lin. lat. 4. lin.

Corpus pellucidum, album, teres, elongatum, conſtans membrana exteriori tenuiſſima, hyalina, pellucidiſſima, ſtriis ſubtilibus in utrumque ſenſum inſcripta, apice aperturis duabus hiantibus corrugatis; haec in viva ſtricta laevis, in mortua rugoſa, laxa, nubeculaeque inſtar contracta. Iam pellucet ipſum animalculum figuram lagenae florentinae exacte praeferens, collo nempe tereti, lacteo, apice in pedicellum producto; infra hunc in ipſo collo protenditur alius pedicellus ejusdem longitudinis; hi aperturis membranae in vivo animali reſpondent, punctisque ſex vel octo luteis ornantur. Venter globoſus, luteus, pellucente inteſtino craſſo vermiformi, lateri intus adjacente.

Baſi ope fibrillarum *fucis* adnectitur.

Orificia aperiri & corrugari vidi.

Planci figura vivam, *Gunneri* mortuam offert. Clarissimi *Bohadsch*, Tethyum cute forti & canali membranaceo, ante dissectionem illius inconspicuo, quodammodo differt.

In variis Fucis.

ASCIDIA *gelatina.*

ASCIDIA *dilatata laevis alba, interaneo suborbiculato.*

Baster. subsec. Tom. I. p. 84. t. 10, f. a-d.

long. 2. lin. lat. 1 o lin.

Corpus album pellucidum, compressum, constans substantia *exteriori* tenaci, crystallina, duriuscula, hyalina, quali animalia aquatica ova cingere suescunt, absque omni striarum vestigio: *interiori* complanata pallida; in hujus summitate aperturae duae aequales papillas simulantes, infra marginem punctis luteis notatae videntur; a latere vero, uti in Asc. *intestinali* intestinum luteum basi convolutum, apice ad alteram animalis aperturam productum videtur.

Basi fucis adhaeret absque fibrillis aut pedicellis visibilibus.

A praecedente sat diversa; a *Basteri* solis punctis, quibus veluti hamulis obsita dicitur, discrepat, an diversitas ex loco? figurae rudes.

In Fucis haud infrequens.

ASCIDIA *Mammilla.*

ASCIDIA *globosa laevis alba, foramine solitario.*

diam. 3 lin. vel long. $3\frac{1}{2}$. lat. 3 lin.

Corpusculum sphaericum, vel cylindraceum, molle, nudum, obscure-album, non pellucidum, vertice osculo hiante instructum; hoc in papillam minimam in pluribus protensum.

In osculo motum oscitantem, liquoremque fibrillae simplicis subtilissimae instar interrupte stillantem ope lentis (la loupe) vidi. Vestigium alterius aperturae nullum detegere potui, hinc novum genus olim constituet.

In fuco *rubente* rara.

ACTI-

ACTINIA *virginea.*

ACTINIA *coccinea tentaculis cylindricis annulatis.*

long. 8 lin. lat. 7 lin.

Corpus cylindricum, albo rubroque varium, apice & baſi truncatum, margine apicis cingitur tentaculis duplici ſerie, ad minimum viginti quatuor in quavis; haec cylindrica albida, annulis binis remotis rubris, longitudine glandis dimidio diametro aequalia; oculo armato annulis confertis ſubtiliſſimis compacta videntur, lineaque obſcura longitudinalis pellucet.

Baſis cava luteſcens radiis ſubtiliſſimis a centro verſus peripheriam divergentibus inſcripta, membrana corporis externa baſi varie plicatur.

Uti Act. *trunca* locum mutat, tentaculisque conditis lapides membranulae inſtar obveſtit.

Refert figuram Act. *felinae* perilluſtris a *Linné*, ſeu *Baſt.* t. 13, f 1. at centies minor.

In lapidibus & fucis ſubmarinis rara.

ACTINIA *trunca.*

ACTINIA *conica glabra rufo-lutea.*

long. 2-8 lin. lat. 3-2 lin.

Facie refert A. *effoetam* BAST. 1. t. 14, f. 2. at centies minor, nec in pluribus exemplaribus diverſo tempore majorem dimidia uncia reperi. Polypi *Baſteri* act. angl. vol. 50, t. 9, f. 4-6. Batavis *Klapkonten* huc referri debere, ex figuris patet, deſcriptio nulla data eſt.

Corpus, tentaculis conditis, hemiſphaericum, opacum, glaberrimum, rufum; evolutis, conicum, ſubcylindricum, pellucidum, luteſcens, centro apicis pervio, roſaceo, petalis, ut ita dicam, duodecim cincto, area inter figuram roſaceam & tentacula in nonnullis fuſca, margine tentaculis acuminatis hyalinis innumeris corporis longitudine, puncto albo baſi, medio & apice notatis; hoc ſaepe evaneſcit.

Ipsum corpus armato oculo in extensione longitudinaliter & subtilissime striatum conspicitur, tentaculaque extensa basi aperta videntur.

Truncum *Salicis* expansis tentaculis valde refert.

In Fucis & testaceis; locomotiva est, basi sese pro lubitu affigens; vivam plures septimanas in vitro servavi.

ACTINIA *squamata.*

ACTINIA *pulvinata, scabra, tentaculis subramosis.*

long. 9 lin. lat. $3\frac{1}{2}$ lin.

Inter *Patellam*, *Ascidiam* & *Actiniam* ambigit, caracterem cujuslibet simulans.

Prima facie *patellam* mentitur, ejus enim instar saxis adhaeret, tegumento duro, squamuloso conditur, saxoque soluta, superficies infima molluscum glabrum, quale pes in limace, papillis minimis cinctum, prodit; penitius inspicienti in superficie convexa binae elevationes remotae, aperturas *Ascidiae* revocant, denique patientiori indagatori altera elevatio operitur, octoque tentacula alba pinnatifida sese pandunt, proque lubitu singulatim moventur. In altera elevatione nullam unquam aperturam detexi, etiamsi eandem suspicatus essem, squamulas tamen secedere, areamque nudam apparere, rursusque recedentibus squamulis tegi, rariſſime vidi.

Armato oculo puncta albida, sparsa in squamulis, conspiciuntur.

Saxis adhaeret haud frequens.

Molluſca haec, si Ascidiam *intestinalem* & *gelatinam* parum notas exceperis, quas, quia confudere auctores, huc quoque, descripsi, ignota prorsus & nova, in sinu *Christianiensi* Norvegiae, qua *Dröbachium* alluit, aestate anni 1773. expiscatus sum.

Hafnia Onoldum
missa d. 3. *Maii* 1774.

OBSER-

OBSERVATIO XII.

Dn. Lic. IOANNIS FRIDERICI CONSBRVCH

De

Foemina quadam ex febre putrida petechiali laborante, atque in ea singulari sensu frigoris in ventriculo & intestinis afflicta.

Foemina quaedam quadraginta circiter annorum, Wirtenbergici pagi Enzweyhingen incola, ex aliquo tempore multis afflicta erat injuriis, atque, ut est taciturna & meticulosa, captam ex iis indignationem plerumque imo sub pectore condebat, & memores fovebat iras. Aestate anni 1773. multa bilioſa forte evomuit. Die 16. Novembris laxans quoddam infusum assumsit, frequenter ipsi alvum movens. Die insequente vehemens horror invasit aegram, ab hora quarta vespertina ad nonam usque perdurans; tum calor toto corpore accendi incipiebat, maximam vim ab hora ista nona usque ad duodecimam nocturnam exerens. Iam vires labebantur, caput artuumque articuli dolebant, hypochondriis etiam ossisque sacri regioni dolor aliquis inhaesit, & praecordia ex spasmodicis laborarunt anguſtiis. Ea symptomata die 18. Novembris per vices rediere. Die 19. ego de venaesectione consultus sum. Scire autem convenit, sanguine abundanti foeminae noviſſime juſto parcius fluxisse menstrua. Quamvis haud ignorarem, febrem hanc putridam petechialem, frequenter ex larvis pleuriticis subdola initia capientem, in famosa nostra Epidemia, multis imposuisse barbitonsoribus, ut ultra emplastra & unguenta nimis altum sapientes, magno aegrotantium damno morbum repetitis venaesectionibus aggrederentur; ego tamen ad sanguinis missiones his in febribus minime facilis, aegrotae venaesectionem permisi. Prolectum sanguinem parum seri exhibuisse, & cruori lividam crustam esse innatam, mihi denunciatum est. Alias vero emissus in hoc morbo sanguis, floridus

ridus esse consuevit atque tenuis. Die 20. post inquietam noctem consueta febrilis exacerbatio vespertinis horis rediit. Propinatum a me laxans & bene alvum duxit, & aliquot movit vomitus acido sapore molestos. Die 21. aegrotam conveni; ea inprimis vehementem in occipite dolorem accusabat, brachiorum articulos adhucdum dolor tenuit, pulsus parvus fuit & celeriusculus. In collo, pectore & brachiis rubrae hinc inde petechiae apparebant, maculis istis a pulicum morsibus exortis consimiles. Circa praecordia angustiae haerebant, & abdomen multis turgebat flatibus. Cum autem hodie aegrota, nullo permota medicamine, biliosa evomeret, eam etiam atque etiam rogavi, velit demum periclitatae vitae suae melius consulere, & implacabile adhuc in vomitoria deponere odium. Illa aegre obtemperans, devoravit tandem emeticum, quod multum biliosae saburrae excussit. Nox parum attulit somni. Die 22. versus meridiem & serius horrores subinde incidebant, quos calor insequebatur, capitis dolorem revocans. Nunc corpus petechiis scatebat, nullis tamen earum in facie apparentibus. In cruribus stupor quidam percipiebatur. Die 23. mihi relatum est, noctem fere omni somno orbam fuisse, dein hoc mane parum cruoris e naribus stillasse. Post meridiem foeminam contra morem suum loquacem inveni, facies intense rubebat, pulsus parvus erat & celer, caput denuo subitus invadebat dolor, & totum corpus aliquoties repentinis quatiebatur convulsionibus. Vesperi utrique pedi vesicans emplastrum admotum est. Nox bona, neque prorsus insomnis transacta. Die 24. calorem inveni modicum, pulsum parvum & aliquantulum celerem, oculi turbidi erant, ac paulum inflammati, sermo pacatus, capitis dolor exiguus & auditus aurium susurru ex parte impeditus. Fauces tenax mucus obsidebat, crebri screatus necessitatem faciens. Igitur syringae ope in fauces injectiones fiebant, quibus multum muci emissum fuit. Stricta jam per aliquot dies alvus lotione ducebatur. Post solutam alvum meliuscula aegrota, at nocturna quies defecit, cum

ob

ob vehementem calorem, tum ob diſtentum flatibus ventriculum. Die 25. remittebant & calor & flatulentia, ac ulcera cantharidibus excitata parum ſuppurabant. Die 26. lingua purior, tuſſis rara, ſanguinisque e naribus profluvium. Orta quoque eſt levior quaedam dyſuria, quam cepae in lini oleo toſtae & ſuperdatae pubis regioni multum mitigarunt. Mucus fauces laceſſens nocturnam turbavit quietem, & crebras oris collutiones exegit. Die 27. calor ſatis mitis, faucium moleſtiae nondum diſcuſſae, mictio difficilis, nox inſomnis, alvus magis ſoluta, faeces liquidae & aliquoties cum teneſmo eliſae. Mane diei 28. novum apparebat ſymptoma, ſiquidem aegrota de ingenti frigore in ventriculo & inteſtinis querebatur. Poſt meridiem ipſe adfui, ſupererat, teſte aegra, ſolo in ventriculo ſenſus iſtius frigoris. Cataplaſmata emollientia, ſuperdata abdomini, imminuebant frigus illud, ſed excitabant ſanguinis ad caput impetum fluxumque cruoris e naribus, quocirca omitti debuerunt. Tum vero & abdominales ſpasmi praeſto erant, & anxietates praecordiorum, ſuſpiria inducentes. Deglutita cum ſono in ventriculum deſcendebant, perinde, ac in vacuum quoddam vas delaberentur. Loquela balbutiens, pulſus pomeridianis horis parvus & minus celer, quam veſperi, mictio primo difficilis, poſtea minus impedita, nox una ex optimis. Die 29. & nocte inſequente morbus mitiorem indolem retinebat, at die 30. omnia in pejus ruebant, namque ægrota balbutire, & ingeſta moleſte deglutire coepit, brachia ſaepe tremebant, faucesque importuna titillatione laceſſitae, a devorato quaſi pipere urebantur. Subinde in breves ſomnos foemina incidebat, ac interdum a frigida aura ſeſe afflari arbitrabatur. Poſt meridiem ſudor erupit, primo exiguus, dein veſperascente jam die largior. Querimoniae de magni frigoris ſenſu in ventriculo iterum movebantur, ſimul flatus in abdomine quodam veluti rugitu obmurmurarunt. Veſperi magnum urgebat epularum deſiderium. Cum alvus per aliquot dies praecluſa eſſet, clyſma injiciebatur, quo plurimi propellebantur

flatus. Mane diei 1. Decembris uti de frigore in ventriculo, sic etiam de frigoris sensu in sinistro brachio, sinistroque pede querelae erant, neque tamen pes aut brachium ad tactum frigebant. Corpus tepido sudore irrorabatur artusque crebra formicatio levesque convulsivi motus infestabant. Ipse ego hodie in collo & circa claviculas aegrotae albas miliares papulas conspexi. Nunc sonus in deglutiendo imminutus, somnolenta aegra continue in dorso jacuit, palpebris per somnum haud penitus coëuntibus. Die 2. Decembris bonam noctem æque bonus dies insequebatur, cutis assiduo sudore pedumque ulcera bono pure madebant, nox satis commoda. Die 3. ipse vidi ægrotam; sudor tepidus & foetens, alvus facilis, sermo minus impeditus. Cum hoc vesperi, tum etiam hac nocte sensus istius frigoris molestias fecit. Die 4. foetidi sudores ubertim profluebant. Vesperi ad aegrotam veni; auditus facilior videbatur, pulsus sub initio parvus & tardus erat, postea cum parvo celer fiebat, nocturna quies bona neque tamen ob incidentem tussim intemerata. Die 5. demum vera sensus frigoris in ventriculo causa in conspectum prodiit, siquidem hoc mane magna copia glutinosæ pituitæ per vomitus ejiciebatur. Erat ea foetens, ex virore flava, gelatinæ instar tremula & frigida ad tactum. Nunc præcordiis multum levaminis accidit, neque frigus ventriculi rediit unquam. Die 6. sudor modicus, tussis mitior, somnus parcus, appetitus exiguus, petechiae fere disparuerunt. Die 7. tussis tantum non desiit, ægrota per dimidiam horam extra lectum esse potuit, nox placida. Die 8. ipse vidi ægrotam; pulsus fuit moderatus, sudor tepidus, tussis rara, miliares pustulæ evanidae, fauces doluere & ingesta difficulter per gulam descenderunt. Decoctum salviæ per syringam in fauces injici jubebam, foeminae etiam præscriptum a me linctum fastidienti, auctor eram, ut subinde exiguas cremoris lactis coagulati portiunculas caperet. Sublata nunc fere omni febre, pauculum vini multa aqua diluti, permisi. Ob impeditam alvum clysma ex floribus chamomillæ vulgaris

in

in aqua coctis, additis melle & ſale communi adhibendum erat. Per alvum nihil pituitae eliminatum eſſe, mihi quidem denunciabatur. Conſtat autem, quam parum hujusmodi in rebus fidendum ſit aſſertionibus muliercularum, quae in famulatu aegrotantium ſunt. Forſan etiam pituitoſae per alvum dejectiones prius inciderunt, quam vomitus glutinoſæ iſtius ſaburræ. Die 9. ob frequentes ructus & foetentem oris halitum laxans remedium porrigebatur, aquam laxativam Viennenſem potiſſimum continens. At ægrota magnum ea re calorem ſibi excitatum eſſe putabat, & quia medicamenti effectus juſto tardior erat, alvus clyſmate ducebatur. Die 10. ſoluta ſatis alvo calor deferbuit. Diſcuſſo per Dei gratiam tam ancipitis aleae morbo, viribusque inter multum ſomnum & magnam ad varias epulas cupiditatem ſuccreſcentibus, laetus demum ad valetudinem factus fuit recurſus.

Febris hæc putrida bilioſa cum petechiis & albis miliaribus papulis, aliqua obſervatione haud prorſus indigna mihi videbatur. Hujusmodi enim febres anno 1772. menſibus inprimis Februario, Martio & Aprili, in magno Ducatus Wirtenbergici tractu, quam vehementiſſime per populum graſſabantur, neque ex eo tempore ita deſinebant, ut non interdum vel aliquos, vel plures invaderent.

Quod autem ad curationem harum febrium ſpectat, in ea duo praecipua momenta occurrunt: alterum, ut putrida, bilioſa colluvies e primis viis eliminetur, ne reſorpta affluat ad ſanguinem, vel diutius in alimentario tubo retenta, eum graviter afficiat; alterum, ut ſanguinis maſſa vindicetur a putrida corruptione, enata a putrilagine iſta, e primis viis ad ſanguinem transmiſſa. Igitur priori indicationi intentus, aegrotae meae aquam laxativam Viennenſem præſcripſi. Cum primum autem foemina ad ſumendum vomitorium perſuaderi ſe patiebatur, protinus dedi potiunculam emeticam, ex radicis ipecacuanhae ſcrupulo 1. radicis rhabarbari & cremoris tartari ana ſcrupulo dimidio, aquæ acaciarum uncia una, & ſyrupi

rubi idæi drachma integra. Neque me ab ea re abſterruerunt conſpicuæ jam jam petechiæ, utpote quæ nihil aliud ſunt, niſi extravaſationes cum ichoris cruenti, tum humoris corrupti ex putrida colluvie vitiatæ bilis & inteſtinorum ſaburræ tralatitii, nec unquam vel imperfectæ criſeos nomen merentur. Sæpe ego alias inter exordia hujusmodi febrium vomitoria repetitis vicibus praebeo, poſthæc unum vel alterum laxans ſuppeditans, ut putrida ſaburra ex inteſtinali tubo probe exturbetur. Neque a ratione abhorret, vel ſerius evacuantia remedia dare, nempe ſi forte minarum aliquid a retenta putrilagine appareat. Quodſi vero niſus ad vomitum inciderent, ab afflicto cerebro, vel inflammato ventriculo oriundi, tunc utique emetica non poſſent admitti. At cum prudentia ſero datum vomitorium, non tantum id beneficii habet, ut proluviem quandam ſurſum excutiat, ſed etiam, ut laceſſat & excitet torpentes potiſſimum circa concurſum paris vagi & intercoſtalis nervos, unde obſervamus, ſi vel nihil vomitu reddatur, (quamquam id fiat auſpicatius,) levatos tamen ægros videri. Sudoribus tamen criticis jam profluentibus, nihil ipecacuanhæ vel laxantis cujusdam medicamenti, ſed tantum emollientia clyſmata impune adhiberi poſſe, ego quidem exiſtimo. E penu laxantium remediorum radicem rhabarbari inprimis, tamarindos & aquam laxativam Viennenſem in curatione harum febrium elegi; me enim non fugit, quam calamitoſum ſit, in acri & diſſoluto humorum ſtatu calida & acria purgantia porrigere. Sic ſcammoneum, quod unus ex optimis auctoribus, qui de petechiis ſcripſerunt, ægrotis ſuis dare conſuevit, ſanguinem diſſolvit & faeces reddit foetidiſſimas, cum contra rhabarbaro vero, mannæ & tamarindis, adverſus ipſam putredinem aliquid præſidii inſit.

Proximum in curatione hujus morbi erat, ad alteram indicationem me convertere. Tum vero non potui non praecipue corticem peruvianum & ſpiritum vitrioli eligere, quippe de quibus abunde conſtat, quam efficaciter putredini humorum

morum opitulentur. Nec tantum cortex ab antiſeptica vi, ſed etiam a roborante ſua virtute commendationem hic accipit. Hac enim ſuccurrit vacillantibus naturae viribus, ut promovendis criticis evacuationibus ſufficiant. Primo autem ægrota ſaturatum corticis decoctum accepit, poſtea extractum corticis in aptis aquis deſtillatis ſolutum, eique medicamini iteratis vicibus uſurpato, aliquid clyſſi antimonii aut ſpiritus vitrioli immiſcebatur. Dein, tempore miliarium exanthematum, mixtura ſimplex ordinaria addita fuit. Ad potum ægrotis, petechiali febre tentatis, gratum quendam julepum propinare conſuevi, nimirum aquam fontanam ſpiritu vitrioli & ſyrupo berberum vel alio, acidulo ſapore imbutam. Foemina tamen non æque libenter julepum hunc bibebat, atque quidem complures alii ægrotantes; contra magis delectabatur uſu decocti cujusdam ex radicibus graminis, althææ, herba & floribus verbaſci, ac citri corticibus.

Ex morbi hiſtoria patet, frigidam iſtam & glutinoſam ſaburram, putrida bile delibutam, evacuantibus remediis nequaquam exturbatam fuiſſe. Ex quo efficitur, corruptam bilem in primis viis deliteſcentem, viſcido interdum adeo immerſam eſſe, ut villoſæ tunicæ pertinaciter inhærens, vix evacuantibus poſſit eliminari. Igitur in tanta tenacitate hujus fomitis opportunum erit, & ante data evacuantia, & ſub uſu eorum, decoctum radicum graminis & taraxaci, oxymelle ſimplici imbutum, identidem ægrotis porrigere, vel etiam ſimul evacuantibus remediis oxymel ſquilliticum addere, ut reſoluta viſcida ſaburra facilius foras propelli queat.

Veriſimillimum eſt, hujusmodi in febribus in partem metaſtaſeos exanthematicæ veniſſe, quicquid bilioſæ & putris amurcæ vaſa lactea & venæ meſaraicæ biberint, neque tantum petechias, ſed etiam miliaria exanthemata a ſordibus e primis viis ad ſanguinem translatis ortum duxiſſe. Sic etiam videmus in puerperis, ob ſordium, in alimentario tubo tempore graviditatis collectarum, expurgationem neglectam, fa-

cile miliares papulas enaſci. Porro in acutis febribus, in variolis & morbillis, poſt adſtrictam diutius alvum, vel ſalutarem diarrhoeam temere ſuppreſſam interdum purpura exoriri ſolet. An autem ideo in noſtra ægrota miliares papulæ haud adeo larga in copia propullularunt, quia magna pars retentæ putridæ bilis, glutine ita inviſcata fuit, ut non poſſet e primis viis ad ſanguinem transferri?

Vayhinga Onoldum
miſſa d. 14. *Maii* 1774.

OBSERVATIO XIII.

Dn. CHRISTOPHORI FRIDERICI SIGEL

De

Amavroſi perfecta utriusque oculi Electricitate diſcuſſa.

Vir triginta ſex annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, alias firmæ valetudinis & robuſti corporis, per paucos modo dies rhevmatico brachii ſiniſtri dolore vexabatur. Dolorem, cum levis eſſet, non tanti momenti eſſe exiſtimavit, quin nundinas oppiduli haud procul a nobis diſtantis & hac vice, prout conſueverat, frequentare poſſet. Iter itaque aggreſſus eſt, tempeſtate licet quam maxime turbida nivalique ac vento vehementiſſimo per omnem viam verſus faciem ipſius ſæviente. Vix vero dimidium viæ ſtadium attigit, cum ipſi caput gravari, oculorum acies, qua antea gaudebat, diminui, ſenſim obnubilari, tandemque omnis viſus prorſus evaneſcere inciperet.

Miſerrimus cæcus, ne quicquam, vel ſolis vel flammæ, luminis percipiens, nunc redux factus omnium primo auxilium Phyſici noſtri tum temporis ordinarii, D. Henſeleri, implorabat. Hic conveniens illum, cæcitatem ipſius quam optime amavroſin cum mydriaſi junctam, & ex metaſtaſi materiæ cujusdam arthriticæ tam ſubito ortam, exiſtimavit.

Igi-

Igitur, ad primas repurgandas vias, ante omnia emeticum ex rad ipecacuannæ ℈j. tartari emetici grano uno, postea vesicatorium magnum nuchæ applicandum, & pulverem laxantem e rad. jalappæ, resina ejusdem & mercurio dulci paratum, suasit: singula vero in irritum effectum, etenim capitis gravativus dolor, densissimaque caligo continuarunt. Venæsectiones itaque in brachio & in fronte, nec non pulveres leniter laxantes e conchis citratis, tartaro vitriolato & pulvere radicum jalappæ quatuor diebus sumendos præcepit: deinde pilulas de succino Cratonis, resina jalappæ & mercurio dulci auctas, una cum infuso theæformi ex rad. saponariæ, sarsaparillæ, foeniculi, herba salviae, rorismarini, sem. foeniculi, ac essentia, ex essentia succini alcalisata, tinctura antimonii acri, spiritu salis armoniaci anisato composita, per duas septimanas præscripsit usurpandas. Vesicatorium insuper & brachio imponebatur, scarificationes in brachiis & tergo instituebantur, pulvis errhinus ex helleboro albo naribus admittebatur, sed incassum omnia.

Optimus ergo Medicus de visus restitutione nunc prorsus desperans, ea qua in me fuit benevolentia, me adiit, omnemque casus tristissimi historiam mecum communicavit, ultimo dicens: Hujusmodi cæcitatem fere semper fuisse insuperabilem, non mirum ideo, si & hoc in misero eadem tolli non possit.

Tum ego, nuper de duobus a gutta serena per electricitatem liberatis me legisse, respondi.

Primum experimentum in infante septem annorum, Dorcestriæ factum D. Floyer in diario Britannico, alterum Cel. Spengler Havniæ palam feciſſe: sin itaque per ipsum mihi liceret, & me in hoc cæco vim experturum esse electricam.

Lubentissime annuit mihi cel. Physicus, & ego eo ipso die cæcum ad me ducendum curavi.

Oculos ejus aspiciens, pupillas serenas, fulgidas, nimis vero dilatatas, iridisque circulum maxime attenuatum animadverti. Vesicatoriorum stigmata erant sanata, cæcitas vero sum-

ſumma, dolor capitis noctesque inſomnes hucusque continuaverunt, neque aliud oculis eſſe objectum, quam denſiſſimum alborem parietis inſtar dealbati cæcus aſſeverabat. Igitur, præſentibus Phyſico aliisque teſtibus, cæcum per horæ quadrantem placentæ ceræ ſatis amplæ inſiſtere catenamque electricam manu tenere juſſi, & ego per hujus temporis ſpatium continue, mox digiti mox ferreae clavis acumine, ſcintillas e fronte palpebrisque ſuperioribus ejus clauſis elicui.

His peractis, ſellæ ut inſideret, catenulamque electricam arctiſſime manu teneret, monui. Quo facto, ad methodum Muſchenbroeckianam eum concutere coepi.

Apparatus erant:

1. Globus vitreus decem pollicum in diametro.
2. Rota lignea, quacum agitabatur globus.
3. Tubus ex lamina ferrea, ſtanno obductus, quatuor pedes longus.
4. Catenula lagenam vitream aqua repletam ambiens, cujus extremitati globulus metallicus affixus erat.
5. Baculus ferreus a tubo in aquam lagenæ dependens.
6. Lagena patinæ ſtanneæ aqua repletae impoſita.

Frictio globi vola nuda non pulvinari facta eſt. Globulus catenulae affixus fili ſericei ope, quod ei alligatum erat, fronti, praeſertim vero regioni nervum ophthalmicum condenti ac palpebris ſuperioribus ipſis equidem clauſis admovebatur, hoc ſaltim diſcrimine, quod prior frontis pars fortiſſimis concuteretur electricis ictibus, poſterior vero palpebrarum, iisdem leviſſimis feriretur.

Utriusque generis ictuum, aeger prima vice ultra viginti expertus eſt.

Effectus erat plane nullus. Nox inſomnis, caputque gravatum ut antea.

Secunda electriſatio eodem modo peracta ſomnum per aliquot horas conciliabat.

Ter-

Tertia ſomnum non promovebat, ſed rhevmaticum brachii dolorem reſuſcitabat.

Quarta dolorem brachii augebat.

Quinta electriſatione vix peracta, caecus candelae flammam, obſcure licet, primo iterum videbat: ſomnus per aliquot horas tranquillus erat.

Sexta, ſeptima, octava, praeter auctum brachii dolorem, nullam exhibebant mutationem.

Nonam, apoſtema rubens ad metacarpum ſiniſtrum ſecutum eſt; cauſa forſan proxima doloris brachii.

Decima capitis gravitatem ſuſtulit. Viſus huc usque cohibitus, interdiu noctuque praeter candelæ flammam nil ſentiens, nunc meliorem induit ſtatum, ut mane ſequenti quaevis objecta per nebulam quaſi denſam obſervaret æger.

Eodem die apoſtema ruptum pus emiſit.

Ab undecima usque ad decimam octavam electriſationem nebula denſa, quæ hucusque oculis obverſabatur, poſt ſingulas electriſationes extenuari, viſus magis clareſcere coepit: Objectorum vero menſuram veram, licet clarius videre nunc contenderet, plane ignorabat, nec cavum a pleno, planum ab eminente, nedum colores vere diſcernere poterat.

Conditio viſus hæc plane ſingularis incitabat me, ut attentius iterum intuerer oculorum conſtitutionem.

Obſervavi pupillas plus juſto adhuc majores, ac aliquam quidem, ſed vix conſpicuam mobilitatem earundem.

Dilatationis pupillarum adeo conſtantis cauſam in iridis rigore, & hunc in ejusdem vaſis capillaribus ſero ſtagnante turgidis, quærendam eſſe tum ſuſpicabar.

Igitur balſamum ſequens quid valeat, continuatis electriſationibus periclitari mecum conſtitui.

Balſamum quod ex olei nuciſtæ expreſſi drachmis duabus, olei cajeput, anthos, lavendulæ, ſuccini albi āā guttis quinque compoſitum erat, mane & ante cubitum piſi magnitudine palpebris ſuperioribus clauſis illini, jubebam.

Effectus voto respondebat, electrisationes enim porro vicies iteratas balsamique usum quatuordecim diebus continuatum constrictio pupillarum naturalis sequebatur, visusque in pristinum redibat statum, per sedecim nunc annos, ac in hunc usque diem, minime mutatum.

OBSERVATIO XIV.

Dn. CHRISTOPHORI FRIDERICI SIGEL.

Historiam sistens lapidis cujusdam singularis calcarii, haud procul a pago (Enzweyhingen) in Ducatu Würtembergiae reperti.

Minerarum, lapidumque praestantiorum dotibus quanquam Wurtembergia non aeque inclaruerit, ac aliae montosae regiones Europae, eam tamen fossilia animadversione dignissima atque ad vitam communem utilissima alere, & veteribus & nostris temporibus compertum est.

Helmintholithorum aliorumque corporum petrefactorum, acidularum thermarumque fama, veteribus jam jam celebrata, & exteris constat.

Quae vero novissima aetas detexit fossilia, forsan nondum satis cognita, haud minoris momenti esse existimo.

Lubens praetereo varias mineras, terras, petrosilices, lithanthraces, plures marmorum varietates, quotidie in usus mechanicos pulcherrimos cedentes modo paucis abhinc annis detectas, lapidis vero singularis calcarii mentionem facturus, cujus delineationem in mineralogorum scriptis hucusque frustra quaesivi.

Lapidis hujus vestigia ad sinistram stratae, vix mille passus ab Enzweyhinga distantia in summo montis jugo extra terram eminentia, reperiebantur: eruendo haec indagabantur, usque dum tota ingentis molis continuaque lapidis massa, nuda extus coloris ex albo flavescentis, apparebat.

Dia-

Diameter ejusdem tum in longitudinem, tum in transverſum, quinque circiter pedes aequabat.

Admodum nodoſa figurae ſubrotundae maſſa ex lateribus aeque ac ex fundo plures emittebat ramos coniformes, & longitudine & diametro diverſiſſimos: alii enim tres ad quatuor, alii decem ad quindecim pollices ad baſin erant denſi.

Superficies ſuperior pluribus extuberationibus, miris anfractibus ſinuatis, mininiſque cryſtallis prismaticis diſtincta & exaſperata, fundi vero, ramorumque ſuperficies ſatis glabra erat.

Maximum lapidis corpus, quod nucleum maſſae referebat, ab omnibus ramis, callisque protuberantibus retundendo liberatum, Stutgardiam vehebatur, ibi in tabulas ſciſſum politumque in ſplendidiſſima palatii Sereniſſimi Ducis Wurtembergiae abiit ſuppellectilia.

Totius baſeos maſſa, maximam quoad partem erat pellucida & hyalina, ſtriis lacteis irregularibus iisque copioſis cruciatim diſtincta. Igitur folia metalli tabulis ſuppoſita, diverſimode tincta transparebant, ac menſas ciſtasve tabulis hisce artificioſiſſime obductas, ſplendore atque elegantia iis ex praeſtantiſſimo marmore confectis vix cedere, quin palmam potius praeripere, ipſe teſtari poſſum.

Pars ad foveam relicta lapidis ulteriori contemplatione mihi digna videbatur. Extuberationes, a ſuperiore lapidis parte malleo ſeparatae, congeriem hemisphaeriorum referebant ex fibris infra approximatis, ſuperne vero divergentibus conſtantium, coloris omnino lactei.

Fruſta a lateribus & fundo lapidis decuſſa, nec non rami teretes coniformes, corticoſam manifeſtabant lapidis indolem, rami etenim ex meris laminis ſibi ſuperincumbentibus conſtabant, pari modo & baſis lapidis, laminis ſaltim denſioribus gaudebat, nucleo vero vix conſpicuo.

Exterior lapidis, tum baſeos tum ramorum, cortex mox erat hyalini, mox flaveſcentis ſuccinei coloris, ejusque vel diaphani vel pellucidi.

Ille baſin cingens duos circiter pollices, ramos vero ambiens tres ad ſex lineas diametro continebat: reliquae interiores ſibi ſuperincumbentes laminae minus diaphanae magisque nivei erant coloris, caeterum ſimillimae priori.

Praeter ſupra dicta tubercula hemisphaerica totius lapidis maſſa fibris carebat diſtinctis, ſed dura iſta, haud vero ſcintillans nec fiſſilis erat, ac malleo tuſa in incerta diſſiliebat fragmenta; e filamentis tamen tenuiſſimis arctiſſime coadunatis eam conflatam eſſe, acutiſſimus vel armatus oculus obſervabit.

Internam lapidis qualitatem exploraturus, lapidis crudi pulveriſati drachmis duabus ſpiritus vitrioli unciam unam ſemis per vices affudi. Efferveſcentia oriebatur vehementiſſima, corroſio lapidis in levem albiſſimumque pulverem, ſed nulla ipſius ſolutio: ſpiritus enim filtri ope a terra ſeparatus, vix mutatam acidi indolem prodidit, oleoque tartari per deliquium ſaturatus ne quicquam terrae demiſit.

Pulvis lapidis ſpiritu vitrioli corroſus atque exſiccatus albiſſimus nitidusque, nec oleo vitrioli neque aqua forti iterum ſolvendus, terram ſeleniticam omnino conſtituebat.

Spiritus ſalis lapidem crudum maxima efferveſcentia aggrediebatur eundemque ad tertiam fere partem ſolvebat. Solutio filtrata atque oleo tartari p. d. ſaturata, terram albam praecipitabat. Decantatus, nondum vero oleo tartari ſaturatus, atque filtratus liquor in phiala vitrea leniſſimo calore ad cuticulam inſpiſſatus, paucas quidem minutiſſimas exhibuit cryſtallos magis prismaticas quam cubicas, ejusdem vero maxima pars omnem reſpuit cryſtallorum concreſcentiam.

Spiritus nitri non concentratus lapidem crudum prorſus ſolvebat. Duae tertiae ſolutionis filtratae, in vaſe vitreo itidemque ad cuticulam exhalatae, neutiquam in cryſtallos abibant

bant, ſed magma ſalinum in aere prompte deliqueſcens conſtituebant. Tertia ſolutionis reſtans pars, oleo tartari p. d. ſaturata, terram leviſſimam albiſſimamque reddidit.

Lapis crudus aquae purae immiſſus quatuor nonas ponderis amiſit.

Lapis calcinatus, in fruſta incertae figurae dilapſus, ne minimum phosphoreſcebat.

Spiritus vitrioli, nitri, ſalis ipſi ſuperfuſi, eandem nec majorem vim in illo exhibuere, ac in crudo lapide.

Lapidicidis nonnullisque noſtris foſſilium ſtudioſis tum marmoris, tum alabaſtri nomine venit hic lapis.

Gypſum, alabaſtrum non eſſe, patet ex eo, quod ſpiritu nitri & ſalis ſolvi queat.

Veri marmoris indoli, figura ramoſa, coniformis, corticoſa, fibrae tuberum hemiſphaericorum repugnant.

Spati nomen haud quadrat, quoniam fragmentis deſtituitur rhombeis planis.

Tophis calcariis vix annumerandus, ob loci rationem & maſſae grande volumen.

Stirio marmoreo proxime accederet, niſi charactere ejusdem eſſentiali, fibris ſcilicet perpendicularibus parallelis deſtitueretur, & laminas ſchiſti horizontales dehiſcentes connectens, haud vero ſolitarie habitans repertus eſſet.

An ſtalactites ſit marmoreo-ſpatoſus ſolidus Linn. ſyſt. Nat. gen. 48. ſpec. 7. ob varias rationes jam jam affirmare vix auſim. Geneſin naturamque vero lapidis perfectius perſcrutandi, illumque certo cuiquam calcariorum generi adjungendi, in poſterum fortaſſe dabitur occaſio.

Scholion.

Dubitavi diu, auderemne lapidem, cujus hiſtoriam dedi, ſtalactitarum generi annumerare.

Lapidis tum ingens gravitas, istiusque continua tanti voluminis massa, tum loci natalis ratio, stalacticae adhuc mihi repugnare videbantur indoli: imprimis cum plures montium calcariorum lapidicinas mihi perveſtiganti, nec unquam stillatitia, stalactiten generans aqua, in conspectum venerit. Igitur, num forte aliquid simile offenderem, quod dubii lapidis genesin naturamque illustrare posset, magis consultum duxi, naturam ipsam consulere, pluraque calcariorum strata indagare, quam dubium me determinare lapidis genus.

Atque id, quod vix speraverim, longeque remotum esse cogitassem, nunc brevi nactum esse gaudeo.

Lapidicina, prope urbem nostram noviſſime facta, lapidis obtulit speciem, antea quidem mihi non visam, plurimam vero partem illi similem, quam Enzweyhingense fovebat solum.

Eadem aeque ac Enzweyhingensis, supremum montis, e calcariis dissitis nulloque ordine dispositis conflatum, occupaverat stratum.

Interstitia quaedam, a majoribus aliquot calcariis situ divergendo & inclinando facta, non solum stalactica materie repleta, sed ipsorum etiam calcariorum griseorum totam superficiem ea obductam, reperi. Praesertim vero calcarius quidam griseus, tres circiter pedes longus, stalactico spisso fluore ex omni parte quasi superfusus, apparebat, lateribusque hujus lapidis ramos coniformes 3-4-5. pollicum in diametro perpendiculariter adnatos observavi.

Substantia eorundem erat corticosa, solida, dura, non scintillans, coloris ex albo flavescentis, crusta exteriore rudi. zonis interioribus tum opacis tum diaphanis, haud vero pellucidis, apicibusque plurimorum ramorum foramine instructis.

Qualitatem lapidis internam spiritibus acidis mineralibus explorans, eandem prorsus rationem, quam Enzweyhingensis ad istos exhibuerat, in illo observavi.

Huic

Huic ergo lapidi maximam cum illo Enzweyhingenſi intercedere analogiam, ex dictis facile patebit.

Utrique enim & loci natalis & formae ramoſae & indolis corticoſae & texturae eadem fere competit ratio: nec Enzweyhingenſi foramina apicum ramorum defuere, licet iſta indicare nuper negligerem.

Enzweyhingenſis ille, ab hoc noviter reperto, majore modo maſſae volumine, majore pelluciditate alboreque differt.

Naturam poſterioris ſtalacticam tum ſitus ramorum perpendicularis defluendo ortus, tum ſubſtantia corticoſa, ex laminis ad integrum pollicem denſis conſtans, tum ramorum apices ad centrum perforati, uberrime docent; quapropter non dubito, quin hic poſterior lapis ſtalactitae marmoreo ſolido, prior vero ob ſpati materiem innatam, quae pelluciditatis alborisque praeſtantiam iſti forte conciliavit, ſtalactitae marmoreo ſpatoſo ſolido jure poſſit annumerari.

Utriusque geneſin haud multo a ſe invicem diverſam eſſe opinor; quum prope Adrianopolin & in Saxonia eadem ſpelunca utramque contineat ſpeciem.

Nolim autem affirmare modo dictas ſtalactitae ſpecies, cum illis ad Adrianopolin & in Saxonia natis, quoad omnes characteres convenire, cum natura in procreandis lapidibus haud eam ſemper ſervet legem, quam in organicis obſervamus corporibus. Eſſentiales ſtalactitarum, ſolidi & ſpatoſi, modo ne deſint characteres, ſufficiet eis determinatum nomen, quod interea tam vagum erat, ut etiam Geographorum maximus, *Illuſtris* Büsching, Enzweyhingenſem lapidem pelluciди albi Alabaſtri nomine inſigniverit.

Nota.

Addere adhuc neceſſe duco, phaenomenon illud, quod experimentum cum ſtalactite & ſpiritu ſalis factum exhibet, effectui ſpiritus ſalis puri non reſpondere.

Quum

Quum enim de genuina istius indole dubium mihi oriretur interea, spiritui meo, qui ab aromatario, bonae licet famae, emtus erat, dimidiam salis decrepitati partem ponderis injeci, eundemque ex retorto vitro abstraxi.

Prolectus hic spiritus justam dubii causam manifestavit. Etenim & spatosus & solidus stalactites, quorum antea ab emto spiritu tertia pars non soluta remanebat, nunc paucorum minutorum spatio prorsus in limpidum solvebantur liquorem.

In majorem rei lucem spiritui salis huic puro quartam circiter partem spiritus vitrioli addidi, & utrumque lapidem copiosum retinere sedimentum observavi. & fusionem lapidis in igne aperto prorsus irritam.

Vayhinga Onoldum
missae die 21. *Maii* 1774.

OBSERVATIO XV.

Dn. PASCHALIS ADINOLFI

De

Hepatis abscessu per urinam excreto.

Superiore anno MDCCLXXIII. exeunte Martio, Romam delatus est Bernardus de Monte, patria Soranus in Volscis, melancholicus vir, annum agens quadragesimum, qui acerbo circa hepatis regionem dolore afficiebatur. Accessit visceris hujus durities, atque elevatio, non sine maximo totius corporis languore, ac tabescentia. Febris quotidie, sed irregularibus horis, & absque typo, ut & sine rigore, accedebat, ac remittebat. Iam vero ab hac diagnosi, de hepatis abscessu dubitare coepi, & eventus ipse rem dubiam certissimam reddidit. Mihi quidem non unum ejus morbi exemplum occurrerat, nullum tamen mirabilius ad exitum perductum est. Curationem itaque phlebotomia ex saphaena, emollientibus, saponaceis, acidis denique sum aggressus. Febris, ac dolor quasi per vices alternabant, eaque symptomata nunc quidem paullulum remittere, nunc vero impetuosius fervere videbantur, ut alteram postularint ab haemorrhoidalibus venis per hirudi-

hirudines phlebotomiam. At vero poſt illam, nullum efficacius remedium, ipſo cerato de galbano cum croco, copioſe ac diu hepati adhibito: ab ejus enim uſu, aegrotus aliquot poſt dies, absque ullo incommodo, mingere coepit albam & conſiſtentem materiam, puri ſimillimam, quod ab inciſo manat abſceſſu; id vero mirum, quod tanta defluxit copia, ut quatuor & amplius librae per urèthram quotidie excernerentur. Illud quoque obſervatu dignum, quod ejusmodi mareries, ſi forte aliquandiu in matula detineretur, ea ſtatim conſiſtentia ac ſpiſſitudine coaleſceret, qua ſolet lac, ſi per acidi commixtionem ex fluido coagulatum evadat; atque ita quidem, ut ſi ex matula ſuper pavimentum, aliquantulum etiam declive effunderetur, non tamen flueret, ſed albae offae inſtar conſiſteret, & cohaereret; vel ſi interdum ab illa urinoſi laticis portio ſecerneretur, reliqua condenſata erat. Tandem ne ulla me fugeret hanc in rem obſervatio, coagulum iſtud per aliquot dies, aprico ſub coelo ſiſtendum juſſi, atque ita exſiccatum reperi, ut membranarum quaſi acervus videretur. Jam vero hujusmodi per urinarias vias portentoſa, & quaſi ultra fidem copioſa excretio, ad quadraginta circiter dies, plus minus perennavit; cum interim hepatici tumoris moles indiem nonnihil decreſceret, ac paullo mollior aliquorſum evaderet. At ſive in bonam, ſive in malam partem morbus inclinaret, res variis ſemper obnoxia erat ſymptomatum viciſſitudinibus, ac nonnunquam dolor & febris eousque augebantur, ut iterum venam tundere, atque anodyna & oleoſa pharmaca praeſcribere oporteret. Bimeſtri tamen elapſo, plane incolumis, Deo bene juvante, ad priſtinam valetudinem reſtitutus eſt aeger, ut in patriam feliciter perrexerit, neque ad hanc diem ullam ſit paſſus recidivam.

Romae Onoldum
miſſa die 3. *Julii* 1774.

OBSERVATIO XVI.

Dn. IOANNIS LEBRECHT SCHMVCKERI

De

Hepatis abſceſſu ſanato.

Viſcera ſingula corporis humani ſuis peculiaribus morbis & affectibus eſſe ſubjecta, & vario modo exinde ſanitatem & omnem corporis oeconomiam deſtrui animalem, ſatis notum eſt. Hepar quoque ſuos habet morbos & affectus peculiares, de quibus longam ſeriem proferre potuiſſem, ſi meum eſſet propoſitum, omnes & ſingulos recenſere. Sed ſufficiat, me tantummodo nonnulla diſſerere, de eo graviori ejus affectu, qui abſceſſus audit, & variis cauſis efficitur. Inflammatio praegreſſa, in harum cauſarum numero, & vel exterioribus vel interioribus cauſis orta, omnino primum occupat locum. Laeſione & conquaſſatione externa non ſolum inflammationem, imo multo graviores hepatis morbos enaſci poſſe, experientia conſtat. Clariſſimus SCHARSCHMIDIUS 1) ex tali violenta externa conquaſſatione hepar penitus disruptum, & miſeros fuſione ſanguinis repentina morte extinctos vidit. Raro quidem occurrit talis ruptura, ſaepius autem inflammatio & exinde abſceſſus. WALTHERUS 2) caſum hominis cujusdam litteris conſignavit, qui ex lapſu inflammationem & abſceſſum nactus, & rupto eo, ſanieque in abdomen prorumpente, mortuus eſt. Variae inveniuntur cauſae interiores, quae inflammationem & hepatis abſceſſum efficere poſſunt, & earum nonnullas proferre mihi ſit licitum. Febres intermittentes, male tractatae & ſanatae, obſtructiones & infarctus hepatis relinquere, quae poſtea in abſceſſum abeunt, clariſſimus SENAC 3) & quotidiana experientia docent. Scabies & poda-

1) *Mediciniſche und chirurgiſche Nachrichten* T. I. p. 44. 82. T. III. p. 388.

2) Theſaurus obſervationum medico chirurgicarum p. 143.

3) De abſcondita febrium intermittentium natura.

podagra retropulſa, febres malignae putridaeque criſi imperfecta terminatae, ſaepiſſime tales abſceſſus procreant. Conſtantis enim eſt experientiae, febres iſtas talem exitum habere ſolemnem. Materia morbida exinde per metaſtaſin ad varias corporis partes detruditur, & utplurimum clariſſimi PRINGLII 4) & aliorum experientia ad hepar. Quem fugit denique capitis vulneribus ſanatis ſaepe numero abſceſſus hepatis lethales ſequi, cujus phaenomeni cauſam inter omnes optime explicuit clariſſimus *Bertrandi.* 5)

Hae cauſae recenſitae ut plurimum quidem hepatis abſceſſui anſam praebent, tamen & aliae reſtant, quae nihilo ſecius ad hunc morbum procreandum ſunt idoneae. Mirum eſt, omnino a multis fide dignis obſervatoribus hepar, poſt mortem penitus deſtructum & ſuppuratione correptum, ſine ullo valetudinis detrimento & dolore, viventis, inventum eſſe. *Tobias* CZASEBELIUS 6) notabilem ejusmodi generis caſum mulierculae, quae partus labore convulſione epileptica, poſtquam ſedecim partus feliciter in lucem edidiſſet, extincta, memoriae tradidit. Inſpectione cadaveris anatomica totum hepar corruptum & ſub manus in centum particulas inſtar lanae diſcerptibile, & in ejus cava parte ingentem abſceſſum inveniebat, haec tamen matrona vivens colorem faciei floridum album & rubicundum habebat, & plane nullos dolores in ea parte ſenſerat. Lapides quoque in hepate nati interdum abſceſſus generare GREISELIUS 7) obſervatione ſingulari demonſtravit. Subjiciens enim cultro anatomico mulieris, partus tempore mortuae, cadaver, cyſtidem materia purulenta plenam & infarctam & in ejus medio lapidem duriorem & ovo gallinae minorem in hepate reperiebat, etſi quidem haec foemina nunquam in illa parte dolorem aut ſaltem gravitatem ſenſerat.

4) *Betrachtung über die Krankheiten einer Armee im Felde.*
5) Memoires de l'Academie de Chirurgie a Paris.
6) Bonnet medicina ſeptentrionalium L. III. p. 656.
7) Ephem. N. C. Dec. I. A. I. Obſerv. 66.

Hoc autem est valde rarum, talem abscessum longius morari in hepate absque apparente valetudinis detrimento, cum tamen demum pernicioſus, & nunquam ab omni periculo liber ſit. Rupto enim eo & ſanie in abdomen prorumpente, ægroti interdum extemplo e vita tolluntur, quod GEORGIUS ABRAHAMUS MERCKLINUS 8) obſervatione confirmavit, ſi etiam non ſtatim pereunt, facta ruptura, tamen brevi tempore, ob materiæ acris effuſæ eroſionem & factam exinde de novo inflammationem, in reliquis viſceribus, mors eſt inevitabilis. His accedit, quoniam ſæpiſſime, in multis hominibus, viſcera tam abdominis quam thoracis vario modo præternaturaliter inter ſe concreta connexaque ſunt, ut abſceſſus viam inſolitam & miram ſibi aperiat, viſcus connatum ſimul deſtruat, & omnem medelam eludat. Alter a me conſcriptus caſus tale exemplum exhibet.

Abſceſſu in parte anteriore & convexa hepatis generato, & qui tactu dignoſci poteſt, inciſionem inſtituendam eſſe chirurgi ab omni ævo docuere. PAULUS AEGINETA 9) & ALBUCASIS 10) unicus fere inter Arabes, qui maſculam chirurgiam hippocraticam profeſſus eſt, ſuadent talem abſceſſum ope ferri igniti aperire. At FABRICIUS ab AQUAPENDENTE 11) eos refutavit, & demonſtravit, hancce operationem non ſolum maxime crudelem & doloroſam, ſed etiam æque periculoſam eſſe, ac morbus, quem illa ſanare volunt: *Albucaſis* & ipſe libere fatetur, quod chirurgus tantummodo exercitatiſſimus illam in ſe ſuſcipere potuiſſet, & quod illam plane omittere, prudentius ſit.

Cultello autem multo feliciore ſucceſſu plures hepatis abſceſſus inciderunt, & MARCUS AURELIUS SEVERINUS 12) docuit.

8) Ephem. N. C. Dec. II. Ann. I. Obſerv. 88.
9) De re medica. l. 6.
10) Methodus medendi l. 1.
11) Oeuvres chirurgicales T. II. l. 50.
12) De abſcondita abſceſſuum natura.

docuit, operationem ſemper eſſe inſtituendam, vel integro adhuc abſceſſu, vel etiam jam rupto, tam ad materiam educendam, quam etiam ad *ulcus*, decoctis & liquoribus mundificantibus & abſtergentibus ope ſiphonis injectis, detergendum & mundificandum. Binos hepatis abſceſſus adhuc integros, feliciſſimo cum ſucceſſu aperuit THEOPHILUS BONNETUS 13), & quidem unum cultro, alterum vero ope lapidis cauſtici. Cultro, etiam talem inciſionem felicem inſtituit clariſſimus SAVIARDUS 14) & multi alii, quorum nomina adducere nolo.

Operatione peracta, quando pus album & bene coctum in conſpectum venit, obſervatores annotarunt, felicem eſſe ſperandum eventum, ancipitem vero, ſi ſanies ichoroſa effluit, & ſecundum HIPPOCRATIS 15) praecepta ſemper lethalem.

Hiſce præmiſſis ad propoſitum ipſum me adcingam.

Vir quinquaginta annorum, qui nunquam antea morbo laboravit, ſed ſemper optima valetudine uſus eſt, febre maligna cum deliriis affectus eſt, die nono deliria ſubito ceſſabant, & deinde brevi tempore convaleſcebat. Reſtabat autem tumor & dolor fixus in regione hypochondriaca dextra, & perpetua colica ſpaſmodica, cum inflatione ſtomachi poſt paſtum, diris doloribus conjuncta, quæ quidem aliqua ratione alvo exonerata mitigabantur. Alvus erat tenaciter obſtructa, faeces peſſime foetentes, niſi clyſmate adhibito, deponere poterat. Alii medici præſcripſerant laxantia rhabarbarina, cardiaca & roborantia, corticem peruvianum, & extracta amara, ſine ullo tamen levamine, præter aliquam virium augmentationem. Conſultus ego pulſum languidum, faciei pallorem, tunicam oculorum adnatam flavo colore tinctam, ſomnum interruptum, appetitum penitus proſtratum & dolores in regione hypochondriaca in dies ſe augentes inveni.

13) Medicina ſeptentrionalis l. III. p. 655.

14) Obſervations de Chirurgie, Obſerv. 39.

15) Coac. praenotion.

Aegroto in dorsum reclinato, quo melius tumorem explorarem, tactu dignoscere potui, lobum majorem hepatis aliquantum obstructum & infarctum, lobulum minorem autem multo magis inflatum esse, cum aliquo sensu doloris ad tactum.

Omnia haecce signa, mihi satis superque clara monstrabant, tumorem istum, cum reliquis symptomatibus per metastasin, febris imperfecta crisi finitae, esse ortum. Sæpius enim jam antea tales imperfectas crises, & decubitus materiæ morbidae ad alias partes observaveram; aegroti mihi saepe crisi instante apoplexia, vel convulsionibus, eripiebantur, qui paucis antea temporis momentis, sana mente mecum locuti sunt, quia morbida materia ad cerebrum deportata erat; sæpe etiam illa metastasis fit ad pulmones cum eorum corruptione lethali, ad nervos opticos cum cæcitate, de qua exemplum alio loco allegavi 16), ad glandulas parotides, axillares & inguinales, & practicis notum est, quam molestе tales abscessus metastatici sanari queunt. Molestissimum autem metastasis genus est sine dubio, quando sit vel ad sterni partem cartilagineam, vel ad membrorum articulationes & periostium delata, dirissima exinde oritur caries, quae interdum, omni adhibita medela, vix sanari potest & saepe numero valetudinem, imo vitam, aegroti amittunt.

Facile itaque concludere potui, resolutionem tumoris hisce sub circumstantiis, plane esse impossibilem, sed quod potius suppuratio quam citissime sit promovenda, ad ulteriorem corruptionem hepatis avertendam. Certiorem itaque feci aegrotum de statu sui periculo, addens simul spem sanationis adhuc adesse, si mihi morem gerere vellet. Iussi itaque ut dolorosa & jam inflammata pars tumoris cataplasmate, ex semine lini & floribus sambuci, cum oleo lini cocto, continuo die nocteque foveretur; internis medicamentis abstinui, quia naturam auxiliatricem turbare nolui.

Die

16) *Chirurgische Bemerkungen, Theil* I. p. 479.

Die ſequente tumorem non ſolum majorem, verum etiam in medio molliorem deprehendi, & aegrotus referebat, ſe dolorem urentem & pungentem in eo ſentire, qui aqua frigida ſumta adaugebatur, id quod ex ſtomachi affinitate facile erat explicandum. Pulſus erat multo celerior & ſitis etiam adaucta. Admiſcui cataplaſmati aliquam partem unguenti Baſiliconis, ad ſuppurationem accelerandam, veſpertino tempore pulſus, ſitis, dolor, verbo, omnia ſymptomata magis adaucta inveniebantur, & cataplasmate rejecto majorem cutis externae inflammationem, & mollitiem mediae tumoris partis digito detexi.

Nullum tempus, mihi videbatur, nunc negligendum eſſe ad tumorem incidendum, antequam ſponte rumperet. Incidi itaque provide cutem externam, tunicam adipoſam & muſculos usque ad peritonaeum. Tumor nunc melius prorupit, facta inciſione & vulnere dilatato effluebat ſanies viridis, libram ſemiſſem ſuperans & ita male odorata, ut adſtantes eum odorem vix ſuſtinere potuiſſent, & aegrotus breve animi deliquium pateretur. Ab eo refectus in abdomen collocabatur, ut ſanies relicta melius efflueret, promanante ſic quantitate aliquot unciarum. Quo facto, exploravi indice dextrae manus vulnus, & detexi non ſolum cavitatem amplam in lobulo minori hepatis, ſed etiam iſtum lobulum ex omni parte arcte cum peritonaeo cohaerentem. Injeci exinde decoctum myrrhatum aquoſum cum melle roſarum, materiae abſtergendae cauſa, & ellychnia ex filo ſuſpenſa hoc decocto madefacta in vulnus dimiſi. Ad uſum internum praeſcripſi pulverem lapidum cancrorum citratorum & pro potu ordinario decoctum radicis graminis cum ſucco citri. Nocte ſequente cepit ſomnum tranquillum, qui eum huc usque fugerat, & craſtina die pulſum pleniorem, ſed minus celerem, inveni. Quia autem materia effluens adhuc ſanioſa erat, iterum decoctum ſupradictum immiſi, linimenta & faſcias bis per diem imponere, & ſolutis illis, aegrotum per dies priores in abdomen proſterne-

re

re jussi, ut nihil puris in ulcere remaneret. Praeterlapsis illis, pus meliorem colorem consistentiamque assumebat. Admiscui exinde decocti supra dicti unciis sex balsami commendatoris unciam semissem, qua mixtura non solum ellychnia illinivi, sed etiam tepefactam in vulnus, mediante siphone, immisi. Febre penitus nunc cessante & appetitu recuperato praescripsi infusum corticis, cum tinctura rhei aquosa. In dies ægrotus melior sese habere coepit, vulnus claudebatur, & intra quinque hebdomadum spatium cura erat feliciter absoluta.

Anno integro posthac praeterlapso, iterum hunc hominem vidi & ab eo audivi, quod intra hujus temporis spatium semper optima valetudine, sine ulla morbi reversione usus sit. Et quum neque vel ante vel post curam absolutam doloribus colicis, aut malo hypochondriaco vexatus fuit, nullum supereſt dubium, quin iste abscessus unice a metastasi fuerit ortus, facile etiam est explicandum, quanam ratione illa materia morbida eum generare potuit. Concretio lobuli minoris hepatis cum peritonaeo forsitan jam antea adfuit, forsitan etiam hepate crescente & inflammatione adveniente originem duxit. Hoc interim feliciſſimum erat, simulque, quod abscessus partem anteriorem & convexam, nec partem concavam & posteriorem sibi elegisset, ubi sine dubio exitus minus felix fuisset. A materia purulenta in sanguinem regressa & exinde in intestina depositа sine dubio, pulsus languidus, faeces mucilaginosae & male odorae.

Casui relato alium tristioris quidem eventus adjungo.

Decurio quidam legionis secundae, Regi, ut dicunt, a custodia corporis, sexaginta annorum, vir robustus & a quadragesimo quarto suae aetatis anno castra sequens, praeter dolores colicos interdum occurrentes, quibus autem semper laxantibus rhabarbarinis & aliis se liberabat, die III. Augusti CIↃDCCLI. iterum doloribus colicis vehementioribus cum diarrhoea corripiebatur. Praescripsi pulverem ex rheo & nitro absorbentem, quo assumto die sequente melius se habere coepit. Ast brevi tempo-

temporis ſpatio praeterlapſo dolores & diarrhoea, cum appetitus & ſomni proſtratione, colore faciei & tunicae oculorum adnatae flavo, intumeſcentia abdominis, diris doloribus fixis urentibus & pungentibus ſtomachi, & pulſu febrili, recurrebant. Praeſcripſi iterum ſolutionem e maſſa pilularum balſamicarum polychreſtarumque, pro potu ordinario decoctum florum chamaemeli, orizae & juſcula e vervecum pedibus parata. Inteſtinis multo cum aegroti levamine purgatis, aliam ſolutionem ex extracto caſcarillae aquoſo, & tinctura rhei aquoſa, cum pulveribus ex rheo & lapidibus *69.* ppt. ordinavi. Dolores & febris mitigabantur quidem, & appetitus redibat, poſt aliquot dies autem de novo de gravitatis ſenſu in regione hypochondriaca dextra & epigaſtrica, cum anxietate pectoris & reſpiratione difficili conquerebatur. Statim venam ſecavi in brachio, ſymptomata praedicta ceſſabant, remanente tamen diarrhoea, in dies crebriori, magis foetida, & per omnia pure cum ſanguine mixto ſimili. Uſus pulveris rhei decoctique chamomillae continuabatur, & decocto orizae gummi arabicum, acrimoniam temperandi gratia, addebatur.

Fruſtra tamen omnia adhibebantur. Diarrhoea, dolores urentes inteſtinorum, quibus etiam tenesmus jungebatur, in dies ſe augebant, & laxantia parum uſus praeſtabant, ita, ut aegrotus porro medicamina ſumere recuſaret. Praeſcripſi tamen, appetitu iterum amiſſo, elixirium ex extractis chinae, caſcarillae & rhei aquoſis, āā ʒj. liquore anodyno minerali Hofmanni ʒjß. & aqua meliſſae, & quotidie duo clysmata ex juſculo pedum vervecum & decocto chamaemeli applicare juſſi.

Die 1. Septembris omnia ſymptomata iterum ſe augebant, febris erat fortior & dolor in inteſtinis vix tolerabilis, excretiones alvinae erant maxime graveolentes, & ultimo nihil aliud quam ſanguis excernebatur. Dolor urens ſtomachi ad eum aſcendebat gradum, ut convulſiones ſequerentur. Sanguinem mittere volebam, aſt mors totam tragoediam finiebat.

Die sequente cum cadaver cultro anatomico subjecissem, illud parum emaciatum, sed crassitiem panniculi adiposi potius quatuor pollices aequantem, deprehendebam. Abdomen erat inflatum, & aperto eo sanies tenax rubella & foetida, quae omnia abdominis viscera inundaverat, in conspectum veniebat. Omentum erat sanum & pinguedine repletum, canalis vero intestinorum, ob materiam acrem contentam, multis locis coarctata, contracta & penitus inflammata erat. Stomachus gangraena corruptus, sub manus discerptibilis, & in parte anteriori curvaturae majoris, spatio trium pollicum a pyloro, perforatus reperiebatur. Eo loco etiam cum hepate concretus fuit, paulum vero ante mortem illa concretio, pondere & acrimonia saniei in eum effusae, soluta & effluvium in abdomen factum erat. Hepar praeternaturalem habebat magnitudinem, lobus ejus dexter induratus albidus & variis stigmatibus gangraenosis praeditus, sinister vero per totum corruptus quasi saccus materia purulenta impletus, parte concava, ubi stomacho adhaesit aperturam monstrabat. Cystidem fellis explorans, eam massa saponacea tenaci & fusca distentam inveni, & in hujus liquoris meditullio XIII. lapides duriores nigricantes, orificium ductus cholidochi occupantes & transgressum fellis in intestinum duodenum impedientes reperti fuerunt. Splen erat spongiosus & fuscus, & mesenterium variis locis induratum. Caeterum renes viaeque urinariae ac viscera thoracis sana & in statu naturali reperiebantur.

Ex his facile est dijudicandum, obstructionem suppurationemque lobuli minoris hepatis longe jam ante mortem adfuisse, & colicos dolores exinde originem duxisse, corroso stomacho cum hepate cohaeso, & sanie in eum effuso diarrhoea purulenta doloro sissima efficiebatur, sublata tandem illa cohaesione, ob destructionem stomachi gangraenosam, materia purulenta in abdomen penetravit, & convulsionibus mortique causam dedit.

Berolino Onoldum missa d. 19. *Octobris* 1774.

OBSER-

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. ALOYSII BERTINI

De mirabili liquoris van Swieten in lue aphrodiſiaca curanda virtute.

Juvenis annorum circiter viginti quinque, menſe Maji anno MDCCLXXIV. de inveterato celtico morbo eum dire exercente mecum ſummopere querebatur, & ut medicamina ad illum profligandum idonea praeſcriberem, enixe rogabat. Obſtupui ſane, quod jamdiu multos medicos conſuluiſſet, multisque antivenereis frequenter uſus eſſet, nulla valetudinis ſpe delectatus. Dulcificantia inprimis, ſalino-acres particulas obtundentia, ex vegetabili regno deſumſit; ex animali vero ſerum lactis, lac ipſum, & juscula medicata. Praeſtantiſſimas tandem mercurii vires, ſuadentibus medicis, illoque aegre ferente, fruſtra expertus eſt. Quin immo cum morbus magis magisque in dies ſaeviſſet, profundasque immiſiſſet radices, juvenem omnino deſperatum ita torquebat, ut poſtrema ſolum fata ex animo efflagitaret. Symptomata ſingula, quae morbum comitabantur, univerſalem humorum diatheſim, ad alkalinam colliquativam naturam vergentem, ſolidarumque partium debilitatem, & atoniam indicabant. Variis hinc in corporis partibus foediſſima ulcera adparebant, in facie praeſertim, & capillata capitis parte, ubi ulcus in dies diverſimo de ſerpens conſpiciebatur. Guttur, palatum, os, vicinaeque partes, iisdem ulceribus obſidebantur. Tonſillae a celtica lue omnino conſumptae deficiebant, velumque palatinum partim diſciſſum, partim vero eroſum, amplum potionibus omnibus per nares aditum praebebat. Mirum ſane gingivas haud exulceratas fuiſſe. Pulſus debiles & languidi, ſumma virium proſtratio, diuturnus & immoderatus ptyalismus, acri, ut ajebat aegrotus, materie refertus, marasmus, aliaque prava ſymptomata, juvenem brevi periturum clariſſime commonſtra-

bant. Hoc igitur in rerum ſtatu, variisque adhibitis remediis, quid agendum ſupererat? Extremis morbis, extrema tentanda remedia HIPPOCRATES docuit: ad mirabilem igitur liquoris van Swieten *a)* uſum, tanquam ad ſacram anchoram confugi, curavique, ut aegrotus grani dimidium mercurii ſublimati corroſivi in unciis duabus ſpiritus vini (qui loco ſpiritus frumenti apud nos uſurpari ſolet) quovis mane, jejuno ſtomacho ingurgitaret, ſuperbibendo ſtatim lac, aqua multa dilutum, ut cauſtica ſublimati vis infringeretur. Obſervavi tamen in aegro ſtatim ac liquorem aſſumpſiſſet magnos reiteratosque ad vomendum niſus, ita ut, ne ab auctoris celeberrimi methodo recederem, doſim augere minime licuerit. Memini tum temporis ſublimatum corroſivum nova Gallorum methodo exhiberi, quae cum magis in caſu noſtro tuta videretur, eadem ego uſus ſum. Sublimati idcirco grana octo cum aquae communis libris ſexdecim permixti, aegrotanti praeſcripſi, & cochlear unum quovis mane, augendo ſenſim doſim usque ad cochlearia tria propinavi; ſimul vero monui mitem ſtatim hydrogalam ad libitum ſuperbiberet. Ad praecavendam vero ſtomachi debilitatem, panem in cinamomi decoctione ebullitum pro coena ſumendum juſſi. Victu utebatur tenui, dulcificante, & a vino prorſus abſtinebat aeger. Hujus remedii uſu ſenſim indies ſalus redibat, neque ulcera ejusmodi acri ichore madebant; quinimmo paucis aliis elapſis diebus ulcuſcula illa omnino exſiccata paene diſparuere. Quadrageſima demum circiter a ſublimati uſu die optime ſe habebat juvenis, & de recuperatis viribus gratulabatur. Quid igitur ad celticam luem prorſus curandam ſublimato praeſtantius? Quis in curandis pervicaciſſimis morbis, celeberrimi van Swietenii veſtigia ſectari recuſabit?

Lucca Onoldum
miſſa die 19. Novembris 1774.

OB-

a) Vid. Comment. de reb. in Scient. natur. & Medic. geſt. Vol. V. Par. IV. p. 719. Lipſ. 1756.

OBSERVATIO XVIII.

Dn. D. ANTONII MATANII.

De tumoribus scrophularibus internis.

Si quid est, quod saepe medicorum ingenia torqueat, eorumque videatur cogitationes eludere, ii profecto tumores sunt, qui partes internas humani corporis adoriuntur. Inter hos tumor ille recensetur in abdomine sedem habens, cui scrophulae mesentericae nomen assignarunt pathologi, quemque alii strumosae rhachitidis nota, alii nominibus aliis plane diversis, distinguendum esse censuerunt. Hic sane nulla praesertim habita causae producentis, partis affectae, atque aegritudinum inde advenientium ratione, non modo cum vulgari, ut vocant, scrophula, strumaque fugaci *Warthoni a)*, & scrophula Americana *Rustelii b)* confundi maxime consuevit, sed etiam cum scrophulis leprosis, & cum strumis Amboinensibus, quae in Moluccis insulis excitantur. Eum vero tumorem internum, qui graeco vocabulo κοιλιακὸς, latino *scrophula* seu *struma*, anglico *Kingsevil*, Italico *scrofola*, Gallicoque *ecrouelle* designatur, ex observata nuper aegritudine describendum censui, ut quid ad nosologiam faceret, magis magisque unicuique medicorum, reliquis inter se collatis observationibus, patefieret.

Pistorium urbs pervetusta Etruscorum est, amoenissimo tractu circumdata, ubi neque ob coeli inclementiam, neque ob situs insalubritatem, aliasque noxias alimenti, potus, rerumque omnium vitae usibus inservientium facultates, perturbari incolae possunt. In meridionali territorii Pistorienfis plaga, regio est saluberrima, quae a veteribus Caecinae nomen obtinuit, quaeque ignoratur utrum a Romanae urbis praefectis Caecina Decio Acinatio, vel a Caecina Mavortio Basilio

a) Adenograph. cap. 40.
b) De us. aqu. marin. pag. 133.

Decio *c*) seu potius ab Albino Caecina scriptore veteri *d*), seu a Licinio Caecina quadrigarum domino *e*), seu tandem ab Aulo Caecina, pro quo Tullius orationem conscripsit, cognomentum acceperit. Patriam regio haec Josepho Fedio suppeditavit, qui usque ad vigesimum septimum aetatis annum arti omnium utilissimae incubuit, agriculturae nimirum, quae non modo Serranos olim, & Cincinnatos exercuit, sed cum triumpho etiam, consulatu, & dictatura a Romanis conjuncta plures reipublicae cives valde nobilitavit *f*). Ea in arte multos exantlavit labores Fedius noster, aestus assiduos pertulit, saevissimasque hyemes toleravit, donec ab athletica declinans constitutione, atque temperamentum adeptus, ut Medici ajunt, pituitosum, se rusticis in rebus vix exercere amplius potuerit. En itaque illius aspectus a primaevo sensim degenerans rutilo colore, in foedum mutatus, fractae vires, omnesque functiones corporis molestiam producentes intolerabilem. Huc accedit, quod eo ipso tempore, quo corpus a naturali sanoque statu declinabat, matrimonio junctus, & assidua expertus conjugii blandimenta, saepe cum uxore congressus fuerit, ut vim humani generis servatricem experiretur. At hujusmodi imminutae sunt in juvenili corpore vires, ut elapso anno 1773. aegritudo aliqua primum in internis partibus excitata, mox ad externas paulatim transiret. Collum nempe, partesque finitimas, maximeque glandulas thyroideas, salivales, & axillares, scrophularis tumor ita deformabat, ut ne adhibitis quidem remediis utilioribus penitus evanuerit; ea sane ratione, qua in vetulis Helvetiae, ubi talis aegritudo endemia videri solet, non tam facile profundis firmata radicibus evanescit. Haec omnia in juvene adhuc infirmo ad praesentem usque annum 1774. producebantur, ita ut moerore confectus

c) *Corsin. De praef. urb. pag.* 333. & 370.
d) *Macrob. Saturnal. L. VII. cap.* 13. *Senec. nat. quaest. L. II. cap.* 39.
e) *Manut. Adnot. in Cic. epist. L. VI. ep.* 5.
f) *Cicer. Or. post. red. in senat. n.* 5.

fectus, ab ea, qua premebatur, aegritudine ſe prorſus liberari non poſſe putaret. Aprili enim inſtante, doloribus in abdomine identidem recurrentibus, diuturna alvi adſtrictione, vomitu irregulari, & inappetentia valde moleſta correptus eſt. Superveniente autem febre, Bernardinus Vitonius Piſtorienſis Medicus non incelebris, ad eum inviſendum, ſanandumque, ſi fas eſſet, vocatus, de anxietate moleſta commonefactus, praeter alia ſymptomata mobilem, indolentem, inſolitamque duritiem in ſiniſtra iliacae regionis parte detexit, quam, collatis undique ſignis, nil aliud niſi ſcrophularem eſſe tumorem circa meſenterium & inteſtina ſubortum, praegreſſaque inflammatione aliqua ſuppuratum, prudenter conjecit. Hinc factum, ut non neglecto eorum uſu remediorum, a quibus expectari ſanatio fortaſſe poterat, cuncta repente in melius converſa, paucis abhinc diebus, viſa fuerint; attamen aegritudine, diu multumque ingruente parum abfuit, quin aeger repentino correptus inſultu e vita migraverit. Inopinata enim ſupervenit cum per vomitum, tum per alvum foetentiſſima eruptio, quae multiplices continebat ſubſtantias partim albicante, partim purpureo maculatas colore, eamque functionum pene omnium tumultuaria immutatio conſecuta eſt, donec tandem aliquando in ipſo flore juventae Fedius iſte noſter ad plures abierit.

Vocatus chirurgus Aloyſius Strambius defuncti juvenis municeps; cadaver anatomico cultro ſubiicitur; plura adſtantibus obſervanda ſuppeditantur. Scrophularis praecipue tumor in conſpectum venit, qui inter membranas inteſtini ilei ſedem locaverat ſuam, quique citri grandioris magnitudinem adaequabat. Hic tam verſus internum hujus inteſtini tractum, quam externum ſpatium, ab inteſtino ipſo ac meſenterio efformatum, ſua ſponte disruptus, materiam emiſerat illi perſimilem, quam paulo ante obitum evomuiſſe aegrotantem, ac per inferiora dejeciſſe monuimus. Tumores quoque alios inaequali praeditos magnitudine obtulit conſpiciendos inciſio cadave-

daveris, huc illucque per meſenterium diſperſos, quos liveſcentium congeries macularum interrupta diſpoſitione foedaverat. Denique ſerpentis undequaque inflammationis indicia obſervationi finem impoſuerunt.

His animadverſis, profecto exiſtimandum, humores aegrotantis, cujus meminimus, ita fuiſſe ſuapte natura comparatos, ut ſive haereditaria labe, ſive irregulari inſtituto vivendi genere in concretionem aliquam inclinaverint. Ad glandularem meſenterii ſtructuram quod attinet, eam ad recipiendos ſcrophulares tumores aptiorem prae caeteris partibus eſſe, nemo non videt; cum inſuper aſſiduus fiat in meſenterio pinguedinis ex omento manantis affluxus, quo in corporibus infirmioribus nonnunquam adaucto concretio multiplex excitabitur. Neque alibi in corpore humano frequentior tumoribus ſcrophularibus locus eſt, eo quod repetita comprobetur obſervatione, hujus indolis concretionem ſaepe in ea parte fuiſſe detectam, ubi fuit in aegrotante quoque noſtro obſervata. Eam vero efformari facillime potuiſſe, ſcrophularis tumor, qui in collo, partibusque finitimis jam eruperat, demonſtrare videtur. Cujus quidem propenſionis originem, partim ex perturbato ruſticae vitae regimine, partim ex opportuna humorum attenuandorum neglecta ſedulitate, partim vero ex evacuationibus plus aequo affluentibus nequaquam cohibitis eſſe derivandam, quotidiana erudimur obſervatione. Memini profecto duodecim jam elapſis annis ob diuturnam occubuiſſe aegritudinem nobilem virum Piſtorienſem cognomento Nicolaum, e Fabronia gente, equitem divi Stephani, quem ad Lucenſes thermas ſero nimis advectum, inviſere non praetermiſi, ut cl. Collegae, atque amico integerrimo equiti Ioſepho Benvenuto, cujus curae commiſſus fuerat, morem gererem. Hic vel ab ineunte aetate humoribus adeo craſſis a natura donatus fuerat, ut ſarcocele laboraverit, quſi nonniſi extractione teſticuli, ab experto chirurgo ſtatim peracta, ſanari potuerat. At decem circiter elapſis annis, quibus

bus optimae valetudinis praebuerat argumenta, in aegritudinem incidit singularem, ab immutato vitae genere desumendam, innumerisque stipatam insultibus vix arte medica praenoscendis, a qua neque internis, neque externis remediis potuit umquam immunis evadere. Fato demum cessit, Pistorii dum essem, expositoque sectioni cadavere, nil aliud observavi, quam tumores hepar, partesque finitimas aggressos, maximeque unum quinque librarum pondus aequantem, qui a faucibus ad lumbarem usque regionem & spinam dorsi, cui fortiter inhaerebat, undique suspensus, protendebatur. Iam vero neminem latet, quod si ab allatis causis internarum partium vascula quotidie magis ampliora fiant, tumor aliquis producetur modo hanc, modo partem illam, modo plures infestare non desinens, eo quod humorum vires ab eorum quantitate consumantur, & velocitati respondeant, qua propelluntur in partes. Sed cum quoddam valetudine permanente veluti naturale aequilibrium asservetur inter ipsas, viresque vasorum, a quibus humores humani corporis continentur, hinc tali sublato in internis externisque partibus aequilibrio majores efficientur, & tumor aliquis efformabitur, quemadmodum alibi a me ipso demonstratum est *g*). Quae autem utilitas a multiplici remediorum delectu sit expectanda, Medicorum rationalium judicium esto. An proderunt in tumoribus scrophularibus internis amara, oleosa, acidaque remedia? An, antequam remotiores penetrent partium minimarum anfractus, pristinas qualitates amittent, & novas sensim acquirent a naturalibus longe diversas? An potentiora in ancipiti casu partes potius laedent, quam ipsas ad statum pristinum revocent? Rem sane incertam amplectitur, incertoque consilio movetur, qui eas sanare praesumit aegritudines, quas natura ipsa, cujus minister est Medicus, reddidit insanabiles. Tantum vero abest, ut hujuscemodi aegritudines, in juvenili aetate suapte natura inchoatae, atque in adulta paulatim adauctae, & gra-

g) *De osc. tumor. observ. P. I. §. 5. pag. 15.*

datim ingraveſcentes aptioribus evelli remediis poſſint, niſi prius earum ſemina deſtruantur, quin potius lento gradu exacerbentur, interitumque producant: licet enim, ut cum Horatio loquar, *b)*

Naturam expellas furca, tamen usque recurret
Et mala perrumpet furtim faſtidia victrix.

Lucca Onoldum
miſſa die 31. *Ianuarii*, 1775.

OBSERVATIO XIX.

Dn. D. IOANNIS GOTTLIEB GLEDITSCHII

Meditationes, de quibusdam differentiis ſexus, cum in animalibus tum in vegetabilibus, & de variis admodum notabilibus, quae in poſterioribus vario tempore contingunt, mutationibus, ſexum ſpectantibus.

Vegetabilia, ut creata viventia atque organica, veri ſunt telluris noſtrae incolae, perinde ſicut animantia, hac ſola differentia, quod proprie careant ſenſatione animali, ac illis viſceribus, quae ad conſervandam vitam & ſucci nutritii praeparationem requiruntur, qualia in animalibus reperiuntur. Interim nihilominus vegetabilia, quod hodie notum eſt, gaudent ejusmodi generatione & naturali propagatione, quae nititur in *actuali foecundatione germinis* ſeu ſtaminis (*Keim*) ſive in ovo aut ſemine deliteſcentis. Foecundatio iſta, ſecundum rationem atque experientiam, aeque ac in animantibus, duobus mediantibus diverſis ſexubus procedere debet, niſi eſſentialis ſcopus cauſæ finalis fruſtrari debeat. Quemadmodum autem operationes naturæ reſpectu foecundationis in animantibus & vegetabilibus, ex una parte permagnam ſimilitudinem oſten-

b) Horat. Epiſt. Lib. I. ep. 10.

oſtendunt, ſic contra ex altera parte valde conſiderabiles differentiæ occurrunt, quas vegetabilia præ animantibus & rurſus hæc præ illis, in certis quibusdam magnis circumſtantiis foecundationis, ſibi quaſi privatas agnoſcunt.

Dantur ſenſu ſtrictiſſimo *plantae mares*, quarum ſingulariter ſtructæ *partes genitales*, & eo *ſpectantes humores*, æque ac in animalibus potioris ſexus, in altera, ad ipſas naturaliter pertinentia, ſubjecta foeminea peculiari modo agunt, atque hæc ita quidem foecundant ſeu imprægnant, ut omnes illi principales eventus in eorum eſſentialibus attributis conſequantur, quos fere in imprægnatione animalium foeminarum conſequi videmus, cæteris paribus.

Partes illæ vegetabilium, ad foecundationem peculiariter deſtinatæ, ſimul ſumtæ, nobis ſub admodum variis formis atque proprietatibus notæ ſunt, quas omnes communi nomine flores (*die Blume oder Blüte*) dicimus, horumque proprias & peculiares actiones, ſcilicit, *foecundationis negotium*, *efflorescentiam* nominare (*das Blüen*) ſolemus.

Hic flos in ſingulis plantis tertiam partem principalem conſtituit, in quem tandem omnes veluti ex intimis ſuis receſſibus ſponte explicantur, & in qua parte tandem gemmarum ſive cymarum incrementum plenarie terminatur, poſtquam extimam ſuam partem ſeu extremitatem medullæ, ſemper corculo (*dem Herz Keime*) tanquam rudimento futuræ novæ plantæ, in foecundando ſemine, tradere debuerunt, quæ (*pars*) poſt maturitatem, a planta matre tandem ſeparata decidit, & ſponte ſua ex propriis viribus medullæ ipſi impertitæ, plane novum incrementum continuat.

Flores igitur, in quibus ſolis partes foecundationis ſive fructificationis, cum omnibus eo pertinentibus organis unitæ reperiuntur, & in ſe viciſſim agunt, propter hanc ipſorum eſſentialem functionem, conſtituunt peculiari modo fabrefactam officinam foecundationis naturalis. Hic quidem maxime prolixus atque ampliſſimus dicendi campus foret, ſi vel illas tan-

tum differentias commemorare luberet, quæ in foecundationis negotio animalium juxta & vegetabilium manifestantur, etsi de cæteris nullam mentionem faciamus, quæ convenientiam foecundationis ovi & seminis declarant.

Quoniam vero plurimæ horum Physicis (*den Naturforschern*) jam jam nota sunt, vel certe esse possunt; tantum hoc loco generalia quædam, in gratiam aliorum naturæ curiosorum, in mentionem proferam, quæ quamvis evidentia atque certa sunt, tamen minime attentione digna vulgo reputantur. Scimus nempe, experientia magistra, quod cum successiva evolutione animalium corporum, universæ illorum partes, proinde etiam genitales, pro ratione externi habitus sensim paullatimque sic effigurentur, uti nimirum statim post partum vel exclusionem ex ovo, quoad figuram, situm, numerum ac magnitudinem & etiam reliqua huc pertinente naturali proprietate, praesentes sunt, scilicet quales in animalibus, noviſſima aetate, esse queunt, ac debent: ut exinde sexum masculum vel foemineum rectissime perspicere possimus. Variationes quidem atque exceptiones in variis generibus parvulorum insectorum, nondum satis cognitorum, obtinentes, non nisi ad insecta tantum referri debent, & ex illorum adhuc subinde subeundis transmutationibus explicari queunt.

Ista formatio partium genitalium in animalibus, in quantum externa facie cognosci possunt, usque ad certum quendam gradum procedit, & quidem longo tempore ante, quam animal per plenariam & absolutam internam evolutionem omnium eo pertinentium ac requisitarum partium, ad eum statum perveniat, ut per aut in eas cum perfectis viribus, atque etiam humores ad foecundationem necessarios secernere, & per illos agere valeat.

Hic tum status praesens singularem periodum constituit, qua cuncta animalia mira quadam vivacitate prædita existunt. Verosimile autem est admodum, quod haec singularis periodus, propter propagationem, pro varia duratione vitae ipsorum

rum animalium, ipsa quoque variet, videlicet quod forsan magna pars illorum pluribus vel paucioribus annis ante opus habeat, ad internas genitalium partes debite evolvendas; quo corpus post suam conformationem vires necessarias adipisci possit, ad materias pro foecundatione requisitas ex semet ipso depromendas secernendasque, atque hoc ipso ad producendum stimulum illum, non nisi admodum imperfecte nobis cognitum, quo in suum subjectum, amore fertur; de quo de hinc in animalibus foeminis maxime considerabiles sequelas observamus. Tamen illorum quoque animalium statum nobis repraesentare possumus, quae per breve temporis spatium vita gaudent, quod saepe annos 2. 3. 8. 12. vel tantum totidem menses, septimanas aut etiam 24. horas explet, quo generationis negotia maturius, seriusve, aut parcius, vel etiam saepe unica tantum vice perpetrant, antequam vita defungantur.

Huc accedit etiam secunda quaedam circumstantia, quae, propter jam indicatam maximam differentiam, quae est inter permagnam partem animalium atque vegetabilium, sese manifestat, & ipsa quoque singularem considerationem meretur. Haec tam manifesta est quam vulgaris; scilicet animalia quaecunque, si simulac ex ovo prodeunt sine ulteriori transmutatione, seu subeunda metamorphosi, partes suas genitales secum jam afferunt, ista quidem organa genitalia sua semel evoluta semper retinent, neque ea quotannis mutare aut renovare necesse habent: sive nunc coitionem suam unica pluribusve vicibus celebrent aut sustineant, & inter haec diu foecunda maneant, sive statim post primos annos effoeta fiant. Atqui haec quidem admonitio, illis certe hominibus, quidni, superflua videri poterit, qui structuram atque usum florum haud perspicientes, hos non habent pro illis organis, quae revera sunt; contra vero Physici de ista naturali generationis lege sciunt, foecundationis officinam in plantis & quidem omnibus, quotquot humanae notitiae subjectae sunt, opus suum tantum unica vice posse subire, atque ergo quotannis ad singulam no-

vam foecundationem, etiam de novo produci oportere. Nam nemo quisquam vidit, unum eundemque florem in planta perstare & plus semel aut tertia quartave vice fructum ferre.

Plantae, quantum quidem cognitum nobis est, de admodum conspicuis harum partibus, quarum regularem structuram sensibus nostris distinguere & optime perspicere possumus, demum post multas variasque passas transmutationes, ex intimis suis recessibus seu penetralibus in florem explicantur, veluti insecta, sicut initio monitum fuit. Verum ubi determinatam quandam aetatem adeptae sunt, necesse est, ut sint in tali statu, qui simul vitae durationi conformis sit. Nunquam enim planta ulla statim initio aut prima sua aetate plena & perfecta forma conspicitur, ubi primum velut animalia ex ovo suo, ex semine progerminat, sed tantum successive evolvitur ad eum statum, quo denique florem agere valeat, qui nec ipse semper prima & secunda vice fructui ferendo par existit, sed saepe post efflorescentiam rursus decidit.

Itaque differentia sexus masculini foeminei aut androgyni seu hermaphroditici, nunquam in plantis, sicut fere in animalibus recens natis, statim primo initio cognosci potest; ut taceamus, quod ipsis nomen proprium jam indicare queamus, antequam florem earum prius exspectaverimus & examinaverimus. Reliqua signa characteristica, quæ nobis per multas repetitas observationes formare possumus, semper sunt incerta ac inconstantia. Momentum ejus rei, tam respectu rerum physicarum, quam oeconomico-practicarum abunde superque manifestatur

Exempli loco nobis sequentes plantæ servire possunt, propter quarum multiplicationem ac frequentiorem usum oeconomicum, inprimis interesse debet, ut differentiam sexus atque floris quam primum cognoscamus, ad requisitas culturas eo dirigendas. Loco plurimarum hoc loco tantum quasdam ejus generis adducemus, quarum flores masculini & foeminini, in duabus plane separatis plantis, ex eodem semine pro-

progerminant. Dioicæ tanquam genus *Iuniperi*, *Salicis*, *Populi*, *Myricae*, (*des Wachsſtrauches*), *Hippophae* (*des Weidendorns*), *Piſtaciae* (*des Piſtacien Baumes*), *Lupuli*, *Taxi*, *Caricae* (*Melonen Baumes*), & aliorum, quibus ob certas neceſſitates non poſſumus carere; ad quas pari ratione adhuc referuntur alia vegetabilia, quae ex una eademque planta, in diverſis ramis, praeter hermaphroditicos partim fertiles flores, adhuc maſculinos vel foemineos a ſe invicem diſtinctos gignunt, plantæ polygynæ vocantur, nonnunquam etiam præterea ad ſe ſpectantes ſeparatas plantas mares vel foeminas habent.

Ejusmodi ſunt quædam ſpecies palmarum, *Phoenix*, *Chamaerops*, *Coccos*, *Areca*, *Caryota*, *Fraxinus*; *Dioſpyros*, *Ceratonia* (*Joannis-Brod-Baum*), *Morus*, *Acer* atque *Rhamnus*.

Quædam hic memoratarum plantarum ſua propria *amenta* ſeu *Iulos* ferunt (*Blumenzapfen*). Illud temporis punctum, in quo plantae illae in florem ſuum evolvi incipiunt, de quarum ſpeciebus alias jam conſueti ſumus, quod vel flores hermaphroditicos vel maſculinos vel foemineos proferant, qui modo fertiles modo ſteriles ſive caeci vulgo dicti ſunt, Botanicos, quod illorum ſcripta produnt, plus ſemel ſeduxit, ut in determinando ſexu erraverint, & feſtinantius egerint, dum plantas in tales ordines ſeu claſſes diſpertiti fuerunt, ex quibus mox poſtea easdem expungere, atque ad alias claſſes referre neceſſe habuerunt.

Quando itaque tandem plantae in florem explicantur, atque hinc ſua foecundationis organa produxerunt, tenellæ iſtæ partes minime ejus proprietatis atque durationis ſunt, quemadmodum in animalibus, ut nimirum ſuum opus propagationis plus unica vice perficere poſſent, ſed cadunt potius partim cum reliquis floribus (*Blüte*), partim cum ſemi, & plene maturo fructu; vel alio aliquo modo pereunt. Ex adverſo planta quaelibet ad ſingulam unamquamque foecundationem, quotannis has partes plane novas reproducit; cujus plane contra-

rium

rium in animalibus satis notum est. Sed sicut ex omnibus speciebus animalium, ita & ex maximis unum quodlibet ad unicam tantum singularem foecundationis officinam necessarias partes alit; sic singulae plantae vero fere quotannis ingentem vim florum solitariorum producunt.

Causa hujus rei non adeo difficulter eruenda esse videtur, cum earum fertilitas, infinitesies major esse debeat, quam quidem animalium, quae plantis vescuntur & vivunt, vel in alium quendam usum illis indigent.

Omnes plantarum species, quae simul plus uno florum genere in duobus distinctis floribus monstrant, istae non semper statim primo initio utriusque generis flores proferunt, quod faciunt aetate provectiore & magis auctis viribus. In tali casu per dictum temporis spatium incertos nos reddunt, ut non aliter certiores fiamus, quam si optime inquiramus, num planta quaedam adhuc admodum debilis sit, primum oriunda, sive parvula, proinde primum fertilis fieri incipiat, & an florem suum prima an secunda vice ferat? hic status nos docebit, num de hisce aliquid determinare valeamus, aut longius differendam esse hanc determinationem. Namque inter tales plantas, quae forte masculum florem a foemineo, solo situ ac sede in diversis ramulis, separatum proferunt, v. g. ut Corylus, & Iuglans; si harum alterutra primum florem gerit, non semper illico primo tempore utrumque masculinum & foemininum florem in ea reperimus, ut hinc cognoscere possimus qualis sit, & ad quemnam naturalium ordinum v. g. Systematis Linnéi referri debeat; sed demum aliquo tempore elapso utrumque florum genus in conspectum provenit.

Imo saepe in *Iuglande* certis quibusdam annis evenit, ut *quamplurimos flores mares*, *pauciſſimos* vero *foemineos* ferat; vel e contra *ingentem florum foemineorum copiam*, *nullo nec uno* quidem *amento masculino* conspicuo; quo in casu insecta velut ordinati naturae ministri ad hoc opus, *pulverem florum seminalem*, ab aliis vicinis *juglandibus* copiose afferunt. Quod exemplum

plum non tantum ſaepiſſime oculis vidi meis, ſed idem etiam, hoc ipſo anno, in arbore XX annorum, propinque ac curatiſſime obſervare licuit. Facile quispiam hujus rei ignarus in eam opinionem adduceretur, ac ſi praeter notam *Iuglandem* & *Corylum*, adhuc ſeu inſuper darentur aliae ab illis *diverſae*, *maſculinae*, aut *foemininae*: nam fieri etiam potuit, ut ad quandam mixtam ſpeciem ſpectarent, quales ſpecies *Acerum* & *Rhamnorum* genus comprehendit, & item de *Ceratonia* quoque hodie inventum eſt.

Hinc haud obſcure patere poteſt, quam cautus eſſe debeat uſus herbarii vivi, reſpectu peregrinarum nondum ſatis cognitarum plantarum, ad cujus ductum toties Botanici praecipitatas ſuas determinationes ſine ulteriori examine fundare ſolent.

Interim adhuc ſemper iſta quaeſtio agitur, quid in hiſce diverſus ſitus ac nutritius ſuccus vel abundans vel deficiens ſub diverſis regionibus coeli efficere poſſit? Porro annon omnium plantarum flores ibi in *veros fertiles flores hermaphroditicos* evolvi poſſint, qui in aliis coeli regionibus tantum *maſculini* vel *foeminei* eſſe reperiuntur? ut cujus rei veritas reipſa jam per exempla confirmata eſt. Sicut item porro diſquirendum foret, num plantae tantum apud nos, *floribus hermaphroditicis foemineis* praeditae, & proinde ad ſuam foecundationem, *alio flore mare* neceſſario indigentes, in aliis regionibus coeli, ſe non aliquando *in flores hermaphroditicos foecundos* evolverent? *filamenta (die Staubträger)* enim & *antherae (Staubhülſen)* jam praeſentes ſunt in *floribus hermaphroditicis foemineis*, ita ut iis contentus *pulvillus ſeminalis*, tantum adhuc legitime ad foecundationem efformari debeat Nihil obſtante certa veritate omnium illorum, quae paullo ante dicta ſunt, quae vel ſine ulla contradictione affirmari, vel & partim per experientiam evinci queunt, tamen reliquae omnes conditiones ſimul ſumptae dictitant, quod *ordo foecundationis* in plantis aeque certus & univerſalis ſit, atque in animalibus, & quod in utro-

que regno naturae, exceptis limitibus utrilibet propriis, admodum crebrae frequentesque similitudines obtineant. Animalia masculina a foeminis semper differunt, & ambo junctim curant negotium propagationis. Animalia hermaphroditica perfectissima, aut completa ut vocantur, admodum rara sunt, manca vero & imperfecta tanto frequentiora occurrunt: dum aberratio a naturali conformatione tam externarum quam internarum partium genitalium nimis variabilis est, ut fere post accuratiorem inquisitionem, modo alteram partem tantum quasi delineatam, alteram modo solam ad propagationem habilem reperiamus; saepius autem neque hanc neque illam. Quae formationes ut ad manifeste vitiosas pertinent, sic monstrositas genitalium partium, praesertim quando androgynas repraesentare debent, nonnunquam adeo indistincta, confusa & perversa sunt, ut fere vera signa distinctiva sexuum omnino desiderentur.

E contrario major pars vegetabilium plantis consistit, quae *completos flores hermaphroditicos fertiles* ferunt, hoc est tales, ubi *masculae ac foemineae partes genitales inter commune aliquod contegens tegmentum* ita inter se omnes connectuntur, ut sese sine ullo impedimento tangere atque ita foecundare possint. Longe minor numerus respectu priorum constat talibus ita dictis *plantis androgynis*, quae nempe in diversis ramulis, *florem masculinum* vel *foemineum separatim* proferunt. Tertia quaedam species plantarum *flores* profert *hermaphroditicos ex masculinis & foemininis mixtos*, & nonnunquam adhuc in *plenarie distinctis plantis florem masculinum aut foemininum.* Uti autem inter haec neque aliquid superfluum neque supervacaneum aut imperfectum locum habet, sic modo memorata *differentia sexuum* certam suam relationem habet, partis unius ad sterilitatem partis alterius florum: siquidem *modo masculinus modo foemineus sexus in floribus, non plenarie usque ad foecundationem explicatus* seu evolutus deprehenditur. Caeterum adhuc dantur aliqua genera, quorum species, naturales peculiaribus masculinis & foemineis plantis consistunt, (*plantae dioicae*), sicut

ſicut de animalibus jam dictum eſt, quae vero in regno vegetabili minimum numerum reſpectu priorum conſtituunt.

Verum autem ad accuratiorem diiudicationem omnium iſtarum differentiarum, certa requiritur cognitio, quae nititur diuturnis obſervationibus, & fere turbatur amore coeco, qui nos certis ſyſtematibus, praeceptoribus, vel horum auctoritati atque amicitiae ſervili jugo alligat, ut hinc profiteri non audeamus, quod revera cernimus, ſed potius opinionibus quaſi adhaerere debemus, de quarum certitudine nobis nondum conſtat. Nam in examinatione florum maſculinorum ac foemineorum optime diſtinguere nos oportet, an naturales iſti ſint, an vitio debitae formationis tales facti fuerint, ſicut v. g. in *luxuriantibus* (*wuchernden*) & *truncatis floribus* fit; item in floribus alias aggregatis, praeſertim propter copiam & magnitudinem illorum in nimis anguſto & coacto thalamo, & deficientem ſuccum nutritium omnino fieri ſolet. Quam cito enim non immutatur directio tenellarum fibrarum nervoſarum in tenerrimis florum partibus per formationem, & quam facillime non impeditur directio mollium proceſſuum medullarium, ut in ultimis ſuis extremitatibus duriores evadant.

Diſtinguenda itaque in examinatione praecipue ſunt, certa quaedam naturalia genera & ordinationes plantarum, ab illis in ſyſtemate ſexuali ita dictis *ſyngeneſiſtis*, ſimul & *graminibus monoicis, dioicis* & *polygamis*; ex quibus omnibus, ſi quidem ſecundum artis principia (*nach der Gründlichkeit*), atque veritatem agere voluerimus, non curando omnes illas regulas, quas ad legendas haſce, uſque in hoc tempus parum determinatas circumſtantias, & confuſionem praecavendam, atque ſuſtentandum adeo, usque in hunc diem, adamatum ſyſtema ſexuale plantarum vulgo tyronibus dare ſolent: plurima genera plane expungi, atque ſub claſſibus florum hermaphroditicorum referri deberent.

Verum enim vero ſi defectum, & antheras cum filamentis mutilatas, in plurimis floribus, modo memoratorum generum, ordinationum atque claſſium plantarum, jam jam demon-

ſtravimus, quin ad ipſos characteres generum plantarum applicata fuerunt: ita etiam ex contrario deſtructio fibrarum in formatione florum, ſatis nota eſt. Exemplo quod hanc rem clarius explicet inſtar omnium ſervire poteſt *Zea Linnaei*, quae eſt planta monoica, & nihilominus adeo annotabilem atque extraordinariam praeternaturalem diſperſionem & confuſionem florum maſculinorum & foemineorum, alias naturaliter ſegregatorum, oſtendit, quas alioquin in hujus generis ſpeciebus vix ſuſpicemur, quales tamen revera reperiuntur.

Denique jure adhuc hoc loco mentio facienda eſt cujusdam circumſtantiae, quae quoniam ſaepe praeterviſa fuit, inter auctores ſcientiae naturalis (ſeu Phyſicos) objectionibus, contradictionibus, & erroribus occaſionem dedit, & proinde ob accuratiorem dijudicationem florum tam in maſculinis quam foemininis ſpeciebus plantarum ſolitarios (ſ. ſporadicos) flores plane abſcondit, quos inter illos minime quaereres: ſcilicet aliqua planta maſculina, aliquos perpaucos foemineos habet, & alia foeminea ſimul aliquos maſculinos profert, de quo nihil nobis primo intuitu apparet. Sub iſta circumſtantia peculiaris quaedam providentia naturae latere videtur, atque hinc apparere poteſt, quare ſaepe in plantis maribus nonnulla ſemina exiſtant, & quare planta foemina nihilominus ſemina ſua ad perfectam maturitatem perducat, licet quibusdam in locis, longe lateque nulla ſubjecta maſculina detegi potuerint.

Univerſa florum genera, de quibus in praecedentibus ſermo fuit, ſive ſimplices fuerint, ſive ex hiſce compoſiti, & cum altero ſexu quocunque ad ſui foecundationem & propagationem inſtructi ſint, tamen ob cauſas naturales, reſpectu ſexus certum ordinem ſervant, qui adeo conſtans eſt, ut nulla ex plantis ſuum ſexum revera permutet, & ut ergo planta foemina, ſi quidem revera talis eſt, nunquam in marem mutetur, quamvis licet partes ſuas, quae foecundationem ſpectant, determinato tempore abjiciat, & quotannis renovet; quod poſterius, uti jam monuimus, in animalibus nunquam locum habet.

bet. Ut interim non expendamus peculiarem modum, gravesque rationes & ſingularem neceſſitatem ſuſtentationis omnium ſpecierum atque animalium, quam natura in vaſta ſua oeconomia per prædeterminationem ſtaminis in ovo ſive ſemine, tanquam æterna lege conſtituit: in quibus nimirum pars formantis ſeu foecundantis medullæ, & quidem ejus ipſius medullæ mediante ſemine, cum illuc pertinentibus tinctoriis humoribus, illius ſpeciei plantae vel animalis, quae jam mille abhinc annos & ultra exſtitit, in omnes longiſſima ſerie conſequentes ſpecies, ſine imminutione transferri debuit; hoc momentum, inquam, harum circumſtantiarum non perpendendo, quidam animo ſuo induxerunt, ſerio contendere, quod & animalia & plantae, ſuum genus juxta & ſpeciem permutare poſſent, & etiam revera mutarent. Apparentiis, formationibus praeternaturalibus, monſtroſitatibus, atque falſis obſervationibus ſeducti, ſuam opinionem praecipuo exemplo ſalicum confirmare anniſi ſunt, ad quarum permutationes, alioquin per ſe ſatis magnas & paene in infinitum procedentes, parum videntur animum advertiſſe, partim vero id quod viderunt parum intellexerunt, & ſiniſtram ejus explicationem dederunt.

Regnum cum animale tum vegetabile hinc inde in quibusdam ejus claſſibus, ordinationibus & generibus, plura pauciorave monſtra exhibet, quae vero tanquam accidentalia, inconſtantia ſunt, variabilia, & quod adhuc magis eſt, ſatis cito cognoſcuntur. Si praeter alia in regno vegetabili florum ſtructura per extraordinarium exceſſum, aut imminutionem quarundam partium eſſentialium, a naturali lege ita recedat, ut in talia monſtra abeant, per quae eſſentialis finis genus propagandi, quodammodo plus minus fruſtratur, aut plenarie aboletur. Forte illa, quae in praecedentibus de quibusdam ſpeciebus arbuſcularum tenellarum vel fruticum, ratione temporis momenti, quo efflorescere atque fructus ferre incipiunt, dicta fuerunt, occaſionem dederunt huic errori, ſtatuendi ob diverſitatem florum imperfectorum, tanquam quaedam ſpecies ſuum genus revera mutaſſent. Verum autem quomodo,

quaeso, non vel per unicum inopinatum afflatum tenellarum plantarum seminalium seduci possumus, dum juxta crescendo, una post alteram densa sylva florere incipiunt, quae aliquoties resciſſae, ex radicibus plane regulariter inter se discurrentibus, rursus denuo progerminant; nisi quidem certo nobis constat, tantum unius stemmatis esse, cujus flores per plures annos continuos, accuratius observari a nobis possint.

Salicum species, quae paene per excedentem multiplicationem volatici sui, lanuginosi seminis, & per perpetuam sustentationem ope propaginum (*Säzlinge*) fruticum, atque stipitum (*Stöcke*) fere extra cognitionem ceciderunt, usque in hunc diem, adhuc parum examinatae fuerunt. Illustris Linneus XXXI. species illarum exhibuit, quarum pars vero rursus intercalari apte possunt. Species omnes quae apud nos crescunt, quantum scitur, tam masculinas quam foemineas plantas, plenarie inter se distinctas proferunt. In masculinis quidem filamentorum numerus perquam variat, alternis vicibus modo 1. 2. 3. 4. 5. ad 6. ferunt, verum in quibusdam numerus incertus manet.

Dn. Scopoli Flor. Carniol. ed. 2. inter *salices hirsutas ac latifolias*, quas in nostris regionibus *Werfft*, *Sohl- oder Sahl-Weiden*, vel etiam *Felber* vocant, *salicem* quandam *hybridam* refert, cum longis singularibus seu solitariis filamentis, qui ad dimidietatem usque fissa & binis antheris instructa sunt. Ill. Linnaeus, Spec. Plant. 262. n. 1. e pulchram aliquam *salicis speciem*, *foliis glabris denticulatis* retulit, quam *amenta florum hermaphroditicorum* habere ait, caeteroquin perquam similem *salici ipsius pentandrae*, *vel laureae*, quae posterior illa est egregia Laurea nostras, sive salix lanuginem gossypinam ferens (*Baumwollen Weide*). Qui salices per plures annos consequentes attenta mente contemplatur, me non monente certe observaverit, eas admodum proclives esse, quae formam suam mutent: ad quod plurimum facit copia *salicum seminalium*, cui accedunt

dunt permagnae illae viciſſitudines, quae *ex multiplici ingeſtatione pulveris florum ſeminalis, mediantibus apibus aliisque inſectis*, a menſe usque Aprilis ad Iulii menſem, quotannis originem ſumunt, & quae fere multiplicitate extra cognitionem noſtram cadunt.

Tribus abhinc annis, ut in examinatione ſpecierum ſalicum aliquam operam navare apud animum conſtitueram, per ſaepius iteratam contemplationem *ſalicis pentandrae*, & *ſpeciei cujusdam intermediae*, quam, ſecundum deſcriptionem, cum nulla potiſſimum, niſi cum illa flore hermaphroditico Ill. Linnei, comparare poſſum, *florum hujus foemineorum amenta* quaedam multo longiora tenuioraque caeteris deprehendi. Florem quidem jamjam miſerant (*abgeblüet*), ſed tamen ita parce, ut ego reliquias filamentorum inter jam immutata piſtilla, tanquam aliquid inexſpectatiſſimum, optime obſervare potuerim. Paullo ante eodem ſpectaculo, in ſingularibus florum foemineorum filamentis *ſalicis viminalis* noſtratis (*unſere Fiſcher-Weiden*) gaviſus ſum: dum forte quidam meorum diſcipulorum, quem inprimis diligentiſſimum habeo, *Dn. Steidel*, inter frutices ſeu dumos vulgaris ſpeciei *ſalicis capreae* (*der gemeinen Abänderung des kleinen rauhen Werftes*) flores maſculinos & foemininos ejusdem ſpeciei, ſibi comparare ſtudens, *in eorum florum amentis, inaequalem & fere inuſitatam miſcelam florum marium cum foemineis obſervaret*, quos ut rem novam admiratus, illico mihi ad ulteriorem disquiſitionem offerebat. Facile iſtum fruticem, quippe ob peculiares ſuos flores, inveniebam, & etiam poſtridie ejus diei, tribus locis ex toto diverſis viridarii, quod hic Berolini eſt, Regii, in quadam copia inveni, ubi alias nulli niſi *maſculini aut foeminei frutices* reperiuntur. Ferme quotidie iſtos frutices inviſebam, quo, ubi deflorerent, certior fierem, *revera fertiles eſſe nec ne*?

Vere praeterlapſo obſervatio mea continuata eſt, usque dum ſemen maturuiſſet, & de omnibus, quae quidem huc ſpectare poſſent, ſequentia omnium accuratiſſime obſervavi.

Modo

Modo memoratae *Salices capreae (d. Werfft oder Sahl-Weiden)* omnes tanquam *salices seminales*, *a volatico semine ortae* fuerant, & sine certo numero & relatione, quae determinari posset, ad se invicem, *integra florum marium ac foemineorum distinctorum amenta ferebant*, *in iisdem ramulis primariis vel secundariis*, figurae ac magnitudinis valde consuetae & ordinariae, sicut in specie majori ac naturali esse sueverunt: simul autem adhuc praeterea quaedam *Amenta hermaphroditica foecunda*. In utrorumque florum amentis priorum generum nihil singulare distingui poterat, *in ramulis vicissim cum florum hermaphroditicorum amentis*, *sine certo ordine alternabant*. Posteriora tamen, propter conspicuitatem suam fere medium tenebant, inter ambo priora, *quae magis erant amenta foeminea quam masculina*. *Filamenta ordine per paria conspiciebantur*, *ubique pistillis intermixta*, & *majores illorum antherae pulvillum seminalem foecundum* spargebant. Odor gratissimus erat & analepticus, atque apes frequentes advolitabant.

In quibusdam amentis (sive julis *Blumenzapfen*), florum hermaphroditicorum, filamenta numero variabant, modo copiosiora modo pauciora erant, aut in inferiori extremitate, aut versus apicem amentorum nonnunquam *solum in medio*, vel etiam *in uno alterove latere amenti*, ut adeo quidem (flores) *modo magis masculini vel foeminei*, *modo ex toto hermaphroditici* essent, paucis tantum praeter masculinos deciduis; & equidem jam mense Iulii vertente maturum semen illorum accipiebam.

Haec salicum species ergo foret, quae aut hybrida nominanda foret, sed quae nihilominus tamen ab hybrida illa celeberrimi Consil. mont. Scopoli, juxta propriam ipsius relationem, ex toto diversa existeret: aut meliori quidem jure nominaretur *salix polygama hybrida*, quoniam in diversis primariis vel secundariis ramulis, trium diversorum generum, & praecipue quidem florum hermaphroditicorum amenta producit.

Pos-

Possumus hoc phaenomenon istius salicis, item generationem plantae polygamae, respectu perfectorum amentorum florum hermaphroditicorum, jure certo considerare ut plane singularem atque rarissimam, quae in tali plantarum genere contingit, quod alias *apud nos tantum species dioicas* continet, atque complectitur.

Necesse est contigisse plane singularem conjunctionem, per foecundationem medullae, in ipso stamine seminis, quae in ista medulla directionem subtilissimorum fibrosorum processuum plane immutare valuit, & eo ipso forsan plane singularem potestatem impertita est, prorsus novam formam effingendi, cujus existendi modum intelligere non valemus quidem, sed quae nos in sequalibus casibus ad profundam meditationem instituendam, cum emolumento instigare potest. Fortasse alii ante me quoque eandem rem observarunt, & *hinc pronunciarunt, quod salices sexum mutent.* In praesentiarum contentus ero, adeo rarum spectaculum oculis percepisse atque cum aliis communicasse, donec aliquando par exstitero, illud utilius applicandi.

Berolino Onoldum
missa die 23. *Februarii* 1775.

OBSERVATIO XX.

Dn. IOAN. CHRISTIANI ANTONII THEDEN

De

Hymene coalito, & plenario defectu uteri.

Innumera sunt phaenomena in chirurgia occurrentia, quorum rationem non statim assequi licet, quicunque autem attento animo naturam rimatur, illiusque velut vestigia premendo, usque in abstrusissimos recessus eam persequitur, huic quidem haud occulta manere potest, quin causas vitiorum certissime

tissime revelabit, atque laboris sui infinite magnum, longe maximum praemium ipsum manet, quando quidem opitulari humano generi didicit.

Natura in sexu sequiori, ubi hic ad perfectionem pervenit, fluxum menstruum producit; quem plurimae quidem absque difficultatibus accipiunt, nonnullae vero ex illo diutissime languent, & iterum aliae ejus plenarie immunes manent; verum hae posteriores exinde lernam malorum perpetiuntur, ac aetatem suam languentes degunt. Prohibet plurimas pudor, quo minus prudentibus Medicis malum suum aperiant, plerumque autem loco medicorum aniculae de hac re consuluntur, quae saepissime pessimis sequelis dant occasionem. Quodsi optimus quisque Medicus in consilium aduocetur, & si medicamenta, alias nunquam operam fallentia, incassum adhibeantur, tum requirendum sedulo est, annon circa quandam phasin lunae, maxime circa lunam falcatam, (*das erste Viertheil*), vel aliquot diebus post, orgasmus versus genitalia contingat, quod si ita sit, ad inspectionem ocularem & explorationem manualem adhortari debet, ubi tum statim causae retentionis menstruorum detegentur. Duo casus certe me docuerunt, quod hymen vaginam uteri penitus occludens causa exstiterit, quare fluxus menstruus erumpere non potuerit, & casu quodam edoctus sum, uterum muliebrem plenarie defecisse. Prior foemina quidem subitaneam opem recepit, posterior vero a plurimis chirurgis lustrata, omnino sine utero esse deprehensa est, nihilominus tamen ista foemina circa eam phasin lunae, qua menstrua prodire debebant, aliquam pressionem & sensum gravativum versus sinum percipit, ubi tum vagina uteri brevior facta videtur. Fundus vaginae digitis sentiri potest, nec tamen durities aliqua matricis, multo minus adhuc aliquod oris uterini vestigium reperiri potuit.

Virgo quaedam, annorum septemdecim, post decimum quintum aetatis annum ex menstruorum obstructione langue-

rat,

rat, cum dexterrimorum medicorum tum vetularum consiliis remediisque usa est, sed omnibus frustraneo effectu. Facie & habitu cachexiam denique prae se ferebat, & postremo ego quoque in consilium adhibitus fui. Tempore novilunii congestio percipiebatur versus obscoena, tres ad 4. dies durans, postea vero sequente angustia pectoris & lassitudine (*Zerschlagenheit*) universi corporis scalas non absque difficili molestia adscendere poterat. Remedia, quae alioquin raro fefellerunt ad restituenda menstrua, hic incassum adhibui. Sed postquam semper dicto tempore congestionem illam versus partes observarem, ad inspectionem adhortabar, quae denique die secundo post memoratam congestionem permittebatur. Extemplo hymen magnitudine monetae, quae duo grossos aequat, (*eines 2. Groschen Stücks*), conspiciebatur, inferius fornicatum, colore ferme nigro. Hinc statim judicabam, id esse a sanguine accumulato; & inciso tumore cum debita praecautione, plaga in formam crucis facta, statim coagulatus cruor, fluido sanguini permistus cum impetu prorumpebat. Aegra inde illico se levatam sentiebat, & in posterum tributum suum lunare statuto tempore absque ulteriore molestia solvebat.

Hic casus postea causa fuit, cum iterum de puella quadam 15. annorum, mensium obstructione laborante consulerer, ut statim ad inspectionem adhortarer, qua concessa conspiciebatur hymen clausum, monetae magnitudine unius grossi, procul dubio ideo, quod nondum per crebriorem sanguinis appulsionem ita dilatatum esset, sicut prius; administrata fuit operatio, atque haec aegra priori in omnibus similis existebat.

Supra monui, uterum aliquando plenarie defecisse, ut vagina manu intropelli potuerit, verum post accuratam disquisitionem, inveniebatur in causa hic esse hymenis productionem.

Foemina erat, etiamnum inter vivos degens, conjux militis ejus generis, qui tormentis bellicis (sive rei tormentariae) praeficiuntur (*eine Cannonier-Frau*) 28. annorum, quae suasu

mulierculorum, vigesimo anno aetatis viro nupserat, ut per matrimonium menstrua sua adipisceretur, quibus vero post octennem concubitum cum viro pancraticae valetudinis nihilominus non prodeuntibus, illa chirurgum quendam cohortis, atque iste me consuluit. Inspiciebam istam mulierem, & saccum inveniebam, membranaceum, inter labia vulvae prominentem, quo intropulso quoad digito pertingere poteram, nullum uterum potui percipere. In accumulatione menstruorum hic saccus brevior crassiorque in sua substantia erat, quoniam vero nullum uterum observare potueram, ab operatione destiti, illa vero post annum elapsum vehementer institit, ut operatio fieret, & quod si ego ipsi opitulari nollem, sese in Nosocomium Charitatis introituram esse, ajebat. Illam ostendebam viris, Domino PROEBISCH, atque SCHMUCKER & Chirurgo stipendiario Regio, nomine HEMMANN, omnes isti viri ad meam accedebant sententiam, nimirum saccum illum esse hymen per coitum productum, cujus post ablationem forsan ipsa vagina atque uterus in conspectum proditura sint. Igitur suscipiebam operationem, quae in ablatione totius istius sacci consistebat; praesentibus viris supra nominatis; verum neque vagina neque uterus ipse reperiebatur, sed spongiosa substantia, quae in pelvi solet, facile ad sanitatem perducebatur. Primae coitiones cum mare dolorosae erant, insequentes autem blandiores; nonnunquam aliquid humoris purulenti ex apertura effluit, de fluxu ordinario vero, item de utero, annuo spatio & ultra post operationem, nihil quicquam se manifestavit.

Cautum est de hac foemina, quod si forte, caeteroquin adhuc saniissima, moritura sit, ut post mortem sectione aperiri debeat, quo orbis litteratus aliquando de hac re ulteriora cognoscere queat.

OBSER-

OBSERVATIO XXI.

Dn. IOAN. CHRISTIANI ANTONII THEDEN

De

Superfoetatione.

Diu multumque ab omni tempore de ſuperfoetatione in utramque partem diſputatum eſt, dum quidam illam uti poſſibilem ſtatuerunt, verum haud ſufficientibus exemplis innixi ſunt, major pars vero hanc ideam ridiculam reddere conati ſunt.

Theoria quidem ſuperfoetationem concedere nequit, verum experientia docet, quam facile in theoreticis eveniat, ut erremus. Equidem hujus rei his diebus exemplum habui. Uxor cujusdam decurionis militum, ut ipſa quidem opinabatur, foetum octimeſtrem gerebat, die 28. Octobr. in culinam intranti quicquam excidit ex partibus pudendis, praeter dolorem, quod quum reſpiceret, infans erat circiter trium aut quatuor menſium, ſexus maſculini; ſecundo die poſt, doloribus obortis ad partum, infantem parvulum quidem ſed tamen ſanum parit, etiamnum cum haec ſcribo vita fruentem, debilis quidem eſt, ſed tamen tum cute tum crinibus & unguibus perfectis praeditus.

Abortum iſtum apud me, in ſpiritu vini aſſervatum videre licet, cum praelongo funiculo umbilicali.

Poſt partum obſtetrix mox ſupra os uteri invenit ſubſtantiam quandam ſpongioſam, intus excavatione quadam conſpicuam, id quod illam in admirationem abripuit, nihil tale unquam antea conſpiciens; procul dubio hoc loco ſecundarius foetus ſitum ſuum habuit, ego vero nullis poſt verum partum exortis ſymptomatibus, nihil ulterius in hac re obſervare potui.

Hic caſus maxime notatu dignus eſt, quem idcirco Academiae Caeſareae N. C. quantocyus propalare propero, ut

controverſiam tamdiu agitatam, cum maximo ſuo honore ad finem perducere queant.

Scholion.

Mulierem gravidam ex novo coitu iterum concipere poſſe, exquiſite probavit rationibus & exemplis illuſtravit Celeberrimus WILH. HULDER. WALDSCHMID, Profeſſor Kilonienſis, Collega quondam noſter, in epiſtola de ſuperfoetatione falſo praetenſa, Append. Volum. II. Act. Phyſ. Med. inſerta, ſententiis affirmantium & negantium ſtudioſe diligenterque collatis. Quae vero longo tempore poſt primam conceptionem fit, ut plurimum imperfectus abortus reiicitur, qualem legere licet l. c. Obſerv. 124. nono poſt partum foetus maturi die excluſum fuiſſe embryonem digitum longum. Id quod confirmat oculatiſſimus FRID. RUYSCHIUS Obſervat. anat. Chirurg. 14. & Theſaur. anat. VI. embryonem ſemi unciae magnitudine natum eſſe ſex horis poſt partum novimeſtrem, ceu infallibile ſuperfoetationis exemplum. Ex magna gravidarum ſalacitate uterum denuo reſerari, & hac ratione duplicem diverſo coitus tempore conceptionem fieri poſſe perhibetur. In praeſenti caſu foetus uterque abortivus eandem habet diagnoſin.

Ferd. Jac. Baierus.

OBSERVATIO XXII.

Dn. IOAN. CHRISTIANI ANTONII THEDEN

De

Hydrophobia cum morte terminata, absque morſu rabidi animalis orta.

Quidam miles ejus generis, qui tormentis bellicis praeficiuntur, germanice, *ein Cannonier*, nomine Dorſt, ex cohorte Capitanei Dn. PITSCHELS, annos natus 26. macilenti corporis

poris, quoad profeſſionem ſuam ſartor, potationi vini ardentis, ſaltationibus, & voluptuario vitae generi totus addictus, poſtquam abhinc decem hebdomadas ſeſe militum dictorum ordini adſtrinxiſſet, die 12. Septembris, ad ſolemnes tormentorum exploſiones, in expeditionem ire jubebatur. Die iſto magnum frigus erat, atque pluvioſus aër, & miles noſter, ſicut caeteri, ſeptem horis continuis iſti caelo exponebatur, hinc veſtes ipſius ex toto madebant a pluvia, atque ejus corpus vehementer refrigeratum erat. Ad fragorem exploſi tormenti bellici vehementi pavore percuſſus fuerat, finito vero exercitio militari, largum potitaverat vini aduſti hauſtum; laetus deinceps, quaſi re bene geſta, poſt iter fere dimidii milliaris ad ſtativa revertens, adhuc duas menſuras ſeu quartarios (vulgo *zwei Quart*) cereviſiae albae pro potu hauſit.

Diebus 13. atque 14. Septembris iterum ad ſolemnes tormentorum exploſiones verſus campum exercitus cum agmine proficiſcebatur, quamvis jam pridie 12. Sept. veſpere frigus & aeſtum paſſus eſſet, quod autem non indicaverat: ſed d. 14. dolores punctorii pectoris cum pulſu duro & pleno ipſum invadebant, quare ſanguis ipſi ad ℥X mittebatur, ſimul exhibitis pulveribus reſolventibus, qui etiam noctu, dum non dormiret aeger, ſumi debebant, ad promovendam tranſpirationem.

Die 15. autem mane Chirurgus cohortis comperiebat, quemadmodum bis noctu fruſtra tentatum eſſet, ut illi pulveres ipſi ex aqua darentur, cum thea vero ſumendi facilius. Verum hora quarta pomeridiana, aeger omnem aquam abhorrebat, quin motus convulſivi orirentur, ſimulac quispiam potum oblaturus ipſi appropinquaret, atque os ejus tetano ſ. ſpaſmo maxillae firmiſſime claudebatur. Punctorii pectoris dolores adhuc vehementes erant in ſiniſtro latere, quare iterata vice unciae X. ſanguinis detrahebantur, frictiones, fotus, veſicatoria, omnia incaſſum tentabantur. Die 16. Sept. multam ſa-

livam

livam spumescentem reddebat, & quicquid ipsi propius accederet, mordendi cupiditate ferebatur; haec durabant in noctem usque ad horam 12. ubi tum cerevisiam postulans, hujus plenam mensuram strenue ebibebat; interea motus convulsivi perdurabant usque ad diem 17. mane hora 5. qua morte occubuit.

Post mortem sectione in cadavere instituta, remoto cranio, omnia vasa occipitis sanguine praeternaturaliter turgebant, sinus longitudinalis simul & laterales pleni erant denso congrumato cruore, tertio ventriculo cerebri copiosa aqua continebatur, qua etiam glandula pinealis scatebat. Pectore atque abdomine apertis, pulmones item aspera arteria, nec non cor cum suo pericardio in statu naturali conspiciebantur, diaphragma vero vehementer inflammatum, ita ut punctum seu centrum ejus tendineum plane rubrum nil quicquam alboris ostenderet. Ventriculus mire exiguus erat intestino simili, oesophagus superius, qua ab ore incipit, ac inferius manum latam, inflammatus erat.

In hepate observabatur pars inflammatione tacta inter ligamentum umbilicale atque venam cavam. Colon, quod maxime admirandum erat, a caeco usque ad rectum mire flatibus extendebatur, valde inflammatum. Similiter intestina tenuia flatibus expansa turgebant & maxima inflammatione affecta erant; in reliquis omnibus partibus nihil notabile occurrebat.

Ex omnibus hisce liquet, morbum illum fuisse veram paraphrenitidem. Defuncti vitae genus, per crebriores exaestuationes, quas subita refrigeria exciperent, in eo acrimonias humorum arthriticas genuerant, quas diutius corpori admissum frigus ad diaphragma ac colon determinavit, atque horum inflammationem produxit. Quibus hydrophobia se, tanquam symptoma associavit.

Berolino Onoldum
missae die 23. Februarii, 1775.

OB-

OBSERVATIO XXIII.

Dn. SELLIEN

Perilluſtri Domino Directori Cothenio exhibita

De

Vehementi laeſione calvariae a praecipitatione ex equo quinque vicibus trepano ſubjecta.

Quidam ſubpraefectus militum, cui Gaſſer nomen erat, legionis tum temporis Seydlitzii, nunc vero Pannewitzii, & quidem centuriae praefecti ſuperioris Domini Comitis de Lottum, aetate 38. annorum, Streelae, equo calcaribus ſubditis, miſſis habenis, per plateam volucri curſu ferebatur, atque die 2. Octobr. 1773. tanta cum vehementia una cum equo praeceps agebatur, capite contra praeacutum ſaxum impingens, ut is ipſe miles pro mortuo in ſuum domicilium deferretur, in auxilium advocato Chirurgo caſtrenſi turmali, qui ibi loci in ſtativis aderat. Hic, equo delapſum, voce deſtitutum ſenſuum que uſu carentem deprehendens, extemplo nuncium ad me, cum relatione, breviuſcula quidem, ſed tamen de morae periculo admonente, miſit, atque ipſe ille ſtatim aegro ſatis largam ſanguinis copiam, vena ſecta detraxit. Poſtridie d. 3. Octobris, jam jam primo diluculo aderam, & aegrum in triſti ſtatu conſpiciebam, quare ſtatim ad explorationem properabam, periculum enim in mora erat. Igitur externis integumentis cranii, ſupra & juxta locum laeſum remotis, apparuit fractura quaedam, figura rhomboidali, unum & dimidium pollicem longa aeque ac lata; mox ſupra apophyſin naſalem, & ab utroque latere, ambos ſinus frontales, magis vero dextrum afflixerat, ita, ut fracti hujus oſſis portio, ab interiori ſubſtantia diploetica, in inferiori cranii lamina ubique, circiter una ac dimidia linea largius quam in ſuperiori tabula dehiſceret, & ita firmiſſime ſub cranium introtruderetur, ut neque vectem inter interſtitia adigere, neque levatorio fundi, os loco dimovere ne-

nedum eximere potuerim. Praeterea id frustum adhuc firmiter cohaerebat, cum nasi osse & cum sinu ossis frontis, ita, ut plane immobile esset. Porro conspicuae aliquae fissurae, mejusserunt, utin denudatione partium laesarum ulterius procederem, quo simul etiam dolor, subinde inferendus, unica vice finiretur. Ibi ergo scissuram duorum pollicum in medio ossis frontis, ex transverso futurae coronalis, secundum longitudinem sagittalis ad lambdoideam descendentem, in sinistro osse bregmatis terminatam, inveniebam; reliquas duas scissuras autem non ulterius persequi poteram, ob situm difficilem, qui altiorem explorationem prohibebat. Utut autem haec prior investigatio crudelior, ac cruenta esset, ita nihilominus maximo emolumento fuit, respectu obstupefactionis, febris vulnerariae, atque tumoris faciei. Sectione non tantum musculus fronto-occipitalis, & musculi supraciliares plenarie discindebantur, sed neque etiam arteriarum aliquot conspicui rami, & ipsius musculi temporalis pars, incolumes manere poterant. Aeger refici viribus videbatur, cum quilibetcunque credidisset, illum doloribus necessario succubiturum; deligatio sicca hanc curationis partem hac vice finiebat; conduplicata linteamina, seu Compressa, ut vulgo vocantur, ex vino tepido cum aceto & aqua coulardi expressa, caput tegebant, & subinde renovabantur. Pulveres temperantes & absorbentes cum chinae cortice, una cum usu potus aciduli & clysterum internam curationem absolvebant. Hisce aeger magis magisque reficiebatur, hinc ego occasionem nactus, ipsum bono animo esse jubebam, fore enim, ut omnia ad ejus commodum sint evasura, quando quidem faciendam operationem cum patientia & animi constantia subiturus esset, nam quod dolorosissimum esset, jam superatum esse; patiens autem nihil horum recusabat. Pulsus neque nimis durus febrilis, neque celer admodum erat. Eadem die post meridiem, ut religato vulnere observabam cessare sanguinis profusionem, ad operationem me accinxi; atque ipsi

pro-

prope fracturam & supremam fissuram utrinque duas magnas coronas applicabam, & juxta illas rursus duas alias, ita, ut pyramides tantum duabus lineis a margine distarent, & portio fracti ossis a marginibus coronarum accuratissime tangeretur. Iam nunc ope elevatoriorum integram ossis fracti portionem, intrusam, & etiam ope instrumentorum commodorum scabros angulos inter binas coronas remanentes, & aculeos laesi cranii removere, simul etiam statim meninges a sparsis festucis sinus frontalis dextri purgare poteram. E contrario in parte declivi fissurae praelongae, quae in osse bregmatis erat, idem trepanum applicabatur, quo haec quoque pars supra sinum longitudinalem durae matris ab extravasato cruore liberaretur, atque obviam suppurationi iretur. Utut dilaniatum caput hujus viri compareret, cujus os syncipitis aperturam trium pollicum latitudine, una computatis aperturis trepano factis, & $2\frac{1}{2}$. pollices in altitudinem porrectam, habebat, cranio insuper pluribus in locis multis fissuris fatiscente, atque sinu frontali dextro ex toto fracturis comminuto, & orbita utraque fissuris affecta; in quo porro sinus falciformis & ipsa dura mater per vehementiam lapsus plenarie a cranio divulsa erat, & cerebrum quoque procul dubio vehementer concussum fuerat: his omnibus non obstantibus miserrimus noster aeger, veluti ex orci faucibus ereptus ad animam redibat. Dolor universus in parte laesa, sub cranio atque in ipso cerebro post triduum elapsum plenarie cessabat. Mentis suae optime compos erat, pulsus plane non febrilis, somnus reficiens minime insomniis turbatus; tam secretiones quam excretiones nulla promotione artificiali indigebant; frigus tum calorem & sudorem aeger noster aeque ignorabat, sicut etiam nauseam ciborum potusve, licet equidem inter haec magnam moderationem suadebam, id quod etiam, sub continuo usu supra memoratorum medicamentorum, accuratissime servabatur. Oculi, eorumque palpebrae imo tota facies nullam patiebantur inflammationem, neque tumor ullus aut rubor pallorve aegri aspectum foedabant. Duo Medici & quinque Chirurgi hujus urbis,

quos participes hujus casus feceram, id tanquam rarum & mirum spectaculum considerabant. Una quaeque dies, & nova quaeque deligatio, aegrum juxta & me maxima spe implebant, dum omnia ad animi sententiam contingerent; siccae perpetuo simul & calidae deligationes, bonum pus & praecipue vulneris puritatem procurabant; dura mater ac aperturae cranii, maxime egregia carne opplebantur; ipsa ossa asperitate sua incipientem exfoliationem ostendebant, quare ego horum superficies perforationibus ad id aptiores reddebam. Etiamnum festucae aliquae, sinus frontalis dextri, & aliquot aliae in lamella inferiori ossis cranii sponte jam per suppurationem separabantur, quas facile eximere poteram. Ut autem octo diebus continuis tanta affulserat salutis spes, & nonnisi optima quaeque prognosis instituenda videbatur, sic derepente pulcherrimus futuri eventus, quasi momento temporis permutabatur. Etenim profundius delitescentes causae, sive pus altius absconditum, quo nemo mortalium penetrare posset, cerebro officere oportebat, nec nisi maxime sonticae causae valebant, optimos in futurum exitus in tristes permutare. Febris, tum pulsus parvus, tremulus ac intermittens, noctes insomnes, appetitus prostratus, deliria, labia vulneris arida, ab omni pure libera & collapsa, subsultus tendinum, spasmus cynicus oris; omnes hae in pejus mutationes die 19. post factam laesionem ordiebantur; omnia remedia tam interna quam externa jam opem suam denegabant. Indies pergebat increscere vehementia morbi & symptomatum pejoris notae cumulus, & tribus elapsis septimanis vita nostri aegri finiebatur.

Post mortem in ventriculis cerebri, super tentorium cerebelli, & medullam oblongatam, crassae tenacis materiae larga copia reperiebatur, quae adeo firmiter meningibus & ipsi cerebro adhaerebat, ut nulla arte humana removeri potuisset, quoniam talia occupabat loca, quae manus optimi cujusque artificis fugiebant, & forsan ex ruptura quorundam vasculorum cerebri originem duxisse videtur. Similis autem tenax materia

ria etiam supra ac infra duram & piam matrem ipsi cerebro incumbebat, parique modo quoque inter sinum falciformem & super corpus callosum. Item adhuc profunde delitescentes fissurae inveniebantur, a marginibus usque ad ipsas cavitates orbitarum tendentes. Sinus frontalis dexter, ut supra monui, plane destructus erat. Os sphenoideum ac ethmoideum similiter hinc inde fissa erant. Istae fissurae juxta & reliquae laesiones, ex figura adjuncta adhuc clarius cognosci poterunt.

Ergo, nisi quidem concussiones, dilacerationes & suppurationes, in adeo tenera structura cerebri, per validas illas laesiones contigissent, vel etiam iis positis, cerebrum tamen, aliquo modo, a pure liberari potuisset; rarissimum sane exemplum praebuisset hicce casus omnimodae fracturae cranii in integrum restitutae, cujus medela bono facta fuit auspicio.

Atque sic quidem se habet hujus aegri historia, quam *Tecum, Vir Perillustris, Regis Potentissimi Clementissimi Borussorum,* a Consiliis intimis, tum Directore Acad. Caesareae Nat. Cur. longe celeberrimo, communicare, & mei officii esse, & oblectamento mihi duxi; quippe qui persuasus sum, quod pro cognito abunde mihi, animi, non satis laudandi, charactere Tuo, quo totus erga proximum amore flagras, & etiam exemplis, ex libris aut oretenus perceptis, delectaris, morborum, sive internorum sive externorum: hinc confido, inquam, fore, Vir Generosissime! ut huncce casum conspectu Tuo dignaturus, atque animo rerum novarum aeque avido, sis accepturus, uti olim quidem assolebas, quando annis belli praeteriti, hanc mihi veniam sumebam, ut Tibi, tanquam supremo Medico castrensi, nobilioris alicujus morbi historiam ex nosocomio nostro, nonnunquam referrem.

Vale etiam atque etiam. Dabam Ohlaviae, die XXVI. Decembr. MDCCLXXIV.

Delineatio cranii laesi.

Tab. I. fig. 3.

Lit. A. Partis, fracti ossis frontis, circumferentia, immobilis & sub cranio infra intrusae, cujus vera latitudo tres pollices, supra margines superiores orbitae, altitudo vero duos & dimidium pollicem, ab apophysi nasali usque ad futuram coronalem aequabat, simul &

Lit. B. Coronae quatuor, quae applicari debuerunt, quo ossis fracti portio, ossibus nasi firmissime cohaerens, eximi posset.

Lit. C. Apertura quintae coronae applicatae, quo extravasatus cruor, qui sub declivi parte capitis erat, evacuari posset.

Lit. D. Fissura novem pollicum, ab osse frontis ad futuram coronalem petens, terminata sinistrorsum in osse bregmatis.

Lit. E. Duae fissurae, quarum altera a sinistro latere, intra orbitam in tres ramos dividebatur; haec vero, a parte dextra, primo per totum destructum sinum frontalem dextrum penetrans, deinde quatuor distinctis furculis per orbitam dispertitur, sed data prius alia fissura, super os nasi dextrum.

Berolino Onoldum
missa die 28. Febr. 1775.

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. FRANCISCI ZANETTI

De

Morbo vulgo Pelagra.

Sex circiter abhinc annis inter nostrae Insubriae agricolas utriusque sexus, sed praesertim inter miseriores, & male pastos, morbus quidam insaevit ac dilatatur, qui symptomatum ut-

utplurimum lethalium varietate novitateque, omnium utique ſed praecipue Phyſicorum animos & ſtudia ad ſedulam penitioremque ſui disquiſitionem ſummopere excitat, ut praeſentiora, quibus queat occurri, remedia dignoſcantur.

Sub aequinoctio vernali plerumque hic morbus ſubrepit, quando agreſtes viri, mulieres, pueri, puellaeque ad culturam agrorum exeunt, a mane uſque ad veſperam. Qui ex illis ad hunc morbum procedunt, de inſueta quadam corporis laſſitudine per plures ante dies ſeu hebdomadas conquerentes ruſticana ſua munia vix valent implere; triſtes & moeſti paulatim fiunt, ac ſi hypochondriaca affectione diſtinerentur. Accidit inde, ut cutis color in dorſo manuum ac pedum eorum, praecedente diſtenſionis ſenſu, in rubro-lucidum mutetur tanquam eryſipelatoſum, qui poſtmodum per gradus aliquantulum *lividus* efficitur. Ibi epidermis exſiccatur, continentes tunicae diſſiliunt, corroſa cutis in ſquamulas albas veluti furfuraceas decidit, tandem ad ſolſtitium aeſtivum omnia in priſtinum reſtituuntur. Redit cuti naturalis conſtitutio, &, ni pejora accidant, morbum negligunt agricolae, neque quidquam praeterea patiuntur mali. Haec porro mira ſane externae affectionis ſeries, quam leviter attigimus, omne morbi illius, quem vulgo Pelagram vocant, principium atque indicium eſt.

Proximiore anno ſuccedente, vel aliquo interpoſito juxta majorem vel minorem corporis diſpoſitionem, eodem tempore redeunt ſymptomata, quae evanuerant, & pari quam ante morbi ſucceſſu deſinunt.

Hac periodica boni & mali alternatione per aliquod tempus progrediuntur Pelagroſi, usquequo vires deſpumationem humoris inquilini per hanc viam valeant expellere, quibus deficientibus pedetentim invaleſcit morbus, ac confirmatur. Cutis immutata non ita facile deſquamatur, ſed lividior fit, rugoſior, & quaſi calloſa, rimisque ſcatens. Interim repreſſo mali intus ſeminio nervoſa ſymptomatum prorſus crudelium complicatio premit, varieque ludit in aegros. Alii etenim fiſſuris in lingua,

gua & palato humorem salivalem copiosissimum ad ptyalismum usque eructantibus corripiuntur; alii stomachi ardoribus, cardialgiis, materiarum mordacium vomitibus; alii colicis doloribus, diarrhoeis, dysenteriis vexantur.

Foeminae iisdem magis quam viri subiiciuntur ansis; statim ac Pelagra detinentur, mensium suppressione laborant; imo in quibusdam morbosum virus ad vulvam quoque se extendens, ibi rhagadias multas ab intus creat, quae ex ulceribus sibi adnatis ichorem quemdam evomunt, qui per partes excurrendo irritat, excruciat, inflammat.

Notandum tandem venit, in omnibus Pelagrosis confirmatis post vertiginis caducae speciem diu passam, delirium melancholicum fere semper subsequi, quod gradatim consequuntur nova gravissima, & feralia symptomata: virium defectus nempe, omnimoda quasi motus cessatio crurum, femorumque; diarrhoea colliquativa remediis omnibus contumacissima; summa corporis macies, animi deliquium, quod sequitur mors, nisi hanc ante incurrerint se sponte aquis submergentes, ut saepe accidit.

En brevis & genuina Pelagrae historia repetitis observationibus innixa. Nemo, quem ipse sciam, usque adhuc de hac cutis affectione peculiariter scripsit, neque graphica apud veteres Medicinae, ac Chirurgiae Patres reperitur descriptio. Verum siquidem est Pelagram nonnulla habere symptomata, quae cum scabie ferina, herpete farinaceo, vitiligine, impetigine, lepra Graecorum affinitatem pariunt, sed nequeunt illi morbi huic recte aequiparari (uti cuilibet Physico mature omnia perpendenti luce meridiana clarius apparebit) & eo magis, quod invicta experientia edocemur, Pelagram etsi confirmatam, ab opposito supradictorum affectuum non solum non ad distans, sed neque per contactum communicari; constat enim tot Pelagrosos in rusticis familiis degere, ac in eodem lecto cum sanis cubare, quin ulla propagetur labes; constat plurimas haberi uxores inveterato morbo vexatas, sano interim marito,

&

& contra. Num igitur Pelagra, morbus epidemicus, aut endemicus? Neutrum videtur: hic quippe non universim grassatur, nec alicui regioni familiaris est. An morbus sporadicus? Utique: Pelagra enim agricolas in nostra Insubria hic & illic indiscriminatim aggreditur.

Remotam hujus morbi causam indagantes in hac definienda mussitant, haec tamen, si quae hariolari licet, praeter illud ignotum, quod ex aere consequitur, ab alimentis mihi videtur esse petenda. Nemo enim nisi qui hospes in physicis, chymicis, atque medicis est, in dubium vocabit, quod quale alimentum est, talis sit chylus, qualis chylus, talis sanguis &c. Communia Insubrium agricolarum cibaria suapte natura dura sunt, acria, terrestria: scilicet leguminum fercula; pultes ex panico, vel milio decorticato cum aqua simplici incoctae, solo sale, vel quandoque oleo nucum conditae; panis ex secale, milio, ac praecipue ex frugibus, quas Itali vocant *Melga Melgone o Grano turco* confectus male coctus, nimisque fermentatus. Aqua simplex pro potu, & haec in quibusdam pagis impura ac lutulenta, interdum, sed raro vinum acidulum ex vinaceis cum aqua dilutis ac fermentatis expressum &c.

Pluribus abhinc annis, mutato, ut ita dicam, Italico coelo summa annonae penuria extitit, pauciſſimae collectae fruges, & hae fere semper vitiatae, vel immaturae; hinc memorati agrestes viri praeter consuetudinem his minus congruis & insufficientibus alimentis ad arcendam famem uti coguntur. Hoc posito, quis inficias ibit a demptis (conf. *Haller.* ad praelect. acad. p. 455.) & pravis ingestis acrimoniam acidam in corpore produci talem, ut inde morbi chronici & difficiles oriantur. (conf. *Boerhav.* instit. med. §. 753. ad 765.) Acria & acida ex intestinis ad sanguinem delata, pruritum, efflorescentias, pustulas, aliosque cutis morbos excitare notat *Swietenius* (de morb. spontan. ex acid. hum. §. 64.) & abunde testatur *Gorterus* (compend. med. tr. 38. §. 63.) Neque ab eadem opinione alienus esse videtur Ill. *Frid. Hoffmannus*, (diss. 11. de

sal. morbos. generat. in corp. hum. §. 23.) *Acidum*, inquit, *in massam sanguinis delatum, & cum partibus sulphureis terreis nuptum, degenerat in sal salsum, quod si non rite per universale illud sanguinis evacuatorium cutim, nec non per renes secernitur, & e corpore exterminatur, ulteriori commotione intestina acre simul factum, & ad glandulas subcutaneas delatum, facit ibi rosiones, pruritum, tenuissimarum fibrarum dilacerationem, variasque exulcerationes, scabiem, phymata, cutisque foeditates &c.* ad quorum classem reduci debet etiam Pelagra. Insuper si haec acrimonia acida in corpore jam existens per vias, quas sumpsit, amplius non despumatur, imo a causis, quae pergunt agere, ulterius sustentetur, nonne pejores magis quam ante debent produci effectus? Ex morbo morbi fiunt, & licet una tantum sit causa, tamen juxta circumstantias, varios etiam potest effectus parere. Non omnes quippe corporis partes aequaliter sunt constitutae & dispositae, ut aeque facilius afficiantur a causa morbifica; sed cum partes differant structura & dispositione, accidit etiam, ut principium quoddam noxium huic parti non noceat, alteri grave damnum inferat. Non aliter & in Pelagra.

Remota origo & causa Pelagrae, nisi vere sit, quae hucusque descripta est, non aliam facile dici posse existimarem. Quidquid tamen de hoc, profecto constat ex enarrata symptomatum antecedentium & consequentium qualitate, causam proximam esse humorem tenacem per hyemem eo magis collectum, acredinis haud mediocris participem, qui accedente vernali calore solvitur, ejusque subtilis portio ad cutim usque provecta, per eas partes, quae & magis defatigantur, & soli magis exponuntur, despumatur, sed ibidem subsistens, exhalante parte volatili aperitur in squamulas postmodum diffluentes.

At inquies: Eccur agricolae tantum, non tot miseri, hoc caritatis tempore pejoribus utentes cibis Pelagrosi evadant? Cur item non rustici domi degentes, eodemque victu utentes?

Et

Et morbus iſte rura tantum aggrediens, oppidis parcat & urbibus? Cur denique in agricolis periodice in principio recurrat, & plane quandoque intermittat, & remittat?

Facile tamen eſt reſpondere:

1) Ad morbi cujusdam geneſin non una cauſa remota ex naturalibus & non naturalibus, ſed plures in unum principium materiale morboſum utplurimum debent conſpirare. Hinc quos agricolas una cum perpetuis agri laboribus ſumma premit egeſtas, facilius invadit Pelagra. In his dantur quaedam occaſionales cauſae ex conditione vitae, & artis ſuae, quae nec in miſera ac ruſticana gente, nec in oppidis ac civitatibus habentur. Agrarii quippe aeris inclementiae expoſiti in agriculturae operibus exercendis, modo auſtralibus, modo ſeptentrionalibus ventis perflati, modo pluviis ac rore nocturno madefacti, terrae exhalationibus ſuffiti, aeſtivis ſolibus torrefacti, ut ut fortes, ac duro e robore nati, tam magnas mutationes tolerare nequeunt; quare modo ſudore diffluentes, modo perfrigerati &c. victu pravo accedente vitioſorum humorum apparatum cumulant, unde malorum cohors, ac varietas ipſis magis, quam aliis incumbit.

2)Licet jam exiſtentem cauſam morbus ipſe non ſtatim conſequitur effectum. Id autem ex eo perſpicuum eſt, quod acida & acria diu quandoque latent in corpore, quin junctis veluti viribus morbum efficiant oſtendantque; ex defectu potiſſimum proportionis movens inter & mobile, quae ſi deſit, effectum ipſum deeſſe neceſſe eſt. Praeterea, quemadmodum cauſa agens in corpore diſpoſita ſit oportet ad agendum, ita ad ſuſcipiendum reagendumque requiritur. Haec ſi attendantur, non amplius difficile erit judicatu, cur praeſentibus licet cauſis morbificis motus morboſi non ſemper praeſentes ſint, ſed certis temporibus quidam ex iis revertantur.

Pauciſſimis adhuc attingere juvabit quae de Pelagrae duratione ſentiuntur, & de ejusdem cum aliis morbis admixtione obſervantur. Opinandum itaque videtur cum cl. *Sydenhamio*

(obs. med. sect. v. cap. 4.) morbos certas habere periodos pro occultis illis, atque adhuc incompertis alternationibus, quae ipsius terrae accidunt visceribus, pro varia scilicet duratione, ac aetate ejusdem: quodque sicuti alii morbi jam olim extitere, qui vel jam ceciderunt penitus, vel aetate saltem pene confecti exolevere & rarissime comparent (cujusmodi sunt lepra ac alii fortasse nonnulli); ita qui nunc regnant morbi aliquando demum intercident, novis cedentes speciebus, de quibus nos ne minimum quidem hariolari valemus. Memoratis Pelagrae effectibus varia quoque adduntur peculiaria morborum symptomata, juxta diversas aegritudinum complicationes, aegrorumque dispositiones; unde pessimum est, quoties morbus hic cachexiae, cacochymiae, scorbuto, phthisi, aut hydropi associetur. Inter symptomata hujus morbi familiaria febris nequaquam est, qua si Pelagrosi quandoque corripiantur, id aliunde proficisci necesse est; cum ejusdem febris curationi constans Pelagra ne minimum quidem obsistat.

Ad perficiendam hujus pervicacis morbi curationem Insubres clinici usque adhuc insudant, & licet majori artis industria, cautela & observatione etiam in nosocomiis hanc ipsam procurare intentent, (purgationibus scilicet urgente humorum sarcina, phlebotomiis urgente plethora. Intus diluentibus sive a jusculis ex amygd. d. rad. cichor. lapathi, scorzonerae, hordeo, avena, corn. cervi sarsaparill. paratis; sive a sero helleborato, tamarindato, nitrato, cum antiscorbuticis & refrigerantibus medicato desumptis. Item decoctis ex lignis; pulveribus alcalicis, diaphoreticis &c. Item mercurialibus. Extus balneis & emollientibus, frictionibus, cucurbitulis, localibus &c. praeter tot alia praesidia medica, chirurgica & diaetetica juxta symptomatum exigentiam applicata & distributa &c.) perraro tamen hactenus evenit, ut tam multae peritorum industriae, optatae Pelagrosorum valetudini, perfecte respondeant. Artis ante descriptae beneficio duntaxat effectum est, ut Pelagrae initiatae symptomata ad tempus desinant, confirmatae vero aliquan-

quantulum mitigentur; dein incrementum recipiant, pejora etiam accidant, & tandem mors ipſa miſerrime conſequatur.

Pauca haec de Pelagra ſcribere exiſtimavi, & Academiae ſapientiori examinanda proponere, ut innoteſcat ſub parva epidermidis in dorſo manuum ac pedum immutatione morbum exitialem latere, & remedium ſibi a conjunctis peritorum ſtudiis tandem expoſcere.

Cannobio Onoldum
miſſa die 12. *Aprilis* 1775.

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. CHRISTIANI RVDOLPH HANNES

De

Spasmo veſicae urinariae lethali ex ſcabie retropulſa.

Frequens morborum gravium ipſiusque mortis cauſa eſt exanthematum tum acutorum tum chronicorum retrogreſſio. Non deſunt in Medicorum ſcriptis obſervata, triſtes hujus rei teſtes. Ex ſola ſcabie retrogreſſa quanta infortunia nata legimus! Apoplexiam ex illa lethalem memorat *Cummes*; lethargum *Simon Scholzius*; maniam memorant *Morandus* & *Landais*; melancholiam & ſurditatem *Baldingerus*, qui idem vir epilepſiam inde etiam natam teſtatur, quam ex eadem hac cauſa ortam viderunt *Trincavellus*, *Riedlinus*, *Hagendorn* multique alii; pupillae immobilitatem cum viſus hebetudine *Guenzius*; amavroſin *Ettmüllerus*; cataractam, amavroſin, febrem peculiarem & exitioſam atque varia alia exanthemata ejus repreſſioni ſuccedentia *Ludwigius*; pulmonum cordisque inflammationem *Forlani*; catarrhum ſuffocativum *Schaarſchmidt*, *Unzer* & *Hagendorn*; aſthma *Ettmullerus* & *Waldſchmid*; phthiſis pulmonalis prodromos ipſe ego ex hac cauſa natos vidi, fugatos revo-

cata lenium diaphoreticorum & ex his praesertim florum sulphuris ope ad cutem scabie. Vomitus inde enormes vidit totiusque corporis vehementes commotiones aliaque symptomata, mortem minantia, *Iaenichen;* diabetem *Weberus;* mictum cruentum *Fridericus Hoffmannus;* hydropem *Waldschmid* & *Deidier;* ictorum *Camerarius;* viscerum concretionem *Delius;* acutam febrem, cui tympanitis accessit, *Morgagni*, qui inde ortum etiam pectoris hydropem & ischuriam narrat; & quot alia alii Medici mala a *Friderico Hoffmanno*, *Hundertmarckio*, *Fickio*, *Kleinio*, *Schlegelio* aliisque recensita.

Vocabar ego aliquo mane in nosocomium militare, ut militi aegroto, annos nato triginta fere, facerem medicinam. Summo stupore affectum illum invenio, ad interrogata nil quicquam mihi respondentem. Tussi sicca, eaque frequenti, illum vexari, doloremque saepius sentire ventris testatur mihi chirurgus centuriarius, affirmantque in eodem cum illo cubiculo jacentes alii aegroti milites, quorum nihil ego ipse experiri poteram ex ore stupidissimi aegroti, qui torvo vultu me adspicit. Tumidum & tensum valde ejus abdomen, praesertim hypochondrium dextrum, deprehendo, tumidosque pedes. Praebuerat illi chirurgus legionarius, qui nunc extra urbem profectus erat, pulveres ex rhabarbaro squillaeque radice confectos, quibus pulverem millepedum jungi jubeo. Vesperam versus nunciatur mihi in maximo vitae discrimine aegrotum versari. Non cunctor adire. Invenio illum diro spasmo tortum, totum ejus corpus ligni instar adeo rigidum, ut nullam ejus partem vi movere ullus adstantium possit. Oculos in orbitis fixos tenet, videntes torvum, os clausum, dentesque sibi firmissime affixos.

Arteriarum pulsus modo erat magnus, modo parvus, modo celeris, modo tardus, interdum intermittens. Facies, quae pallebat antea, nunc intense rubet, turgentque ejus vasa. Non neglectis simul aliis, quae ars jubet, auxiliis, sanguis e vena brachii dextri mittitur opera non facili, qui, lanci immissus, cute

te tegitur densa, phlogistica. Soluto hoc spasmo, qui vel quadrantem horae fere duraverat, clamores aegrotus edit inarticulatos, quos intendit, quoties ejus ventrem quis tangit digitis. Nunc urina fluit, sed parca, inscio aegroto. Pulveres illi aliquas moverant desurrectiones ante spasmi insultum. Nec clysmata emollientia, nec fomentationes ventris calidae, nec infricta illi unguenta ejus diminuebant tumorem. Aucti clamores dolores prodebant auctos. Lustrans denuo aegroti corpus hinc inde obscura ulcusculorum vestigia observo, praesertim circa regionem pubis. Praegressi alicujus exanthematis jam mihi suspicio nascitur, morbumque, qui aegrum torquet, spasmum esse vesicae urinariae, ob suam vehementiam totum corpus in consensum trahentem, atque ab exanthemate retropulso ortum, simulque cerebrum reliquaque viscera etiam sine illo consensu pati, nunc opinor. Omnem interim dabam operam, ut veram morbi causam eruerem, tandemque ex ore praefecti secundarii experior, aegrotum, ex commeatu ante aliquot hebdomades reducem, cutem habuisse scabie foedam secumque portasse unguentum, quo se aliquoties quotidie perunxisset, quoque jam domi patriae fuisset usus, ejusque ope illum brevi fuisse a scabie liberatum, observatum vero fuisse in illo magnum stuporem, quo non laboravisset antea, mejendique difficultatem, tandemque ortum fuisse vehementem hunc aegroti morbum, ob quem in nosodochium esset ductus. Iam mea conjectura abibat in certitudinem. Redit sequenti die, vesperascente cœlo, paroxysmus aeque fortis, sed brevius durans. Redit & vesperam hanc subsequenti tempore matutino, & nunc sub illo exspirat aegrotus.

Quid in corporis interioribus acciderit, sciendi cupidus, in viscerum conditionem inquiro. Pectoris cavum multum continebat aquae limpidae, urinam olentis, quam veram urinam dicerem. Pulmonum lobi, maculis hinc inde colorati lividis, tophos recondebant, quorum aliqui prodebant initium suppurationis. In abdominis cavo similis ac in thorace collecta erat

aqua.

aqua. Tumebat valde hepar, in cujus superficie eaedem, quae in pulmonibus, apparebant maculae. Ren dexter solito major erat sicut & ejusdem lateris ureter naturali amplior. Sed mirum quantum aucta vesicae urinariae densitas, vel pollicem crassitie aequans, turgentibus ejus vasis cavoque illius adeo coarctato, ut vix unciae fluidi esset capax. Ut cerebrum a sua theca integumentisque liberarem, mihi, ad aegrotorum lectos properanti, omnibusque jam ad sepeliendum cadaver paratis, haud mora dabatur.

Crassitiem illam parietum vesicae urinariae auctam non infrequens calculi, in illa hospitantis, symptoma esse, quis nescit Medicus? *Bonetus*, *Morgagni*, *Camerarius*, *Holtzhausen*, *Freisius*, *Müllerus* & alii id suis observatis confirmant. Sed alias etiam hujus crassitiei causas observatores memorant. Ex collecto ad vesicam pure, quod ex ulcerato rene provenerat, illam *Weisius* vidit. Ex spasmo vesicae diuturno *Fridericus Hoffmannus*. Ex vesicae scabie *Ruyschius*. Distinguendum autem esse inter scabiem vesicae & scabiem ad vesicam retropulsam, jure monet, qui *de vesicae urinariae morbis* erudite differuit *Christianus Zuberus*. Cl. *de Bingen* vero, dum illam in docta sua Dissertatione *de carnositate vesicae morbosa* dictae crassitiei causis adnumerat, & hanc ut talem causam non tacet; quam eandem irritationis vesicae morbosae, hincque ejus nati spasmi, saepius recurrentis, & densitatis illius auctae in milite illo veram fuisse causam, nullus dubito.

Forsan mortem avertisset tempestive per artem resuscitata in cute scabies. Paucos Medicos latebunt, quae *de scabie artificiali* docte differuit olim *Hundertmarck*, sicut & pauci ignorabunt felices illos effectus, quos ex insita scabie in homine, maximo stupore affecto, expertus est ill. *Mutzelius*, quos vero ab aliis Medicis haud repetitos legi, miror.

Vesalia Onoldum
missa die 11. *Maii* 1775.

OB-

OBSERVATIO XXVI.

Dn. CHRISTOPHORI FRIDERICI SIGEL

sistens

Recensionem binorum casuum tragicorum, qui ex usu radicis cujusdam venenatae, falso pro radice Hellebori nigri venditatae, orti sunt.

Accedunt

Notae radicum Hellebori nigri veri & suppositiarum.

Quo certius constat, vel acutissima sensoria ad virtutes quaslescunque plantarum penetrandas earumque infinitas fere diversitates cognoscendas haud suppetere: eo majore digni sunt ii casus attentione, qui vires plantarum plane novas & inexspectatas easque cum salutares tum metuendas, nobis ponunt ante oculos.

Et praeclare quidem de re medica non minus quam oeconomica meritos existimaveris, qui istiusmodi casus justa enarratione persecuti hortantur, ut plantas salutares, quas experimentorum commendat testimonium, adhibeas, at, aliorum damno sapiens, a noxiis abhorreas.

Hi si in notas plantarum characteristicas penitius inquisivissent, easque justae effectuum recensioni junxissent, auxissent certe specificorum numerum, imo tot fere conservassent homines, quot mortem ex ollis hauserunt insci.

Neque vero ii, qui hoc nostro aevo plantarum, quas terra alit, prope omnium veros characteres, adaequatas definitiones, nomina generica & specifica legesque systematicas dedere, quarum ope tutissima via ad distinctam plantarum cognitionem pervenire licet, nil in hac re fecere reliqui.

Licet enim lubentes gratissimique erga tantos praeceptores profiteamur, istas leges ad integrarum plantarum cogniti-

onem juvare plurimum: applicare tamen eas ad singulas plantarum partes, ab iisdem aliarum plantarum partibus dignoscendas, ut harum permutatio caveatur, haud novimus. Constat enim, multas plantarum partes sub systema a fructificatione desumptum revocari neutiquam posse.

In hisce casibus, quum experientia teste facillime fieri possit, ut mox habitus externi quaedam analogia, mox vaga nominis determinatio fallat, praesertim si partium quarundam analogia inter diversa intercedat individua, permagni interest, ut omni cura in characteres eorum inquiramus distinctivos, quibus ne partes quidem destitui observamus: exemplo vero sint individua genuina nec dubia, sic falsi, si ad characteres genuini conferatur, mox eluceseet ratio.

Solicita ejusmodi & distincta materiae medicae cognitio, praeprimis incumbit pharmacopœo. Quanta enim calamitas aegro, quanta Medico & pharmacopœo maxime suboritur, si dubia nec satis cognita hic dispenset medicamenta, aegrotusque pro salutari, quam exspectabat, medicina, deleterium accipiat venenum.

In veritatem hujus asserti, leviorum errorum in officinis ex causa supra memorata passim obviorum, plura equidem in medium afferre possem exempla, sed mitto ista, e difficillimis tristissimis casibus unum atque alterum jam allegaturus, quos ex analogia, inter radices veri Hellebori nigri & plures isti supposititias ex parte intereedente, originem traxisse, plane non dubito.

Enim vero, omni licet per integrum biennium adhibita opera & solicitudine plantae infamis istius radicis, quae adeo funestos edidit effectus, compos fieri haud potui: fore tamen, ut assequi eam, tandemque palam facere mihi liceat, spem minime abiicio.

Sed nec integra planta, ceterum a nobis desideratissima, ad praesentem scopum opus habemus.

Non

Non a foliis. non a caule jugulati ſunt homines, radix eſt homicida, nec recens illa, ſed exſiccata.

Et hanc ipſam habeo ad manus, hanc etiam cum propriae vitae diſcrimine, ſub omnium, qui applicari poterant, ſenſuum vocavi examen.

Hujus characteres diſtinctivos inveſtigare ſategi, jam nunc, quae ipſe didici, cum aliis, iis maxime communicaturus, quorum intereſt, innocentiſſima & ſaluberrima quaevis medicamina aegrotis propinare, id quod nec inutile putaverim, nec ab officio meo alienum.

Supremum in coelis Numen ſupplex veneror, ut hoc qualecunque tentamen in proximi ſalutem vergere jubeat.

Hiſtoria

Morborum & ſectionis cadaverum.

Loc. - d. 22. Nov. 1771.

Praefecturae Ducalis - - noviſſime praeterlapſa nocte praetor hujus pagi detulit, uxorem Schanzii cujusdam ex vino medicato a Chirurgo - - praeſcripto, a filio ipſius autem compoſito, quod heſterno mane hauſerit, hora meridiana duodecima mortuam eſſe: Nec non Chirurgum - - a Schanzio in uxoris agonizantis auxilium vocatum, quam vero jam invenerit exanimatam, tum ut vini medicati innocentiam demonſtraret, tum ut adſtantes de ſalva filii re certiores convictosque redderet, hora circiter ſecunda pomeridiana vitrum ordinarium 3.-4. unciarum ejusdem vini medicati exhauſiſſe, ex quo protinus vehementiſſimo correptus morbo, horam circiter 5. vel 6. heſternam veſpertinam mortem obierit.

Rebus ſic lapſis, laudatiſſimae Ducalis Praefecturae cura, inſpectio amborum cadaverum legalis ſectioque inſtituta eſt.

Conditio repertorum in uxore Schanzii haec eſt.

Habitus ſubjecti corporis longus & macilentus.

Brachiorum pedumque nec non abdominis integumenta maculis caeruleſcentibus hinc inde diſtincta apparuere.

Neque tumor faciei neque intumeſcentia abdominis manifeſta, poſterioris vero durities obſervata.

Per totius tergi decurſum ſuffuſus ruber caeruleſcens color apparebat, absque ullo putredinis ſigno.

Abdomine aperto, vaſa omenti & meſenterii ſanguifera, praeſertim ad nexum cum inteſtinis, ſanguine coagulato impleta & turgida exſtitere.

Totus inteſtinorum canalis valde inflammatus plenusque flatuum, excrementorum vero expers inveniebatur.

Iecur, praecipue vero ipſius ſiniſter lobus, durum valdeque inflammatum.

Veſica fellea, multo, aquoſo, limpido, rubicunde-fuſcolutei coloris felle repleta.

Ventriculus penitus collapſus, in extrema aeque ac interna ſuperficie valde inflammatus, nuſpiam vero perroſus.

Vaſa ejusdem ſanguifera nigro coagulato ſanguine turgebant & hinc inde maculae lividae videbantur.

Tunica ventriculi villoſa penitus abraſa conſpiciebatur.

Cavum ventriculi, praeter majus cochlear liquaminis dilute ex luteo rufeſcentis inodori inſipidique, nihil continebat.

Pharynx cum oeſophago nonnullis caeruleſcentibus notatus fuit maculis.

Bini pulmonis lobi, plumbei erant coloris & per totam fere ſuperficiem maculis intenſe caeruleis inſigniti, ceterum plurimum tumentes & nigro coagulato ſanguine materiaque purulenta repleti, valde inflammati nec non a tergo adnati.

Cor magnum, ventriculi aeque ac auriculae ejus, vaſa coronaria & arteria magna cum vena cava aliisque vaſis ſanguiferis cruore nigro, ex parte & coagulato, turgebant.

Ventriculus cordis ſtniſter polypum tres uncias longum alebat.

Caput,

Caput, reſpectu, quod praeternaturale in iſto nihil, perſpecta vero mortis cauſa in pectore & abdomine apparuerit, non apertum eſt.

Peracta inſpectione ſectioneque cadaveris, ex mariti, filiae aliorumque affinium ore & phaenomenorum tum antecedentium tum concomitantium ratio erat experienda, quae breviter eſt:

Uxorem Schanzii quinquaginta quinque annos natam, jam per aliquot annos valetudinariam, a 3. inde vel 4. menſibus omni mane tuſſi conatuque vomendi, veſperi vero frigore & laſſitudine corporis vexatam, jam pluries Chirurgum - - adiiſſe, ut morbo ipſius, quem vocabat hyſtericum, mederetur. Abſente nuper Chirurgo - - filium ejus ſpecies ad conſuetam patris formulam pro vino medicato ipſi compoſuiſſe, de quorum infuſo die 19. hujus 2. modicos exhauſerit cyathos. Effectus eorum ἄνω καὶ κάτω ſubſecutos, fuiſſe tam vehementes, ut valde debilitata inde & lipothymica evaderet, dieque ſubſequente uſum infuſi lubenter negligeret; die vero 21. hujus & ejus quidem hora poſt matutinam octavam dimidia, exhauſtam cyathi partem ſaltem dimidiam, cauſam tamen fuiſſe, cur poſt pauciſſima temporis momenta tum vehementiſſimis torminibus, anxietate praecordiorum, atrociſſimis vomendi conatibus vomitibusque largiſſimis ipſis, ſanguinis quidem expertibus, correpta, tum etiam ſubſultibus tendinum, veris convulſionibus & lipothymia vexata, hora demum 12. animam efflaverit.

Formula Vini medicati haec fuit:

R. Fol. ſenn. el. ʒvj. rad. ellebor. nigr. oſtrutii, pimpinellae, cort. aurant. ſem. aniſi noſtr. foenic. āā ʒij. Hb. trifolii fibrin. Mj. crem. tartari ʒij.

ppt. m. d. ſ. *die Haelffte mit* 3. *Schoppen ſiedend Waſſer anzubrühen und eine halbe Maas Wein kalt nachzugieſſen.*

Chirurgi - - cadaver sequentia ostendebat phaenomena.

Corpus mediae longitudinis, membris robustis.

Abdominis, binorum pedum brachiorumque integumenta multis caerulescentibus rubicundisque maculis obsita.

Facies cum collo manifeste tumebat, abdomen non aeque, sed durum apparebat.

Tergi totius ambitus colore intense rubro violaceoque suffusus.

Abdomen apertum sanguifera omenti & mesenterii vasa cruore coagulato repleta in conspectum dabat.

Intestinorum universa compages valde inflammata, plena flatuum, prorsus vero expers excrementorum.

Hepatis justo majoris superficies superior valde inflammata, dura, inferior plumbei coloris.

Vesica fellea magna, multo felle lutei ex fusco coloris repleta.

Ventriculus inflatus & vasa sanguifera superficie ejusdem exteriore plena spissi coagulati sanguinis.

Interior ejus superficies ex toto inflammata & ex parte cruenta.

Tunica villosa tota decorticata.

Pharyngis & Oesophagi superficies manifeste inflammata maculisque caerulescentibus insignita.

Ventriculi cavitas praeter dimidium cochlearis de liquamine rubicunde fusco viscoso nihil continebat.

Diaphragmatis, splenis, renum & vesicae conditio, insoliti nil monstrabat, excepta vesica, quae spasmodice constricta, dura, parva penitusque vacua erat.

Bini pulmonis lobi, quorum sinister pleurae totus fere adnatus, valde inflammati & cruore coagulato spisso & materia purulenta scatebant.

Cordis ventriculi & auriculae multo spisso & plurimum coagulato sanguine turgebant.

San-

Sanguis in aliis majoribus vaſis ſanguiferis contentus, ſimiliter ſpiſſus atrique coloris deprehendebatur.

Cranio aperto obſervare licuit ſanguifera ſubſtantiae corticalis cerebri vaſa multo coagulato ſanguine itidem turgere.

Ventriculi bini anteriores cerebri, praecipue vero ſiniſter, multum ſeri condebat extravaſati.

Vaſa ſanguifera plexus choroidei plus juſto ſanguine repleta fuere.

Iam de Chirurgo.

Hunc, relatum eſt, quadraginta duos annos natum, vino medicato vix hauſto de praecordiorum anxietate, ſpasmis nervorum, tremore membrorum valde conqueſtum eſſe, & quum de veneni in vino praeſentia non amplius dubitarit, ut id quam ocyſſime involveretur atque excerneretur, multum butyri in aqua calida ſoluti nec non olei olivarum ingurgitaſſe, nihilominus tamen, licet vehementiſſimi vomitus cum ſedibus quam plurimis ſint inſecuti, ſenſim debilitatum, horam circa 5 - 6. absque convulſionum manifeſtatione mortem obiiſſe.

Ex praedictis licet infuſi vis venefica ſatis manifeſta fuerit, Cel. tamen Inquiſitor eam & in cane exploraturus erat. Alacris ergo ſatisque robuſti canis gulae uncias quatuor ejusdem infundendas curavit, moxque in illo obſervare licuit conatus vomendi, primo ſpumam albam, dein vero infuſi partem exturbantes.

Tremor totius corporis, plures vomitus dejectionesque alvi ſubſequebantur. Haec inter phaenomena canis paralyticus viſus parum adhuc progredi tentans, intervallo trium primorum ab infuſo accepto horae minutorum, periit.

Cel. Inquiſitor iſtius loci Phyſicus, numquid arſenici, mercurii ſublimati vel tartari emetici ex errore Chirurgi juvenis infuſum intraverit, ſuſpicabatur: per liquores vero, quos vocant reagentes, nullius horum praeſentia detegi poterat.

Hinc

Hinc non potuit non Illustre Collegium Archiatrale radici, quae sub radicis Hellebori nigri nomine infusum ingressa est, omnem tribuere culpam, quod judicium quam verum, quam solidum sit, recentiores casus aliquot iique non minus tragici testantur.

Supersedeo tamen istis recensendis. Unum liceat addere & narrare, quae ex mera famosae radicis delibatione ipse perpessus sim incommoda.

Quum exemplaria haberem radicis, & hujus, quae homines modo dictos & istius, quae alios alibi necavit, experiendi eram cupidus, an utraque ejusdem sit saporis, habitus licet externi analogia id confirmare videretur.

Hora itaque quarta pomeridiana de ambarum specierum fibris tantillum dentibus contrivi & linguae caute admisi. Utraque eundem linguae impressit saporem, primo non admodum nauseosum, parum austerum, postmodum vero urentem & vellicantem. Molesti sensus impatiens omnem movi lapidem; iteratis vicibus os elui frigida, lac dulce cremoremque illius aliquamdiu ore detinui idque & aceto forti, ol. amygdalarum nec non spiritu cerasorum tentavi, sed incassum omnia. Ardorem ac vellicationem in ea parte linguae palatique, quam radix attigerat, ne minimum quidem diminuta deprehendi. Animadvertens itaque quam difficulter verum antidotum admittat hocce venenum, felicem clanculum me depraedicavi, qui tanta cautione usus, tam exiguam linguae partem tanto veneno attigissem.

Ex affecta linguae palatique parte latex frigidiusculus continue stillaverat, quem tantum non semper ejicere consultum duxi.

Tandem in levem talem molestiam non amplius animadvertens, nec mali quid metuens, hora sexta vespertina medicamina quaedam componere volui, laborem vero vix aggressus, horrore ingenti per totum corpus ac vertigine me correptum sensi.

De-

Deguſtationi radicis, cum cautiſſima fuerit, cauſam adſcribere plane dubitavi; ad coenam vero vocatus, cum omnia eſculenta vinumque adverſa mihi eſſe deprehenderem conatusque vomendi ſentirem, conjugis optimae voto, ut Cel. noſtri Phyſici, D. *Consbruchii*, uterer conſilio, haud amplius reſiſtere conſultum duxi.

Is adveniens, cum paucis abhinc horis me vidiſſet incolumem, praeſentia morbi phaenomena veneno adſcribi poſſe ac debere omnino arbitrabatur. Omnium ergo primum ſuaſit, ignota etſi veneni qualitas eſſet, demulcendi & involvendi cauſa, largam recentis lactis copiam exhauriendam, denique & aquam tepidam largiter potandam.

Horripilationes creberrimae, anxietates praecordiorum, vertigo, magna virium proſtratio, niſus frequentes ad alvum & veſicam tenesmoidei ſubſecuti continuarunt, emeticum itaque ex ipecacuanhae ℈j. & cremoris tartari ℈ß ut ſumerem, ſuaſor fuit.

Hauſtus hic emeticus multam quidem ingurgitatae aquae lactisque copiam exturbavit, magna tamen capitis turbulentia levesque membrorum & oculorum involuntariae diſtorſiones tandemque lipothymia inſequebantur.

Cutis erat ſicca, nec ſudor prima nocte, quam totam inſomnem tranſigebam, fervente largo Theae infuſo provocari poterat.

Inſequente die, lipothymia torſionibusque membrorum ceſſantibus, anxietates praecordiorum & intumeſcentiam abdominis cum appetitus magna proſtratione adhuc ſenſi: Mixturam ergo ex aquis carminativis, anima rhei & tartaro tartariſato ſumendam praeſcripſit Celeberr. Medicus. Hoc hauſtu uſurpato, appetitus quidem rediit, ſed tertia jam vice, hora quarta pomeridiana redibant horripilationes, vertigo, lipothymica paſſio, quae vix verbum facere mihi permittebant lectoque affigebant. Adgreſſum hujus paroxysmi ex ſingulari tenſione vel preſſione occipitis percepi.

Conspiciens Cel. Medicus febrem hanc symptomatibus afflicti systematis nervorum stipatam esse, nunc cortice peruviano rem agere voluit. Ipsius ergo consilio unciam dimidiam corticis alcoholisati optimi 16. horarum spatio devoravi, effectu autem haud optato. Horripilationes quidem non amplius manifestae, sed ingens calor capitis, major anxietas, inquietudo & prostratio virium subveniebant, appetitus etiam subsequente die erat imminutus; usum ergo corticis continuare minus consultum duxit, essentiam succini Gmelini, ut summum nervinum, utilem existimavit. Hac ad octavum usque diem usus, percepi quidem omni vespera vertiginem subitaneam, virium prostrationem, sed indies imminutos paroxysmos: duodecimo tandem ab invasione die aquam laxativam Viennensem larga sumsi dosi, paroxysmo per Dei gratiam non amplius redeunte.

Mira sane & stupenda ex dictis patet radicis hujus efficacia, non minus vero mireris diuturnum affectae linguae palatique ardorem & vellicationem per 14. dies continuantem. Heic tamen notandum, quod lingua mea anteriore parte, quam radice attigi, me antea inscio, fissuras egerit scorbuticas, per quas venenum vasis fortasse majusculis venosis eo facilius sese insinuare potuit.

Inquisitio in causas toties adulteratae radicis Hellebori nigri.

Vegetabilium vix ulli tanta fuit famae vicissitudo, quanta in nigri observatur hellebori specie.

Ejusdem vetustissimis temporibus celebratissima radix postmodum ob varios sinistros, quos ediderat effectus a multis dubiae ac incertae virtutis habita, funestorum denique eorumque iteratorum casuum, ejus usum secutorum, causa, a pluribus ad infamiam nunc penitus delata, deprehenditur.

Cau-

Cauſam tam diverſorum effectuum ac fatorum, quamlibet id a pluribus iisque clariſſimis viris fieri videatur, abs me impetrare non poſſum, ut e climatis vel ſoli diverſitate repetam & uni eidemque hellebori ſpeciei adſcribam.

Alpibus Stiriae, Helvetiae, Tyrolis, Angliae, quibus noſtra planta indigena, vix tanta accenſeri poterit ſoli coelique differentia & poteſtas, ut eandem plantam dictarum Alpium aliae mitiſſime alterant, aliae blande laxante, aliae letifera imbuant qualitate.

Quaenam Anticyrana, *Hippocrati* ſacra illa hellebori ſpecies fuerit; quoniam veteres delineationem botanicam neglexere, aenigma manet ſolvi neſcium.

Noſtrae interim officinalis per plura jam ſecula gaudemus juſta deſcriptione & accurata ſatis delineatione a *Carolo Cluſio*, *Matthiolo*, *Pechlino*, *Rudolpho Camerario* aliisque orbi propoſita, atque a compluribus, e queis *Freindium* ac *Meadium* nominaſſe ſufficiat, comprobata, quam ſi pharmacopolae ſemper habuiſſent ob oculos, certe tot aliarum plantarum radices helleboro non eſſent ſubſtitutae.

Hocce vitium haud ſolius ſeculi noſtri tribuendum iniquitati, cum ſeculis jam abhinc duobus *Carolo Cluſio* ac *Matthiolo* de eo conquerendi juſta fuerit cauſa.

Neque vero mirum, pharmacopoeos olim ſenſim evaſiſſe dubios & ancipites levitatique huic obnoxios, cum ejusdem ſeculi Eruditi de vera *Hippocratis* ſpecie ipſi dubitaverint & *Matthiolus* cum *Cluſio*, Helleborum nigrum *Linnaei*, *Lonicerus*, & *Tabernaemontanus* Adonidem vernam *Linn. Remb. Dodonaeus* vero, Aſtrantiam Linn. ſpec. 1. pro illa vera *Hippocratis* ſpecie, aeſtimaverint.

Noſtra aetate, cum hellebori variae dentur ſpecies, plures vero diverſarum plantarum radices, hellebori nigri radicum ſpeciem mentientes inveniantur, easque ab infimae ſortis hominibus, mox ſufficiente cognitione deſtitutis, mox lucri fame captis, colligi in propatulo ſit: Adde, quod aromato-

polarum plurimi vel ob negotiorum cumulum, vel alias ob causas, etsi genuinae speciei saepius calleant notitiam, vix tantam in emendis his a rhizotomis adhibeant curam, quantam rei & difficillime cognoscendae & maxime momentosae sufficere censemus: non est, quod miremur, & in nostris subinde pharmacopoliis diversas, hellebori nigri nomine insignitas radices esse reperiendas, inprimis si pharmacopoeorum patriam eas haud alere compertum, & ab exteris petere, illis necesse sit.

De eodem fati genere Cel. B. *Erhard* jam *16.* abhinc annis in historiae plantarum oeconomicae Part. VII. p. 12. valde conquestus est. Dolet ibidem necessitatem ab egregio, ut dicit, medicamine, ellebori nigri scilicet radicibus, abstinendi, quod pharmacopoeis istius loci, ab aromatariis plerumque veratri nigr. Dodon. III. istarum loco mittantur. Easdem, quin majores, de hac re in ejusdem libri Part. X. p. 162. dignissimus ejusdem successor querimonias jactat. Haud-falsas vero istas ellebori radices, multo minus Veratri nigri D. III. esse putat, sed a climatis terraeque diversitate vim purgantem & in vera specie ad drasticam imo venenosam qualitatem exaltari posse, existimat.

Plura de ancipiti saepissimeque funesto radicum ellebori usu, quae passim in operibus eruditorum legi possunt, heic repetere supersedeo, in characteres autem tum veri hellebori nigri radicum, tum earum, quae illis substitui consueverunt, indagare earumque notas characteristicas patefacere eo magis operae pretium putavi, quo minus in pharmacopoliis verae inveniantur ellebori nigri radices, saepius vero falsae, perniciosae, quin interdum venenatissimae & hoc quidem absque omni pharmacopoei culpa.

Pharmacopoeum enim, cui ab exteris petendae sunt radices, quid juvat systema plantarum a foliis vel partibus fructificationis desumptum? haud recentes is expetit sibi plantas, sed radices siccatas, quas accipit caule foliisque orbatas.

Notis

Notis ergo radicum certioribus characteriſticis & in ſiccis inveniendis, inſtructus ille ſit neceſſe eſt: Utrum vero ſaltim de hellebori nigri veri radice, ut de falſis, quae ei ſupponuntur, taceam, ejusmodi unquam datae ſint notae, valde dubito.

Omnes nimirum & celeberrimorum auctorum, quascunque reperire licuit, definitiones, eas ſolummodo radices fibroſas, vel fibras ex eodem capite prodeuntes, appellant.

Quam vagus vero, quamque communis toti radicum fibroſarum claſſi ſit iſte character, neminem latet.

Magna adhaec de tenuitate & craſſitie fibrarum inter auctores diſcrepantia, tam neceſſariam cognitionem radicum difficiliorem adhuc reddit: alii enim tenuiores, alii craſſiores fibras praeferendas dictitant, cum contra alii, in ſola terrae climatisque diverſitate majorem minoremve craſſitiem illarum quaerant. Pharmacopoeus itaque licet dexterrimus & cum omni agens ſolicitudine ac circumſpectione, niſi veri hellebori plantam ipſe coluerit, ejusque probe ſibi notaverit characteres, non poterit non in dubio verſari quam periculoſiſſimo.

Radices fibroſas ita definire, ut & ſiccatae a ſe invicem dignoſci queant, difficillimam rem eſſe, ſatis expertus ſum, multosque inſuper dari, qui forte eam plane fruſtraneam habeant, praevideo: nimirum quod ſiccatae radices plerumque mutilatae, fibrarumque certe characteribus deſtitutae ſint, priusquam pharmacopolae veniant in manus.

Verum enim vero, negare quamquam nolim, omnes fere ſiccas radices fibroſas eſſe mutilatas, neutiquam tamen eas omnibus notis orbatas eſſe dixerim.

Etenim inter copiam, quam ſolent pharmacopoei ab exteris vel rhizotomis accipere, aliquot ſaltim radicum individua vel ſcapi petiolorumque receptaculi, vel hybernaculi, vel fibrarum characteres monſtratura, plurima vero caudicis notas retinentia, obſervari poterunt.

Inter haſce, dicam, quae minus mutilatae ſunt notisque adhuc gaudent characteriſticis, atque inter ſuperſtitem copiam comparatio partium fiat neceſſe eſt, & analogia totius copiae, niſi quidem nimium fractae mixtaeve variarum radicum ſint fibrae, eluceſcet.

Notae characteriſticae

Radicum Hellebori nigri veri & ſuppoſititiarum.

Plantas, quarum radices Helleboro nigro vero ſupponi ſolent, quum Botanicis ſatis cognitae & a pharmacopoeis non colligendae ſed fugiendae ſint, ne ſim longior, non delineabo: radicum ſaltim illarum notas, quas poſſum exactiſſimas, daturus.

Quum vero patria noſtra haud alat helleborum nigrum verum, ni paſſim in Botanophilorum hortis colatur, ut verae ſpeciei magis innoteſcat character, deſcriptionem, quam in hiſtoria plantarum Cap. IV. dedit *Iohannes Bauhinus* non male hic collocatum iri opinor.

Helleborus itaque, qui *Linnaeo*, ſcapo ſubbifloro, foliis pedatis, Syſt. Nat. gen. 622. ſpec. 2.

Caſp. Bauhino 186. Helleborus niger flore roſeo.

Cluſio autem, Veratrum legitimum, audit, a Ioh. *Bauhino* hiſce deſcribitur verbis:

„Helleborus niger flore albo interdum etiam valde ruben-
„te, radicem habet numeroſis fibris, vulgari paulo craſſio-
„ribus, donatam: Folia a radice pediculo ſpithamaeo, craſ-
„ſo, ſucculento, tereti, punctis purpureis ut Dracunculi
„majoris, notato appenſa, diviſa utplurimum in folia no-
„vem viridantia, laevia, rigidiora craſſioraque quam in vul-
„gari flore viridi, lata, obtuſa ſerrata. Pediculi ſingulari-
„um foliorum ut & averſi folii nervus, purpuraſcentes:
„inter folia flores occultantur pediculo plurimum palmari
„& ſesquipalmari ſucculento & maculento ex foliis quinque
can-

„candidis, ungue purpuraſcente extrinſecus, ſubrotundis, „ſtriato venularum diſcurſu praeditis ad floris imum foliolum „oblongum integrum, paulo inferius aliud tanquam vagina „interdum diviſum in plura: Floris medium occupant ſtami„nula multa lutea breviaque cum corona 10-12ve tubulo„rum virentium, ſuccedunt ſiliquae corniculatae intortae, „ſeptenae, in quibus ſemen fit interdum, ut eunte in ſemi„na flore, ejus folia tam intus quam extra colorem contra„hant ferrugineum.

Deſcriptioni huic hellebori nigri veri, promiſſas addo radicum ejusdem, a caul- & foliis ſeparatarum, notas characteriſticas, quas ſequent- eaedem de adulterinis Helleboris.

Helleborus niger *inn.* S. N. gen. 622. ſpec. 2.

Helleborus niger officinarum verus.

Radicis hujus caudex articulatus, ramoſus; ramis breviſſimis, 2-3 articulis, ex omni latere provenientibus, donatis.

Ramorum quilibet imus articulus, a quo ſcapus & petiolus deceſſerunt, acetabuli inſtar excavatus apparet.

Articulorum longitudo valde inter ſe differt: nam alii ejusdem ſeſquilineam, alii 2. ad 5. lineas Paris. habent. Craſſities in recentium utraque extremitate 2. vel 3. linearum, in ſiccarum ſeſquilineae duarumve. Pars media earundem parum attenuata.

Fibrae ex articulationibus copioſae proveniunt, ex media attenuata earundem parte, pauciores; omnes glabrae, teretes.

Eaedem in annoſioribus radicibus, ubi rami articulati valde coacervati ſunt, ſaepius contortuplicatae.

Carnoſiores & annoſiores fibrae a ſpithama ad pedem longae, craſſitie culmum hordei parum ſuperantes, reliquae culmum zeae aequantes. Extremitates earundem ramis capillaribus praeditae. Iuniores fibrae ramis deſtitutae.

Fibrae exſiccatarum radicum vel tertiam partem tenuiores ſunt recentibus, rugoſae & incurvatae.

Co-

Color recentibus pallide fuſcus, ſiccatis fuſco nigricans.

Subſtantia fibrarum carnoſa, haud lignoſa, fragilis.

Sapor acriuſculus, herbaceus, dulcedine quodammodo mixtus, minime amarus.

OBSERV.

Haec dicta hellebori radix, quam *Codronchius* & *Rolfinckius* veram illam *Hippocratis* ſpeciem eſſe contendebant, omnibus fere celeberrimis Medicis ducentos jam ultra annos, quamvis priorum ſententiae repugnarent, legitimus officinarum Helleborus niger audit.

Rariſſime vero haec ſpecies occurrit in officinis, neque facile ab aromatariis impetranda.

Helleborus vaginis foliaceis digitatis, flore virente. Hall. Helv. 317. nr. 1.

Helleborus caule multifloro, folioſo, foliis digitatis (viridis) Linn. S. N. ſp. 3.

Helleborus niger hort. flore vir. Bauh. P. 185.

Plantae hujus radici eadem fere conditio notarum quae hellebori nigri radici, excipias modo, quod gemmas parum crebriores, fibras largiores, ſed breviores, tenuiores nigrioresque emittat. Difficillime igitur ea a priori eſſet diſtinguenda, niſi ſapor amariſſimus valde nauſeoſus majorque acredo ſatis eam diſcerneret.

OBSERV.

Notari hic meretur, omnes, quos legi, materiae medicae ſcriptores, hunc, quem in viridis hellebori radice obſervavi ſaporem, verae nigrae ſupra deſcriptae hellebori ſpeciei tribuere. Uno *) *Iacobo Rudolpho Camerario* mihi aſſentiente.

Harum radicum multus eſt uſus & ab aromatariis Francofurtenſibus veri hellebori nigri radices putantur.

Helleborus vaginis pallidis, vix ſerratis, flore virente. Hall. Helv. 317. nr. 2.

Hel-

*) Vid. ejus Diſſert. Helleborus medice delineatus. 1684.

Helleb. caule multifloro, folioſo, foliis pedatis Linn. Syſt. Nat. gen. 622. ſp. 4.

Helleborus niger foetidus. Bauh. Pin. 185.

Haec planta gemmis, non ex radice ſed ex trunco articulato erumpentibus, multiplicatur. Radicis caudex non articulatus, capite ſimplici praeditus, lignoſus, ſaepius flexuoſus, longitudinis quandoque pedalis, craſſitiei ſuperne pollicaris, ramis craſſioribus divaricatis, fibris ramoſis capillaribus: ſaepius etiam, praeſertim junioribus, ſimplex fuſiformis, fibris ramoſis hinc inde coacervatis.

Subſtantia, tam caudicis quam fibrarum, ſemper lignoſa.

Color ſiccatis ex nigro griſeus.

Observ.

Ut ab hac radice ſibi praecaveant pharmacopoei, in diverſis ſcriptis monentur: eas autem vel nunquam vel rariſſime officinas intraviſſe, perſuaſum eſt mihi, quum habitus hujus radicis quam maxime recedat ab hellebori nigri & viridis radicum habitu.

Adonis perennis dodecapetalos Hall. Helv. 319.

Adonis flore dodecapetalo fructu ovato, (vernalis) Linn. S. N. gen. 618. ſpec. 2.

Helleborus niger tenuifolius, Buphthalmi flore Bauh. P. 186.

Radicis hujus caput breviſſimum. Caudex non articulatus, a gemmis vero ad omnem directionem quotannis provenientibus ramulis breviſſimis auctus, nodoſus.

Fibrae ex baſi gemmarum provenientes ſimplices, copioſae, carnoſae, 8-12. pollices longae, radicibus annoſioribus contortuplicatae.

Color recentibus e nigro ſpadiceus, ſiccatis nigerrimus.

Odor nauſeoſus, fortis.

Sapor acris, amarus, dulcedine parum mixtus ut in agarico.

Hybernaculum fere planum, bracteatum.

Subſtantia fibrarum carnoſa, non lignoſa, ideo fragilis.

Observ.

Quod radix haec in Saxonia ſuperiori & in Gallia pro vero Helleboro uſurpetur & optime quidem priori ſubſtitui poſſit, Celeberrimus *Vogelius* perhibet in Hiſt. Mat. medicae pag. 195. Me ipſum quoque illam olim a Francofurtanis accepiſſe & veri loco divendiſſe fateor.

Actaea racemo ovato, fructibusque baccatis, (ſpicata) Linn. S. N ſpec. 1.

Aconitum bacciferum C. Bauh. P. 182.

Chriſtophoriana Dodon. purg. p. 231. Cluſii hiſt. 2. pag. 86.

Caudex radicis hujus articulatus, ramoſus, ramis, hellebori nigri plerumque longioribus & ex pluribus quam tribus articulis vel ex eodem latere vel ex alternis oppoſitorum laterum articulis erumpentibus, conſtat.

Receptaculum ſcapi petiolique acetabuli inſtar excavatum ut in Hellebori nigri & viridis radice.

Fibrae crebriores ex infimo ramorum articulo, ſparſim vero & parcius per effoetf caudicis decurſum proveniunt.

Omnes ſunt ramoſae, ad extremitates ramoſiſſimae capillares, quarum maximae culmum zeae aequant.

Colore cum hellebori n. radice conveniunt.

Subſtantia lignoſa, fibroſa, minus fragilis.

Observ.

Radix haec ob magnam habitus externi analogiam, quam cum helleboro nigro habet, ab eo difficillime diſcerni poteſt, niſi auctus articulorum numerus, ramorum directio, rami fibrarum & ſubſtantiae fibrarum lignoſa indoles reſpiciantur. Omnium frequentiſſimae ideo etiam occurrunt in officinis, quum in uno vere plures centenarios earundem ad Bahlingam & Tuttlingam effodiviſſe rhizotomos, certior factus ſim.

Aſtrantia foliis quinquelobis: lobis trifidis. Linn. S. N. gen. 290. ſp. 1.

Hel-

Helleborus niger ſaniculae folio major. B. P.
Helleborus niger verus Dioſcorid. & R. Dodon.

Caudex radicis ſimplex, fuſiformis 2-3. pollices longus, articulatus, articulis vix dimidiam lineam longis, fibris per omnem ſuperficiem confertus, 3-4. pollices longis, ramoſis, filiformibus ramis capillaribus brevibus donatis, coloris ex fuſco nigricantis.

Hybernaculum plerumque filamenta mollia (ſcapi petiolorumque reliquiae,) cingunt.

Observ.

Raro indagantur a rhizotomis hae radices, quamvis minus peccent, ſi has aliarum loco ſubſtituant, quum Illuſtris ab *Haller* in Enum. Stirp. Helv. p. 440. mitiorem in illis vim purgantem, quam in ipſo Helleboro, animadverterit.

Helleborus caule plerumque unifloro, petalis & ſiliquis plurimis. Hall. Helv. 218.

Trollius corollis conniventibus, nectariis longitudine ſtaminum. (Europaeus) L. S. N. gen. 622.

Ranunculus flore globoſo. Dod. purg. 287. ſp. 1.

Radici hujus plantae breviſſimum caput, nullusque fere caudex: ex baſi ſaltim gemmarum copioſae fibrae 6-7. pollices longae in terram deſcendunt, quae quoad maximam craſſitiem culmum ſecalis aequant & per totum decurſum ramis multis compoſitis, ad extremitates vero iisdem copioſiſſimis decompoſitis praeditae ſunt.

Hybernaculum exſiccatum bracteatum & conicum, a putrefactis petioli & pedunculi relictis fibris velut ſetis circumvallatum eſt.

Observ.

Haſce radices ſaepius circumferre rhizotomos ex cujusdam rhizotomi ore mihi relatum eſt, qui eas effectu multo mitiores eſſe, quam Acteae radices putabat.

Aconitum foliorum laciniis linearibus, ſuperne latioribus, linea exaratis. (Napellus) Linn. S. N. 603. ſpec. 3.

Aconitum caeruleum, f. Napellus. Bauh. Pin. 183.

Caudex radicis polymorphus, tuberosus, mox globosam, mox conicam referens figuram: hinc inde fibras copiosas, ramis supradecompositis praeditas, emittit.

Fibrarum crassities culmum zeae maximam partem aequat, longitudo 3-4-5. pollicum.

Color siccatis nigro griseus.

Hybernaculum siccatis vix conspicuum.

Substantia non lignosa, fragilis.

Observ.

Ne radices hujus plantae pro Helleboro nigro adhibeant pharmacopolae, id quod jam saepius factum & annotatum sit, monet *Schulzius* in Thes. Mat. med. p. m. 151.

Plantae anonymae radix venenatissima.

Radicis hujus caudex glaber, non articulatus, junioribus fusiformis, annosioribus pyriformis. Priorum maxima diameter 3-4. linearum, posteriorum 6-8-9. linearum. Utriusque longitudo, usque ad extremitatem in fibras desinentem, pollicem unum & dimidium vel duos plerumque aequat.

Fibrae semper binae approximatae per omnem caudicis ambitum sparsim proveniunt; longitudinis 6-8. pollicum, crassitie culmum zeae aequantes. Rami fibrarum rarissime observantur, nisi in extremitate, ubi tenuissimi extant compositi, capillares.

Hybernaculum bracteatum, vix conspicuum, planum uti in Anemone radicibus.

Color crassioribus fibris fusco-nigricans, tenuioribus fusco-rubens.

Substantia solida, non vero lignosa, valde fragilis.

Observ.

Venenatissimam descriptae modo radicis vim non solum supra dicti sed & eodem anno in variis Wirtembergiae locis usum ejus insecuti & observati casus funesti uberrime confirmant.

An

An haec eadem forte hellebori radix, quam Cel. B. *Erhard* & eximius ejusdem ſucceſſor atro carbone notarunt?

Viribus enim conveniunt, & tenuitas & color rubeſcens fibrarum utrique competit radici.

Quum adulterinos inter helleboros vix detur fortiſſimum tale venenum, quod minutiſſima adeo portione, eaque vel coquendo extracta, tam certam inferat necem ac noſtra radix anonyma, & binos illos caſus funeſtos, quorum alterum Illuſtr. I. B. *Morgagni* *) ipſe obſervavit, alterum vero ex *Guil. Fabricio* **) allegavit, non poſſum non eidem radici adſcribere: nam plantam, infamis hujus radicis, Wirtembergiam forte haud ſolam, ſed & alias regiones Europae protuliſſe & nocivos ipſius effectus expertas eſſe, veriſimile eſt.

Eam igitur inveſtigare tam indigenis quam exteris, quibus nempe triſtiſſimos ejusmodi caſus praecavere curae cordique erit, omnino operae pretium videbitur.

Quam ego curam & operam, etſi fruſtra per biennium in hac re impenderim, eandem tamen etiam in poſterum me adhibiturum &, quamprimum mihi licebit, plantae nomen characteresque indicaturum eſſe, ſpondeo.

Vaihinga Onoldum
miſſa die 11. *Iunii* 1775.

Scholion.

Deleterii effectus radicis, cujus in obſervatione praecedente fit mentio, non poterant non me monere, ut copiam quandam ejus, quae uſurpata fuerat, ſi adhuc haberi poſſet, rogarem. Accepi poſtea nonnulla exemplaria, atque cum honoratiſſimis Collegis communicavi. Varias tum radices vegetabilium, e claſſe toxicorum, conſideravimus, & e terra ineunte autumno effodimus, unde demum collatis ſententiis, & comparatis ipſis exemplaribus, abunde patuit, transmiſſam

 vene-

*) I. B. Morgagni Libr. IV. Epiſt. anatom. LIX. §. 15.
**) - - - - - - §. 16.

venenatiſſimi effectus radicem, hucusque anonymam, nullam aliam eſſe, quam radicem *Aconiti Napelli* LINN. Sp. Pl. p. 791. num. 4. ſ. *Aconiti caerulei* majoris ſ. vulgar. ſ. *Napelli veri, der blaue Eiſenhut ſ. Sturmhut.* Depicta eſt, cum integro plantae habitu, haec radix in variis iconum plantarum collectionibus, verum non ubique ita, ut naturae verae & per omnes partes reſpondeat. Sic v. c. in Centur. VI. HERBAR. BLACKWELLIANI Tab. 561. reliqua quidem planta bene, ſed conica magis radicis facies expreſſa eſt, cum in aliis v. c. TABERNAEMONTANI, DODONAEI, imo DIOSCORIDIS tabulis paulo melior, convenientior & non tuberoſa, ſed conica magis unum cum dimidio pollicem longitudine, & ad quatuor forte lineas latitudine aequans, appareat. Conum autem radicis principalis plures comitantur fibrae aliquo modo iis ſimiles, quae in helleboro nigro officinali obſervantur, ut tamen non adeo nigrae ſint. Cum vero venenata indoles hujus plantae, in vulgus nota, atque a longo jam tempore ſatis confirmata ſit, non tantum e triſti hac, & noviter exemplis probata experientia elucet, quam caute mercari debeant ii, qui a rhizotomis, haud ſatis herbarum ſcientia & cognitione inſtructis, radices uſui medico impendendas, coëmunt, atque eas, pro iis, quibus venditantur, absque ſeveriore adhibito examine, habent, atque uſurpant. Sicuti quoque ex obſervatione hac patet, quam ſubacto judicio, & omni adhibita cautione in virulentis vegetabilibus, prout hucusque ex parte tulit ſeculum noſtrum, uti debeant, qui ex eo, quod: *ubi virus*, ibi *virtus* ſit, & aliis toxicis utuntur, ut inde ſalutarem quandam alterationem in corpore morboſo excitent. Quanta ubique opus eſt diſcretione!

D. H. F. Delius.

OBSER-

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. PAVLI IOANNIS FRIDERICI HELMERSHAVSEN

De

Hepate novem librarum cum pancreate dislocato.

Luculenter ſane culter anatomicus aperit in diſſectis corporibus, morbis chronicis defunctis, vel potius in valetudinariis, ſemper fere hepar labe quadam affectum eſſe, ſanis etiam reliquis viſceribus. Saltem, quam diu ſtudii anatomici cauſa Berolini commoratus ſum, plurima cadavera diſſecta, morbo chronico demortuorum hoc confirmaverunt aſſertum. Vel enim ipſa hepatis ſubſtantia erat variata, ſcirrhis, tumoribus, athero-ſteatomatibus obſita, vel vaſa & inprimis vena portarum & ejusdem diſtributiones ſe repraeſentabant polypis & ſanguine grumoſo obſtructae, ex quibus plura gignebantur mala, quae lento paſſu progredientia ſubjecta morte enecabant tarda. Praxis viginti annorum illas obſervationes anatomicas non ſolum confirmavit, ſed ſaepius etiam me edocuit, ſymptomata graviora in partibus remotis, attamen non in his, ſed in hepate, fixam habuiſſe ſedem. Quoniam vero ſymptomata labis hepatis & hujus obſtructi viſceris raro ab initio graviora ſunt, ideoque non in oculos incurrunt, niſi ſtatus inflammatorius accedat, plerumque effectus in partibus ſe & excretionibus dicatis ſeſe manifeſtant, in his cauſa morbi anxie quaeritur. Sectio foeminae hoc aſſertum luculenter confirmavit, quam ob raritatem & momentum publici juris facio. Foemina quadraginta annos nata, corporis gracilioris, longi, mater quinque liberorum ſanorum, cachectica & ſcrophulis laborans, iterum ſexta vice gravida, infelici & inopinato modo, cum aquam in vaſe majori tergo adfixo, ad delendum ignem arcis apportando per notabilem diſtantiam pro & retrahebatur, ex

quo

quo tempore statim tumore quodam majori in dies quasi crescente in regione epigastrica supra ventriculum inflabatur, cujus causa partim in infantis dislocatione, partim in alterato utero quaerebatur. Elapso tempore trimestri inde a perpessa violenta protractione partum legitimum, sanum excludebat, & tunc exspectabat anxie decrementum tumoris cum remissione symptomatum; sed spes eam sefellit, tumor enim magis sese expandens fortius subjacentes partes adeo premebat, ut erecto corpore suffocaretur, ac non granulum esculentorum & nequidem liquidorum ingurgitare sine metu suffocationis posset, gravissimisque vomituritionibus omnia & minutissima ori ingesta iterum & summa cum virium prostratione evomerentur, anxietate in praecordiis semper manente. Subjectum non carebat auxilio tam externo quam interno, imo ex clementia Serenissimae Principis optima juscula & esculenta ex culina aulica illi porrigebantur, & eruditis consiliis domini Archiatri sufulciebatur, sed tenuissimis nutrientibus janua erat clausa, & experientissimus Medicus magis observatorem & spectatorem, quam medentem agere cogebatur. Ardentissimis precibus pertaesa aegrota ob ingentes dolores sectionem tumoris vel potius ejus exstirpationem efflagitabat, qua forsan ventriculus liberari & gradus dolorum mitigari posset, sed hoc nemo audebat, partim ob praesentem contabescentiam corporis, & defectum virium, partim ob connexionem certam cum ventriculo & aliis partibus nobilioribus, partim ob incertitudinem contentorum hujus singularis tumoris, quem quidam lienem scirrhosum abruptum, alii simplicem scirrhum, alii tandem partem cartilaginosam costarum vi abruptam esse putabant & suspicabantur; tumor enim duritiem & figuram magis convexam cartilaginum habebat. Aegra per septem hebdomadas doloribus enormibus, fastidio ad lipothymiam usque vexata, exhaustis viribus, extremum tandem efflabat halitum. Ex gratiosa concessione Domini Archiatri & Consiliarii aulici Domini Doctoris Hufeland reliqui Medici ordinarii sectioni aderant, ut informaren-

marentur de vero ſtatu hujus ſingularis tumoris. Manus expedita Chirurgi aulici Domini Herold ſeparabat cum laudabili circumſpectione omnes partes, & ſtatim ſeparatis integumentis communibus & rejecto omento & peritonaeo ſe repraeſentabat hepar ingentis magnitudinis, cujus omnia ligamenta quidem firma adhuc & illaeſa erant, ſubſtantia autem tam interna, quam externa innumerabilibus diſſeminata & obſita erat ſteatomatibus & apaxabonem pinguem figurabat, lobus tamen Spigelii caeteroquin ſanus adhuc reperiebatur. Moles hujus viſceris reliqua abdominis viſcera connexa ex ſitu dislocavit naturali, ſic ventriculus plenarie compreſſus usque ad hypochondrium ſiniſtrum, & lien magis ſubmerſus ſub coſtis ſpuriis locum obtinebant ſuum. Pancreas vero quaſi elevatum & allatum formabat ſingularem iſtum tumorem quaſi ſcirrhoſum magnitudine capitis infantis recens nati; diſſecto illo tamen non, niſi materia mellea alba in admirationem ſpectatorum inveniebatur, cum hepate mediante celluloſa, connexo, ſimul inhaerebat ventriculo & neceſſariam ejus expanſionem impediebat, ſi etiam ventriculus dislocatus eſculenta devorare potuiſſet. Inteſtina, renes & uterus caeteroquin pro ſtatu chronico ſubjecti morboſo adhuc magis naturales, quam praeternaturales erant, exceptis minoribus ſteatomatibus inprimis ad fundum uteri diſſeminatis. Hepar cum omni diligentia ſeparatum ſimul cum pancreate pondus novem librarum mercatorum communium adimplebat; & hypochondriacam replebat regionem dextram usque ad iliacam, totam regionem epigaſtricam & pro parte quoque ſiniſtrum hypochondrium, imo diaphragmatis partem muſculoſam dextram, & membranoſam in pectoris cavitatem profunde premebat. Praeterea viſcera pectoris ſaniora erant, quam credebamus. In vaſis ipſius hepatis, tam a vena portarum pendentibus, quam a coeliaca, notabile vitium, ut polypus, ſanguis grumoſus non obſervabatur, ſic etiam cyſtidem felleam fere in ſtatu naturali invenimus. Status ergo praeternaturalis hujus nobilioris viſceris in

ingenti ejus expansione, magnitudine & gravitate ac steatomatibus per totam substantiam intus & extus disseminatis, ut ne spatium pollicis naturale constitutum fuerit, consistebat, nihilominus vero subjectum miserrime, inprimis post exclusionem foetus (qui adhuc vivus & sanus) usque ad mortem, per septem hebdomadas, cruciavit, quod non mirandum, si consideremus, quod ob ingentem magnitudinem & molem hepatis, reliqua viscera pressa, dislocata inordinatum, impeditum circulum sanguinis perpessa sint, quod omnes functiones ab hepate dependentes graviter alteratae ut essent, necesse fuerit. Attamen mea quidem ex sententia, omnes hae causae haud sufficientes sunt ad gravitatem symptomatum observatorum, & ad celeriorem exitum, nisi nutritio simul plane sit sublata, partim ob denegatam expansionem ventriculi ex pressione hepatis & pancreatis, partim ob plane impossibilem introitum esculentorum in ventriculum, dum ingesta vel fluida vel solida ex pondere non penetrare & perpendiculariter descendere poterant, quin ob dislocatum & ad hypochondrium sinistrum delatum ventriculum oesophagus, ut lineam curvam & circa orificium ventriculi saccatam formaret, necesse erat. Hanc ob causam ingesta frustra assumebantur, ac penetratio impossibilis erat, ob situm, attamen irritabant & vellicando inprimis simul orificium anxietates & dolorificas excitabant vomituritiones. Et ponamus, etiam mollia & fluida esculenta introitum invenisse, tamen nutritio ob pancreas obstructum corpori praescripta fuit; huc vero adhuc sub lite & altioris indaginis res manet, utrum status & situs praeternaturalis pancreatis ex perpessa injuria ortum traxerint, vel antea jam jam exstiterint, etsi probabile est, obstructionem & tumorem pancreatis jam jam per longum tempus adfuisse, & cum hepatis statu praeternaturali crevisse, per perpessam compressionem vero dislocatum & sic magis in conspectum venisse.

Vinaria Onoldum
missa die 25. Iunii 1775

OBSER-

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. LIC. IOANNIS FRIDERICI CONSBRVCH

sistens

Cataplasmatis e radicibus Dauci sativi effectus insignes in ulcere faciei cancroso, at exiguos in Cancro mammae exulcerato.

Rusticum quadraginta & quod excedit annorum, ulcus divexabat e duro tumore enatum, & fere in totam lateralem, eamque sinistram nasi partem, nec non in potiorem partem palpebrae inferioris sinistrae se diffundens. Multum putridae carnis superincrevit ulceri, quod duris, luridis & retortis oris cinctum, saniem fudit acrem & vehementer olentem. Dominus Gaum, clarissimus inclytae Academiae Tubingensis Chirurgus, (cujus amicitiae hunc casum debeo,) radices Dauci sativi triturandas curavit, dein succum ita expressit, ut massa spissioris cataplasmatis temperaturam haberet. Hujusmodi cataplasma bis singulis diebus ulceri superdedit, idque remoturus, semper antea decocto herbae Conii humectavit. Praeter haec aegrotus decoctum lignorum & pulverem Corticis Peruviani capere debebat. His igitur per quinque circiter menses ita gestis, & sumto etiam subinde cathartico, tum resolutus est tumor, tum ulcus ad integram sanationem fuit perductum.

Virgo quaedam nobilis 49. annorum, in medio fere dextrae mammae scirrhum aluit globosum, scabrum, mobilem, per se inibi exortum; cujus quidem excisionem minime permittebat, vehementer abhorrens crudelem chirurgiam. At suspectum istum, & progressu temporis livido colore notatum tumorem, saepe prurigo tentabat, glandulae, quae sub dextra axilla sunt, intumescebant, quin etiam instantibus, vel jam jam profluentibus menstruis, in tumorem insurgere con-

 suevit

fuevit tota afflicta mamma, scirrho aliquantulum dolente. Emplastra ac epithemata ex herba Conii parata, & pilulae ex inspissato succo Conii confectae, adversus id malum nihil poterant. Tandem, auctis indies calamitosis symptomatibus, vitiosus humor velamentum, quo scirrhus comprehendebatur, nec non supremam cutem exedit, occulto scilicet cancro in apertum degenerante. Cancrosus iste scirrhus mole sua gallinae ovum tum adaequavit. Ego vero auctor fui, ut chirurgus bis per diem cataplasma ex radicibus tritis Dauci sativi mammae imponeret. Scilicet id genus curationis adversus cancrosa mala aliquid praestare posse, observationibus clarorum virorum, *Sulzer*, *Denis*, *Gibson* & *Nicolson* cognitum est. Quoties itaque chirurgus cataplasma a mamma removit, toties ulcus mundificavit decocto saturato herbae Conii, aceto Lithargyrii aucto. Nunc etiam omissis pilulis e succo Conii paratis, pulvis Corticis Peruviani aegrotae porrigebatur, alvo subinde laxante remedio soluta. Potus erat decoctum sanguinem depurans, neque raro virgo generosa emulsiones, aut gratos acidulos iulepos capiebat. Dum haec ita gerebantur, morbus mitiorem indolem simulabat, siquidem mammae dolores desinebant, acris sanies puri similior reddebatur, ipso foetore ejus evanido. Ad haec nihil sanguinis, quemadmodum antea accidit, ex ulcere stillabat, nec amplius, quae imponebantur, nigricante colore foedata apparebant. Mense Augusto anni 1773. cataplasmata ex radicibus Dauci sativi adhibere coepimus, ultra tres menses in eorum usu persistentes. At labilis erat & infida curationis hujus prosperitas, pervicax enim malum pedetentim in pristinam malignitatem se inclinavit. Nimirum ulcus pejori iterum ichore madebat, scirrhum compluribus in locis corrodente. In tam afflicto rerum statu varia tentabamus, potissimum epithema ex decocto Corticis Peruviani, Essentia Myrrhae sine alcali, & aceto Lithargyrii imbuto, non neglecto interno Corticis usu. Verum haec omnia elusit implacabilis morbi atrocitas, quandoquidem ulcus foetido & acer-

acerrimo ichore inundatum latius ſe diffudit, validaque tuſſis cancroſam mammam adeo concuſſit, ut ſub hiſce luctaminibus aliquoties ſanguis ex ulcere prorumperet; quin etiam nocturnae tuſſis irritamenta omnem fere diſcuſſerunt ſomnum, unicum miſerae ſolamen. Hectica autem febre continenter urgente, cibi deſiderium defecit, corpus valde contabuit, & magni ſucceſſere languores. Circa medium menſis Ianuarii, anni 1774. ad ultima ventum eſt, febris enim & perdita quaevis morbi ſymptomata intendebantur. Tandem his calamitatibus lipothymiae acceſſerunt, quarum noviſſima cum ingrueret, protinus aegrae libra forte medica ſpiſſi, atri & putredinem olentis ſanguinis ex ore & naribus prorupit, quo ſub inſultu anhelans ſpiritus ex miſerrimo & tantum non ſemeſo a tabe corpore diſſolvebatur.

Itaque virginem inſultus morbi nigri e vivis rapuit; ejus ſcilicet, qui prima eſt ſpecies morbi nigri *Hippocratis a*), ſi nempe Coum pro vero auctore librorum de moribs habere velis. Sanguis iſte ater & corruptus ex infarctis antea, & nunc disruptis ventriculi venis provenit. Dudum enim ſymptomata vidiſſes, tum, quae ad hujusmodi infarctus aliquid facere potuere, tum quae eos jam jam latentes ſuſpicari nos juſſerunt. Namque virginem per complures annos ex crebris alvi obſtructionibus vagisque hyſtericis ſpasmis & maxime cardialgia laboraſſe ſciendum eſt. Sanguis ipſius ſpiſſus fuit, menſium fluxus largus, nec ſemper definita tenens tempora.

In noviſſimo morbo aegra frequenter & ſaeva ventriculi tormenta, & magnas praecordiorum anguſtias accuſabat, atque tum valida pulſatio in epigaſtrica regione admota manu poterat percipi. Quod ſi vero, id quod ſaepe accidit, tarda alvus a propinato cathartico, vel immiſſa lotione movebatur; durae, globoſae, & muco obductae faeces prodire conſuererunt. In ipſo morbo ſingulis vicibus parcius ſtillabant menſtrua, ac tandem omnem ſiſtebant fluxum. Scilicet ex his be-

a) De morbis libro 2.

ne patet, atrae bilis cum cancrosa materie affinitas. Veteres Medici semper fere atram bilem, tanquam scirrhi & cancri causam, incusaverunt, *b*) & eo intenderunt curationem, ut solutus atrabilarius humor e corpore educeretur.

Quem ego in hoc malo effectum cataplasmatis e radicibus Dauci sativi observavi, eundem fere Clarissimum *Nicolson* in simili morbo notasse video. *c*) Dolens autem fateor, quod mihi nunquam licuerit esse tam felici, ut tectum, vel exulceratum mammae cancrum persanarem. Nihilominus antiquissima tempora exemplum praebere videntur, exulcerati mammae cancri, medicamentis persanati. Nimirum legitur in Herodoti monumentis *d*), de *Democede*, Medico Graeco, tum ob curatam difficilem luxationem Darii regis, tum ob recusata regia dona, & expetitam Aegyptiorum Medicorum vitam celebri, sanasse eum Atossam, Cyri filiam, Darii conjugem, cui in mammilla ortum ulcus, quod disruptum, latius serpebat. Quam diu id parvum erat, pro more sexus pudibunda celaverat, cum vero in pejus vergeret, Democedi detexit. Nulla fit in hac curatione sectionis vel ustionis mentio.

Quam multa remedia novissimis temporibus adversus cancrum depraedicata sint, non est, quod hic exponam. At mihi certe vana videntur Medicorum conamina, quibus unicum contra illum quaerunt specificum. Quodsi enim, quemadmodum experientia constat, cancrosa materies diversae indolis est, nae hi, qui omnibus cancris, unum idemque remedium invenire studeant, perinde oleum perdunt operamque, atque illi, qui universali cuidam medicinae inveniendae assidua cura & cogitatione invigilant. Quapropter magis e re esset, curate exponere, quo in casu singula remedia salutem attulerint, quam unico specifico quemvis cancrum persanatum ire. Revera, vel ipse

b) Galeni Methodus medendi ad Glauconem. Libro. I. capite 12. editione Charterii pagina 389.

c) Commentarii de rebus in scientia naturali & medicina gestis. XVIII. 406.

d) Libro III. pagina 211.

ipſe Cortex Peruvianus & herba Conii, ut in quibusdam caſibus mira praeſtiterunt, ſic in aliis fidem minime liberarunt.

Praeter haec monere fas eſt, quod in mammis tumores & ulcera dentur, ſcirrho & cancro fere ſimilia, neque tamen his nominibus notanda. Sic pertinaces indurationes in mammis ex lacte coagulato ortae, neque veri ſcirrhi ſunt, neque in cancrum degenerant, ſed potius, ni reſolutionem admittant, in lentas & fiſtuloſas ſuppurationes vertuntur. Porro in mulieribus immundae veneris contagio delibutis, teſte Clariſſimo *Bierchen*, *e*) triplex in mammis occurrit tumorum & ulcerum forma. Nempe nunc ulcera cutanea ſunt, pure madentia, nunc inſtar ſphacelantium apparent, nunc autem duritie diſtinguuntur, inde a coſtarum membrana exorta. Prima ſpecies, uti habitu ſuo lardo ſimili, veneream indolem facile prodit, ſic duae reliquae cancrum mentiuntur. Igitur, dum haec & alia perpendo, non iniquum mihi videtur ſuſpicari, ſaepiuscule forſan Medicos, minime, quemadmodum ſibi perſuaſerunt, veros cancros domuiſſe, ſed aliis mali moris ulceribus felicem medicinam feciſſe.

Poſt exſectum cancroſum ſcirrhum frequenter malum deterius repullulat, & anceps antea ſalutis ſpes in certam deſperationem convertitur. Conſtat, quod ſaepe ex relictis in margine & fundo vulneris duris ſcirrhi propaginibus, ceu ex totidem radicibus novus cancer progerminet. Interdum etiam calamitas eo augetur, quod cancroſum virus prius intra indurata ſcirrhi vaſa retentum, hoc exſecto libere vagatur, & a vicinis reſorptum vaſculis, cum glandulas juxta ſitas, tum ſanguinis maſſam inficit. Quam ob rem, ſi ad ſcalpelli operam decurritur, feſtinandum eſt, & recenti re id agendum. Eſt autem, quemadmodum eleganter ait *Pechlinus*, *f*) ingenitum molliculis foeminarum animis, ut crudelem chirurgiam, initio uſui futu-

e) Commentarii de rebus in ſcientia naturali & medicina geſtis. XIX. 518.

f) Obſervationes Phyſico-Medicae. pagina 187.

futuram, ſero demum, & poſt fruſtrata omnia remedia viresque collapſas admittant. Ideo cavendum erit, ne lenta alioquin ſanatio violento conatu abrumpatur, & qui in longitudinem extrahi morbus poteſt, ſubita morte expietur.

Vahinga Onoldum
miſſa die 2. Iulii 1775.

OBSERVATIO XXIX.

Dn. Lic. IOANNIS FRIDERICI CONSBRVCH

De

Hydrope Anaſarca, Liquore Nitri fixi diſcuſſo.

In Obſervatione XXVIII. proxime praecedentis Tomi harum Ephemeridum ſtrictim egi de Hydrope abdominali, liquore Nitri fixi perſanato, nunc exemplum proponere liceat intercutanei Hydropis eodem diſcuſſi medicamine.

Ruſticus quidam annos natus plus minus 40. tum ob laſſitudinem morboſam, tum ob neglectam dudum ſanguinis miſſionem, venam ſibi in pede ſecari curat. Poſtero die febris ex magno horrore incipiens hominem adoritur. Primae acceſſiones veſperi redire conſueverunt, horroribus, quos calor aliquis excepit, nec non capitis dolore & multa ſiti conſpicuae. Brevi poſt ſingulis diebus aliquot exacerbationes incertis temporibus inciderunt. Ad haec & ſicca tuſſis, & preſſio dolorque in dextro hypochondrio aegrum divexabant, ac facies multum pallebat. Quinto die pedes primum aquoſus tumor occupat, dein paulatim totum corpus molli & pallido tumore ampliatur.

Is tumor, dum premitur, foſſulam, quae tarde rurſus impletur, habet, impreſſi digiti veſtigium. Ipſe vero homo languidus & moleſte ſpirans, paucam, eamque fuſcam reddidit urinam. Pulſus, ſi quidem febris tempora excipias, parvus

vus fuit & tardus, ipsaque febris elapsa prima septimana fere omnis disparuit. Scrotum & penis vasto ac aquoso grandescebant tumore, tumido praeputio usque adeo intorto, ut fere urinae fistulam intercluderet. Rebus sic se habentibus chirurgus quidam accersitur, qui aegro laxantia & decoctum ramusculorum juniperi propinat.

Morbo autem in pejus se inclinante meum expetitur consilium. Praescribo igitur Gummi Ammoniaci depurati drachmam integram, Extracti panchymagogi Crollii scrupulos quatuor, Resinae Jalappae scrupulum dimidium, pulveris radicis scillae praeparatae drachmam dimidiam, & Essentiae lignorum quantum sufficit ad pilularis massae temperaturam. Singulae pilulae pondere grana duo aequabant, quarum sex ter per diem erant devorandae. Potui decoctum illud juniperinum ulterius aptum censui. Primo quidem remedia aliquid laudabile praestare videbantur, at morbus, mox in pejus se inclinans, bonam spem fallebat. Nimirum corpus majori, quam unquam tumore augebatur, spiritum ita gravante, ut aeger, exstructis ad erectiorem situm culcitris, potius in lecto sederet, quam decumberet. Cum eo ventum esset, curationem Liquore Nitri fixi tentare decrevi, quapropter dedi Liquoris Nitri fixi drachmas sex, adjectis Syrupi capillorum Veneris drachmis duabus. Hujus liquoris mane & vesperi septuaginta guttae capiebantur, in usitati istius decocti cyatho. Quid ergo evenit? Ecce tenues & dilute flavae urinae ubertim profluunt, tumor subsidet, spiritus levatur, modico sudore irroratur corpus, vertuntur in melius omnia. Igitur consumto salutifero liquore, eundem denuo parari jussi, quo iterum usurpato jam proxime aberat valetudinis integritas. Tum quidem e re fuisset roborantibus remediis medicationem absolvere; verum aeger jam satis consultum esse sanitati suae existimans, maluit medicamentis vacare, & quod curationis fuit reliquum, tempori & naturae committere; neque sane spe sua frustratus est, sed potius brevi incolumitati restitutus.

Hydrops Anasarca aqua inter cutem proprie dicta est, quamvis *Celsus a)* dicat, tum demum in hydropem incidere eos, quos aqua inter cutem male habeat, si primis diebus non succurratur, & *Aretaeus* tria hydropis genera eo nomine comprehendat. *Hippocrates* duo tantum hydropis genera videtur agnoscere, Ascitem & Tympanitem, Levcophlegmatiam autem rudimentum hydropis. Sed *Aretaeo* Levcophlegmatia est, quando totum corpus alba, crassa & frigida pituita intumescit, & Anasarca, dum caro in cruentam saniem liquatur, ad speciem ejus, quae ab ulceribus intestinorum manat. Etsi vero multis recentiorum Levcophlegmatia & Anasarca unus idemque morbus sint, mihi tamen haud vilipendenda videtur distinctio, cum varia requiratur cura. Neque desunt celeberrimi viri, e quibus *Fridericum Hoffmann* & *van Swieten* nominasse sufficit, qui distinctionem admittunt. Sic autem inprimis a se differunt hi bini morbi: In levcophlegmatia corporis habitus tumidulus, mollis, pastaceus & frigidus apparet, in Anasarca plus tumoris est, qui a pedibus exortus lente ascendere consuevit. Levcophlegmatia, aqua inter cutem mitior, in hanc degenerat, quoties frigida illa pituita in aquosam tenuitatem diffluit. Praeterea partibus Anasarca obsessis arctius admotus digitus foveolam imprimit paulatim evanescentem, id quod minus facile contingit in Levcophlegmatia, ubi collectus mucosus humor difficilius in vicinas cellulas urgetur. Scire autem convenit, *Aretaeum* minus recte hoc signum in Anasarca obvium, Asciti tribuere, siquidem id tum tantum in hydrope abdominali animadvertitur, si morbus comitem habet Anasarcam. Quodsi ad medicationem respicis, eam utique facilius admittit Levcophlegmatia, quam aqua inter cutem. Levcophlegmatia enim languentes puellae, vel moderatis, vel nullis laxantibus praemissis, post data roborantia, motumque corporis provide per gradus auctum, de subsidente pallido tumore, & redeunte ad cutem vividi coloris gratia gaudent. Ita-

a) De Medicina, Libro III. sub initio Capitis 21.

Itaque *Galenus b)* pituitam haud inepte vocavit ſemicoctum alimentum, quod non evacuare oportet, ſed coctionem in eo abſolvere. Verum in Anaſarca curatio purgantibus inprimis & diureticis, ſeorſim & conjunctim, ac denique tonicis remediis eſt exequenda.

Vaihinga Onoldum
miſſa die 11 *Iulii* 1775.

OBSERVATIO XXX.

Dn. Lic. IOANNIS FRIDERICI CONSBRVCH

De

Graviſſima Paſſione Iliaca,
Abſceſſu
in Inguine dextro ſoluta.

Quando in ancipiti morbo, quod ſupereſt paucae ſpei, provido conſilio regere volumus, ipſa ſe nonnunquam interponit officioſa natura, & inopinato caſu aegrotantis ſaluti proſpicit.

Biboſa & menſtruis jam carens mulier, 48. annorum, paſſione iliaca graviter decubuit, & ab empirico quodam neſcio qualia accepit remedia. Auctis continue calamitatibus, quinto demum morbi die de Thraſonis medicina diffidebat. Vexabant tum miſeram immaniſſimi ventris dolores, qui per totum abdomen diffuſi, maxime epigaſtricam regionem infeſtarunt. Ipſum abdomen tumidum & valde tenſum apparuit, ventrisque itinera, quibus excrementa feruntur, adeo impedita & praecluſa fuere, ut neque cibus per alimentarem tubum deſcenderet, nec ullus flatus emitti poſſet. Igitur continui ructus protrudebantur, quicquid etiam cibi & potionis aſſumtum eſt, id omne fere, brevi poſt, multa bile delibutum, per validos vomitus rejectum fuit. Immo tetra demum

b) De naturalibus facultatibus. Libro. II. C. 9. Oper. Edit. Iuntin. Claſſe I. p. 302. A.

& ipsas faeces redolentia vomitionibus prodiere, urgentibus simul & magna febre, & vehementibus praecordiorum angustiis. Venaesectio, lotiones frequentes, laxantia, nec non temperantia atque anodyna aliquid profuisse videbantur, verum potius naturae ope mulieri immunitatem praestitam fuisse, credere fas est. Nimirum peractis in hac medicatione tribus diebus, in inguine dextro prominuit tuberculum, durum, fere indolens, neque inflammatum. Chirurgus tumorem perperam pro hernia inguinali incarcerata, eaque forsan dudum latente, habens, quaerebat aegrotam, annon ex hernia laboraret? id quod ea pernegavit, quin asseruit, se jam ante aliquot annos simili, mitiori tamen morbo detentam, hujusmodi tuberculum in dextro hypochondrio habuisse, brevi evanidum. Neque tamen id metum exemit Chirurgo, qui potius de reponenda hernia solicitus, emollientia cataplasmata tumori admovebat, & quae prolapsa esse sibi persuasit, in ventrem reducere nitebatur. Interim tumor multum dolere, & ex parvulo magnus fieri coepit, urgente etiam febre, parvo & celeri pulsu conspicua. At aegrota nimio plus secura, & de rebus suis minime anxia, nil amplius medicaminum sumsit. Fatiscens etiam iliaci morbi saevitia firmare potuit mulieris incuriam. Prout enim increvit tumor, pro eo & alvus facilius respondit, & ventris cruciatus vomitusque remisere. Postquam igitur per octiduum emollientia cataplasmata adhibita sunt, ecce inflammata nigricansque macula in tumore parum emollito apparuit, quo facto tumor post paucas horas in maculae sede per se apertus, pus emisit tenue, nigricans, foetidissimum, ac multo remixtum sanguine. Subsidentis tumoris hiatus, ut latitudine, sic & longitudine pollicem circiter aequabat. Superdata adhuc sunt per aliquot dies consueta cataplasmata, sed exulcerato loco diutius unguentum digestivum fuit adhibitum. Per 14. dies circiter pus emanavit; primo quidem copiosum, tenue & foetidum, deinde paucum, & utcunque bonum. Desiit jam gravissimus morbus, brevi etiam

iam omnis reliquus tumor diſcuſſus eſt, atque ulcus perſanatum.

OBSERVATIO XXXI.

Dn. Lic. IOANNIS FRIDERICI CONSBRVCH

De

Membranoſis concrementis cum purulentis ſputis ejectis.

Mulier 37. annorum, jam diu infirma conflictata valetudine, primum cruenta, poſtea purulenta exſpuebat. Ante 5. fere annos dolor antea dextrum thoracis latus occupans, in ſiniſtrum ſe inclinavit, gliscente ſubinde aliqua febricula. Tum aegra ſiniſtro lateri haud potuit incumbere. Autumno anni 1771. poſt improvidum recentis vini potum, ſub valida tuſſi, & neſcio quo in pectoris penetralibus ſtrepitu, in ſiniſtro pulmone ſibi quaſi aliquid avelli ſenſit, quod continuo cum pure ejectum, lacerae cujusdam membranae ſimulacrum exhibuit. Hoc ubi evenit, febrilis acceſſio incidit, labantibus interea afflictae viribus. Brevi poſt iterum aliquid membranoſi cum purulentis ſputis ejectum eſt, ſed absque tanta ſymptomatum vehementia. Rebus pedetentim in melius verſis, malum quietiora tempora mulieri praeſtabat; breves tamen erant atque infidae induciae. Nimirum jam inſequente hyeme miſera correpta fuit lue petechiali, eaque perdite decubuit. Emerſit tamen, quod mireris, e tanto diſcrimine, id quod tamen mulierem a priſtini morbi inſidiis haud potuit vindicare. Die enim 5. Februarii anni 1773. vehementi tuſſi affligebatur, quae tria membranoſa eduxit concrementa, albo ſpiſſoque pure delibuta. Singulatim prodibant illa, breviſſimo tamen interjecto tempore. Quod antequam incidit, eadem apparuere ſigna, quae primam membranae ejectionem antecedebant, longe tamen, quemadmodum in altera iſta excretione, mitiora. Hoc

facto aegrota deficientis animi minas senſit, mox evanidas. Siniſtro hypochondrio, ſiniſtroque thoracis lateri continue dolor aliquis inhaeſit, & implacabilis tuſſis ſubflavum pus eduxit, cruentis diſtinctum ſtriis. Ultimo Maji 1773. aegrota purulentam expectoravit membranam. Ab eo die usque ad 25. Iunii, tum 6. membranae prodierunt, tum membranoſa quaedam maſſa pure contaminata, quam mulier pro disrupta vomica habuit. Dum haec acciderunt, cruenta exſpuebat, ac febricula tentabatur crebris horroribus ſtipata, qualis quidem ſub membranarum expectoratione incidere conſuevit. Interea & vires aegrotae quodammodo concidebant, & corporis habitus ex aliquo tempore intra mediocritatem perſiſtens, paulum extenuabatur. Neque tamen haec impediebant, quo minus aegrota, die (ni fallor) 26. Iulii me adiret, unam ex ejectis iſtis membranis, ſpiſſo & ſubflavo pure conſpurcatam mihi oſtendens. Satis magna erat evoluta membrana iſta, nihil tamen fibroſi & organici in ea conſpexi. Ipſa vero aegrota aſſeruit, ſe nunc in utrumque latus cubare poſſe, pectusque ſibi quaſi vacuum videri, ſpiritum nuper difficiliorem, nunc eſſe allevatum, importunam in trachea titillationem, quae crebrae tuſſis neceſſitatem fecerit, deſiiſſe, diuturnam autem raucedinem incrementa cepiſſe. Die 9. Auguſti 1773. frater mulieris mihi retulit, illam ſatis bene ſe habere, ut etiam meſſoriis laboribus intereſſe poſſit. Ego vero dudum prohibui duros iſtos & agreſtes labores, in quibus ſane nimia eſt ſedula haec mulier.

At nolo ſingula membranoſa ſputa recenſere, ne taedium faciam lectoribus. Scire tamen convenit, aegrotam aſſerere, univerſum numerum membranarum, quas tuſſi ejecerit, eſſe octodecim. Noviſſima expectoratio ſub initio menſis Decembris anni 1773. facta eſt, poſtea nihil amplius membranoſi & purulenti ſputi in conſpectum venit, ſpiritus potius ex eo tempore allevari, raucedo imminui, ac tuſſis deſinere coeperunt. Itaque mulier nunc commode per acclivia aſcendere, onera por-

portare, omnesque, qui rusticam decent, labores peragere potest.

Menstrua per morbum raro & inordinata fluxerunt, dein aestate praeterlapsi anni opportune & justo modo ferebantur, & continuarunt rite fluere, usque dum mulier impraegnata fuerit.

Tam diuturno morbo pauca remedia oppossui, demulcentia praecipue, temperantia, vulneraria, balsamica atque anodyna. Multa eorum e penu domesticorum remediorum depromta sunt, ne scilicet medicatio fieret sumtuosa mulieri, non minus rei domesticae, quam sanitatis difficultate laboranti.

Multiformia interdum intra tracheas generantur polyposa concrementa, quae foras ejecta, in devia saepe deduxerunt Medicorum opiniones. Sic apud *Tulpium a)* observata prostant, quibus probare annititur, integram venam a pulmone expectoratam esse. Mirabatur autem tantam fieri potuisse in pulmone parenchymatis dissolutionem, ut liberum ab omni substantiae pulmonalis adhaesione appareret ramosum tale vas, ac si otiosus Anatomicus removisset circumpositi visceris impedimentum. Inauditum id credidit esse miraculum, quod miratura sit posteritas. Quasi vero *Galenus b)* tot seculis ante non vidisset similia. Certe & post *Tulpium* plura hujusmodi observata habentur, inter quae *Dringenbergii c)* morbus eminet.

Optime de extussitis his vasorum simulacris statuerunt celeberrimi viri *Ruysch d)* *Kaau e)* van *Swieten f)* & *Murray*; *g)*

a) Observationes medicae. Libr. II. Cap. 12. 13.

b) De locis affectis. Libr. I. Cap. I. Tom. VII. Edit. Chart. p. 379.

c) Abrahami Kaau Perspiratio dicta Hippocrati per universum corpus anatomice illustrata. p. 114. 115.

d) Musaeum Anatom. p. 122.

e) Kaau Perspiratio dicta Hippocrati &c. p. 116.

f) Commentaria in Boerhaavii aphorismos. T. IV. p. 31.

g) nempe quod sint polyposa concrementa in bronchiis collecta. Horum etiam tribulem duco satis ingentem istam massam, quam pro pulmonis frusto habuit *Tulpius h*). Eam scilicet cum frequenti sanguine ejecit Medicus quidam post sumtum antimoniatum remedium, atque exinde dictum, ac factum obiit. Probe memini, me haud ita pridem vidisse carnosum quasi corpusculum, a virgine quadam nobili, eaque haemoptyica & summe hysterica, sub spasticae tussis luctaminibus cum cruentis sputis expectoratum. Anxii ea de re adstantes, putarunt, bonam virginem detritam a pulmonis parenchymate portiunculam exscreasse, quum tamen nil aliud esset, nisi parvulus polypus, a coagulato sanguine intra bronchia enatus. Etsi vero haec ita se habent, existimem tamen ego, post violentas pulmonum laesiones, & in conclamato phthiseos statu evenire posse, ut de solidis hujus visceris partibus aliquid abruptum exspuatur, siquidem fidem haud denego *Benedicto, i*) qui internecinae tabis signa exponens, „post excretum, in„quit, pus coenosum, colorisque cinerei, quod aquae inje„ctum, facile ei quasi commiscetur, fundumque petit, pulmo„num pariterque vasculorum, nec non membranarum eorum „distrigmenta succussa deducuntur.

Denique simulacra ista membranarum, ab aegrota nostra ejecta, concrementis intra bronchia sinistri pulmonis ortis accenseo. Ea enim neque veras membranas, neque vomicarum exuvias fuisse arbitror. Equidem nolo inficias ire, fieri interdum posse, ut exigui folliculi pure pleni expectorentur, quales nempe observavit Celeberrimus *Klein k*), haud tamen crediderim, integras vomicas, magnitudine ovum columbinum aequantes, extussitas esse, quamvis in observatorum monumentis

g) Nov. Comment. Soc. Reg. Scient. Goetting. T. IV. p. 44. Commentar. de Rebus in Scientia nat. & Medicina gestis. Vol. XX. p. 611.

h) Observationes medicae. Libro. II. Cap. 14.

i) Theatrum Tabidorum. p. 123.

k) Interpres Clinicus. p. 232.

tis *l*) hujusmodi exempla passim occurrere videas. Est etiam in promtu, unde conjicere possis, exscreatas membranas, interdum ab observatoribus pro fragmentis internae tunicae asperae arteriae falso habitas fuisse. Certe Illustris van *Swieten m*) observationem aliquam *Galeni* huc referre nullus dubitat. Caeterum a veritate haud alienum videtur, purulenta aegrotae nostrae sputa, ex ulcere in Bronchiis sinistri pulmonis latente prodiisse. De asperae arteriae ulceribus *Aetius n*) & *Morgagnus o*) suis freti experimentis asserunt, quod haud prorsus respuant sanationem. Atque haec cum ita sint, utique cavendum est, ne persanata talia ulcera pro curata phthisi vendites, nec extussita annulorum tracheae fragmenta pro vero phthiseos signo habeas, neque putes, *Baglivii p*) aphorismum; pertinaci raucedine afflictos anno vix elapso tabe consumi, nihil exceptionis admittere.

Sed polyporum bronchiis inhaerentium ortus & causa saepe sanguis est, sub haemoptysi in aereos tubulos elapsus, ac inibi coagulando in solidas degenerans massulas. Fieri etiam potest, ut folliculi glanduloси, tunicae secundae asperae arteriae & bronchiorum basi sua infixi, a dilatatis vasculis adferentibus solito plus humoris acceperint, qui per oscula glandularum in cavitatem aereorum tubulorum expressus, non tantum vitiose spissari, & mora polyposus reddi, sed & ad formam fistularum, quibus tum inest, se componere potest. Exhalans vero ex arteriolis in cavum bronchiorum tenuissimus humor prohibere videtur, ne hisce tenacius adhaereant polyposa

l) Schenckii observationes medicae. T. I. L. II. p. 405. 406.

m) Commentaria in Boerhaavii aphorismos. T. IV. p. 30. 31.

n) Aetii Med. Tetrabibl. III. Serm. I Cap. 64.

o) De Sedibus & Causis morborum per Anatomen indagatis. T. II. Epist. XXII. artic. 27. p. 191. &c.

p) Praxis medica Libr. I. Cap. XIII. §. 6. p. 122.

posa concrementa, quapropter interdum sine magno molimine expectorantur.

Vaihinga Onoldum
missae d. 15. Septembris 1775.

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. IOANNIS JACOBI REICHARD

sistens

Animadversiones quasdam botanicas.

1. *Cornus sanguinea* Lin. utplurimum flores quatuor petalis totidemque staminibus instructos habet; sed ego etiam, non quidem saepe, flores quinque petala totidemque stamina gerentes vidi.

2. Ill. Jacquin (*Vind. p. 26.*) *Saginam procumbentem* Lin. floribus corollatis apetalisve ludere observavit, cui observationi & mea circa hanc plantulam, in nostris oris sponte crescentem, instituta omnino consentiunt observata.

3. In *Lysimachia nemorum* Lin. nova Florae nostratis cive, quam ad rivulos, radicem montis campestris irrigantes copiose legimus, flores interdum sex staminibus praeditos observo, tunc & ipsa corolla cum calyce in sex lacinias divisa conspicitur.

4. *Sphondylium foliis hirsutis pinnatis, pinnis quinquelobis* Hall. (*Flor. helv. ed. 2. n. 809.*) quod erit *Heracleum Sphondylium* Lin. in nostris pratis copiose crescit. Involucrum universale in hac planta modo deficit, modo ex unico, ad quinque usque foliola conflatum esse video.

Ad sex usque foliola perill. Hallerus *l. c.* numerat.

5. Sic etiam in *Caro Carvi* Lin. vel nullum reperio involucrum generale, vel tantum monophyllum; partiale autem nunquam non adest, & unico vel pluribus fit foliolis.

6. In

6. In *Tulipa ſylveſtri* LIN. florem, a natura ſua plane aberrantem & ſequenti modo comparatum, obſervavi. Erat autem planta Horti botanici Senkenbergiani, cujus curam gero, incola. Flos octo habebat petala; filamenta octo, quorum duo parte inferiori coalita erant, in ſuperiori vero in duos apices diviſa; antherae octo, apicibus filamentorum inſidentes; capſula 4-quetra, 4-locularis, 4-valvis; ſtigma 4-lobum.

7. *Chryſoſplenium alternifolium* LIN. raro certe florem terminalem quinquefidum & decandrum habere, olim dixeram (*Flor. Moeno-Francof. Part.* I. *n.* 270.). Hoc vero anno (1775) bene multa examinavi hujus plantae exempla, attamen, ſanctus atteſtor, nullum plane florem, calyce quinquefido ſtaminibusque decem praeditum, inveni.

8. *Chryſoſplenium oppoſitifolium* LIN. nova Floraenoſtratis civis eſt, & ad rivulos circa montem campeſtrem reperta. In hac quoque planta hactenus nondum deprehendi florem, calyce quinquefido & decem ſtaminibus inſtructum, licet bene multos operoſe inveſtigarim flores. Numerus ergo ſtaminum in genere Chryſoſplenii octonarius naturalis eſſe videtur. Quare etiam hoc ipſum genus ex ſua ſede, in qua hactenus ſtetit, removendum, & in octandriam digyniam recipiendum eſſe exiſtimem.

9. *Stellaria nemorum* LIN. quam iterum inter novas Florae patriae cives numerandam habemus, in montanis locis circa montem campeſtrem ſpontanea creſcit. Flores hujus plantae omnes decandri & trigyni conſtanter a me hactenus reperti ſunt. Quando itaque b. WILLICHIUS (*obſerv. bot.* 1762. n. LXIII.) Stellariae nemorum, Goettingae creſcenti quinque ſemper adſcribit tubas, non videtur *Stellariam nemorum* LIN. coram oculis habuiſſe, ſed *Ceraſtium aquaticum* LIN.

10. In *Ceraſtio* namque *aquatico* LIN. conſtanter decem ſtamina numeravi, aſt piſtillorum numerus variabilis eſt, ita ut ſaepius quidem quinque, ſed etiam quatuor & ſex & ſeptem adſint piſtilla, nunquam vero tria.

11. *Agrimoniam Eupatoriam* Lin. examinans, nihil staminum numero inconstantius esse deprehendo. Modo namque 6, modo 7, 8, ad 14 usque, imo 16. staminibus variat planta. Pistilla semper duo.

12. *Prunus spinosa* Lin. pedunculos interdum geminos, interdum bifloros habet. Calycem etiam 6-fidum cum sex petalis instructum observo. In uno eodemque flore duo germina haud saepe quidem reperi, quorum quodlibet suum gerebat pistillum, tunc & plura quam quinque petala, & calyx in plura quam quinque segmenta erat divisus.

13. *Sorbus aucuparia* Lin. raro certe tria, saepius quatuor & quinque, rarissime sex habet pistilla.

14. *Nigella arvensis* Lin. saepius quatuor, raro tribus variat pistillis.

15. *Crataegus Oxyacantha* Lin. saepius duo, sed etiam unicum vel tria habet pistilla. Quatuor perill. Hallerus (*Flor. Helv. ed.* 2. *n.* 1087.) vidit. Baccae in nostris stirpibus frequenter duo ossicula, altero latere plana, altero convexa includunt; sed reperi etiam baccas, unico subrotundo semine foetas; vidi alias, tria ossicula trilatera habentes, quorum duo latera plana, tertium erat convexum. Ossicula quoque quatuor Hallerus (*loc. cit.*) observavit. Numerus ergo seminum respondet pistillorum numero.

16. *Zinnia pauciflora* & *multiflora* Lin. magna junguntur adfinitate. Ad utramque a se invicem distinguendam illi flores sessiles, huic pedunculatos tribuit perill. *de Linné* (*Syst. Veget. ed. Murray. p.* 641.). Verum enim vero utramque stirpem flores pedunculatos gerere, me autopsia docet. In ipsa etiam icone *Zinniae pauciflorae*, quam Zinnius in *Cat. plant. Goetting.* exhibet, florem pedunculo suffultum videre est. In una aeque ac altera planta folia sessilia dici debent, ut res omnino non declaretur, si *perill. de Linné* (*l. c.*) *Zinniam multifloram* folia petiolata habere scribat. Neque flosculorum in radio obviorum color sufficit ad unam ab altera discriminandam, quum & *Z.*

mul-

multiflora floribus luteis in Horti botanici Senkenbergiani possessione sit. Neque tandem in ipso corollularum radiantium numero verum & constans inter utramque plantam discrimen ponendum est. Willichius (*Observ. bot.* 1762. *n.* CXXVIII.) jam memoriae tradidit, *Z. pauciflora* semper plures quam quinque, & ad decem usque habere radii flosculos; ego in floribus praecipue primariis ejusdem plantae undecim, etiam duodecim, imo quatuordecim & sedecim reperi flosculos. Eundem variantem flosculorum numerum in floribus *Zinniae multiflorae* etiam observabis, ut utramque secundum flosculorum radii numerum inter se distinguere velle, vanum sit. In eo autem utriusque plantae vera diversitas consistere mihi quidem videtur, quod *Zinniae multiflorae* caulis cum ramis sit pilosus seu hirtus, *Zinniae* autem *pauciflorae* villosus. Ergo, si quid judico, dicenda esset:

Zinnia (*pauciflora*) caule villoso,
Et Zinnia (*multiflora*) caule piloso.

Ceterum adnotare adhuc lubet, semina *Z. pauciflorae* vaporarii tepore ad germinandum opus habere, ea vero *Z. multiflorae* sub dio sata optime progerminare.

17. Rarae stirpis, *Hurae* scilicet *crepitantis* Lin. aliquot exemplaria possidet Hortus noster Botanicus. In caldario perpetuo habitant & nunc quotannis florent, nullum tamen adhuc perfectum produxere fructum; flos quippe femineus infelici ausu nimis praecox floret & ante masculi florescendi tempus jam emoritur, ut illius impraegnatio fieri nequeat. Stigma duodecim-fidum esse perhibet perill. *de Linné* (*Syst. Veget. ed. Murray. p.* 724.) quod olim decemfidum dixerat (*Gener. plant. ed. VI. p.* 504.) Ego in nostris stirpibus unicum vidi stigma in tredecim partes, & quatuor in undecim partes divisa. Stigma vero 10-sive 12fidum nondum animadverti.

18. Per quatuor jam annos in Horto botanico quandam *Lantanae* speciem colimus, quam pro *Lantana trifolia* Lin. habui. Aliter autem nunc sentire cogor, quum nostra plan-

ta cum ista *Lantana trifolia*, quam ill. MEDICUS in *Act. Acad. Palat. Vol. III. phys. pag.* 222. *seq.* bene describit, non in omnibus conveniat. Paucis itaque nostram sum descripturus, ut pateat, quibus signis ab hac distat. Semina cum nomine *Lantanae annuae* LIN. missa sunt. Sed annua non est; licet enim libero expositа aeri primo jam floreat anno, tamen, seminibus nondum maturis, hiemis injuria perit, in hybernaculo autem servata fruteſcit. *Caulis* lignosus, ramosus, setis hispidulis armatus, primo anno quadratus quatuorque sulcis notatus, in annosioribus subrotundus, pluribusque sulcis exsculptus. *Rami*, uti caulis, setis hispidi, primo etiam anno, si sunt folia opposita, quadrati, quatuorque sulcis notati; in annosioribus vero plantis, ubi folia vides ternata, rami ex pluribus quam quatuor angulis sulcisque componuntur. *Folia* serrata, ovato-oblonga, supra viridia, scabra, infra albido tenui mollique tomento obducta, omnino petiolata, substantia folii in petiolum paululum decurrente; primo anno opposita; in uno tamen alterove ramo terna, rarissime quaterna, sequentibus vero annis omnia sunt terna. *Flores* pedunculati, longe spicati, ex qualibet pene foliorum ala prodeunt, imo duos interdum pedunculos, spicam florum ferentes, ex unica ala prodeuntes video. *Pedunculi* florum ad tres uncias paris. plus minus longi, quadrati, patentes, subtomentosi. *Spica* oblonga, imbricata. *Corolla* hypocrateriformis, limbo quadrifido, laciniis integris, superiore inferiorique majoribus. *Color* corollae carneo-violaceus, fauce flava, albo annulo superne cincta. *Faux* vero respectu coloris omnino mutationi obnoxia est; primum namque flava est, dein fit alba, & tandem cum annulo suo in eundem pene, quem reliqua corolla habet, colorem mutatur. *Drupa* pisi minoris fere magnitudine, glaberrima, purpurascens.

In reliquis cum *Lantana trifolia*, ab ill. MEDICO *loc. cit.* descripta convenit, a qua autem praeprimis differt colore faucis flavo evanescente. Si vero colores florum vel mutabiles

vel

vel non mutabiles ad Lantanae ſpecies rite inter ſe diſtinguendas ſufficiant, noſtra ſtirps a Lantana trifolia erit diverſa. An vero ſit ea, quam *Lantanam annuam* dixit LINNAEUS, res difficilis dictu. In caldario ceterum quotannis floret & copioſos fert fructus.

19. *Teucrii Chamaepitydis* LIN. ſtigma ſimplex capitatum ſurſumque curvatum dicit clariſſ. SCOPOLIUS in *Flor. Carniol. tom.* I. *p.* 418. In plantis vero hic ſponte habitantibus idem ſtigma bifidum & ſubulatum video, illuſt. etiam SCHREBERUS (*Plant. verticill. unilab. p.* 19.) ſemper bifidum obſervatum habet.

20. *Hypericum Kalmianum* LIN. tria tantum piſtilla habere obſervo; id quod jam ante me clar. *du* ROI (*Harbkeſche wilde Baumzucht tom. I. p.* 310.) adnotaſſe reperio.

Francofurto ad Moenum Onoldum
miſſa die 28. *Octobris* 1776.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. MELCHIORIS ADAMI WEIKARD

De

Morbo nervoſo-putrido.

Mulier annorum forte quadraginta, plurium liberorum mater, macilenta, ut eam ad hecticam proclivem dixiſſes, cholerica, menſtruorum profluviis obnoxia, nimiis animi curis ac taediis vexata, ab annis tribus vel quatuor aliquando arſenicum loco nitri acceperat, ſervata poſt id, ut audii, lacte & oleoſis.

Symptomatibus ab aliquot annis, variis, ut in hyſtericis ſolitum eſt, dire urgebatur. Medicis ac medicaminibus variis vane plerumque confidebat. Verſus dextrum thoracis latus

latus a paucis annis dolorem ac ardorem quendam ſenſit, qui menſtrui fluxus tempore minor fuit.

Nonnunquam elixirium acidum, atque martialia non absque omni fructu adhibui. Atque poſtea dolorem illum ac ardorem ſubinde devolvi ac locum mutare adverti, demum illum potius circa inteſtina ac praecipue circa coecum & colum oriri perſuaſus ſum. Praeterea ab anno dolore ac ardore oculorum laboravit.

Tandem aeſtate anni 1775. calore aeris ſummo ex febre iſta, quam nervoſam putridam dixi, dire procubuit. Die nempe Iunii quarto febre correpta fuit, ſequenti mane chirurgus ſalis Sedlizenſis unciam porrexit, quae valide evacuabat ita, ut ſexto Iunii die valde debilis ac nonnunquam quaſi ſyncoptica eſſet, diarrhoea continuante. Dolor pectoris cum tuſſicula febrem comitabatur.

Sexto Iunii a prandio ſinapismus ad locum doloris appoſitus fuit. Alvus die ac nocte fluxit largiter. Ea propter gummi arabicum aqua vel lacte ſolutum omni bihorio dabatur.

Septimo Iunii ad aegram vocatus fui. Pulſus erat celer, duriuſculus ad centum fere pulſationes intra minutum aſcendens. Reſpiratio tum erat ſat libera, tuſſicula adfuit absque expectoratione, licet pituita, quam ejicere haud poterat, in pectore haerere videretur. Urina erat turbida, pridie flammea, lingua alba. De doloribus artuum inferiorum querebatur, qui admoto ſinapismo nonnihil levati ſunt. Bibebat tum decoctum ſpecierum pectoralium, cui quandoque, ſi ſaeviret calor, nonnihil nitri antimoniati admiſcebatur.

Octavo demum fluebat alvus. A meridie ad levandum ſputum aliqua cochlearia mixturae ex ſtibio diaphoretico non bluto, oxymel. ſcillitco. nitr. depur. ſumpſit.

Nono potum ex aqua cum ſyrupo & ſpiritu acido minerali praebui. Inde fluxus alvi ſiſtebatur. Parum poſthaec fluxus menſtrui prodiit.

De-

Decimo mane aegram vidi. Demum de dolore in dextro thoracis latere querebatur. Applicato unguento ex ſpir. C. C. Unc. j. olei olivar. Unc. ij. de nocte deſiit dolor. Menſium ultra fluxus nullus erat.

Undecimo Iunii die mane aegram miſerrime decumbentem vidi. Nocte delira fuit ac anxia. Lingua ſicca, & labia quaſi combuſta erant. Pulſus tertio vel quarto ictu intermittebat, lentus caeterum, impeditus ac duriusculus. Pectus oppreſſum fuit. Nonnihil menſtrui ſanguinis prodierat. Sitis aderat non tamen nimia. Siccitas in faucibus ac pituitae tenacitas advertebatur. Binos tum duntaxat pulveres exhibui, omni bihorio unum. R. Lap. cancr. ppt. ſcrup. j. nitr. perlati gr. xij. kerm. min. gr. j. Superbibebat infuſum florum ſambuci cum nitro antimoniato. Tuſſis inde movebatur, non pituita.

Caeterum ſudor videbatur viſcidus, naſus acutus, extrema nonnunquam frigida, ita, ut omnes actum eſſe de mulieris vita exiſtimarent.

A prandio quandoque aliquid ſacchari moſchati lingebat. Eximium autem robur a liquore anodyno hauſiſſe ſe ajebat.

Ardorem circa interiora abdominis ſenſit. Hinc ſerum lactis ſuaſeram. R. lact. ℔iß. aq. ℔ß. coq. adde vin. Unc. ij. ſucc. citr. Unc. j. f. ſerum.

Nocte verſus duodecimam copioſa alvus aegra inſcia effluxerat, donec ſe undique ſordidam ſentiret. Ardor internus poſthaec deſierat.

Decimo tertio ſumme debilis ac nonnunquam delira fuit. Pulſus celer erat at aequalior, mitis diarrhoea ingruebat. Hoc & ſequenti die decoctum ex cortice peruviano & radice ſerpentariae adhibuit, quod levem ſudorem expulerat.

Decimo quarto diarrhoea aberat. Plerumque dormiebat. A prandio ad aegram veneram. Vidi eam debilem. Pulſus minus celer erat ac pridie. Lingua mane ſicca, aliquoties abluebatur, nuncque rubra fuit non ſicca. Dolor in latere perſtitit. Decoctum album cum pauco vini dedi continuando

moſchum & liquorem anodynum. Aquam cum lacte demum appetiit & accepit. Verſus noctem cataplasma, dein emplaſtrum de meliloto ad latus appoſuit.

Decimo quinto vehementiſſima tuſſis cum dolore lateris inſigni, inſomnem vexavit aegram. Crepitus ac motus mirus, teſtante marito & ancilla, de nocte in thoracis latere advertebatur. Expectoratio nulla. Pulſus mollis, debilis, octoginta & aliquot ictus intra minutum praebens. Suaſeram decoctum album cum vino, aquam mineralem martialem cum vino, continuando medicamina atque praeterea quandoque cochlear mixturae ſequentis : R. ſpir. C. C. eſſent. caſtor. āā gtt. XX. aq. fl. til. Unc. IV. ſyrup. violar. drach. vj. Ad latus dolens epiſpaſticum, demum veſicans apponebatur.

A prandio inviſebatur. Alvum depoſuerat. Cutis leniter madida ac vultus minus triſtis fuit. Parum ſputi aliquoties ejecit. Dolores evanuerant, atque menſium ſtillicidium patulum erat. Notandum hic, quod ſemper ante menſium eruptionem major verſus thoracis latus dolor, ardor ac motus adfuerint. Ad ſputum incidendum dabam corticis peruviani ſcrupulum lacte coctum, verum quinquies inde per noctem movebatur alvus.

Decimo ſexto meridie inviſebatur aegra. Summus erat hoc morbi tempore ſolis ardor. Corticem jam aqua coctum voluit, ter inde depoſuit alvum. Facies & animus hilariores erant cum madore cutis magis notabili. Fluxus menſium jam poſt octo dies altera vice rediens demum absque cauſa praegreſſa ſe ſubduxit. Dolor ac pulſatio in thoracis latere, quaſi in baſi mammae ſiniſtrae pergebant. Tuſſis erat mitior, ſed eadem pectoris oppreſſio.

Remedia fuere fere eadem ac pridie, quippe moſchus, liquor anodynus, mixtura excitans ut ſupra. E veſica a cantharidibus elevata nunc aperta magna effluxit ſeri copia.

Decimo ſeptimo ter de nocte alvum depoſuerat, & bis adhuc mane ad meridiem. Facies fere eadem, pulſus paulo altior,

altior, animus nonnihil serenior, cum magna tamen semper ad somnum proclivitate. Respirabat optime. Valide non raro tussiebat cum dolore. Dolor per duos dies juste pulsans post seri e vesica effluxum ablatus fuit. Corticis demum peruviani pulverem sumpsit, qui bis iterum alvum solvit. Pro cibo dabantur cerasa, ac decoctum album pro potu.

Decimo octavo tussis fuerat valde vehemens cum lateris dolore. Parum jusculi comedebat. Pulsus erat mollis, ordinatus; virium defectus adhuc erat notabilis. Dabam bis de die elixirium vitrioli Mynsi. atque vinum cum aqua minerali. Pro nocte sequente suasi grana septem massae pilularis de styrace, si tussis rursus ingrueret.

Decimo nono infestante de nocte tussi pilulas easdem sumpserat, atque bene inde dormiebat. Mane ut pridie lassa fuit, debilis, lingua mollis, sani coloris, pallido rubri. Arteria 70. vel 75. intra minutum micabat. Dabatur porro elixirium vitrioli.

Vigesimo mane dabatur pulvis ex radicis rhei, tartari tartarisati, ac flavedinis corticum aurantiorum āā scrup. j. Octies inde alvus fluida graveolens. Pulsus undecimo jam intermisit ictu ob stimulum a purgante vel materie corrupta mota, ut puto, intestinis illatum, ut arteriarum cum intestinis cerneres sympathiam. Tussis die sequente minus vehemens cum exigua expectoratione, facies vividior, viribus licet languentibus. Sexaginta guttae elixirii calorem concitare videbantur, hinc nunc triginta duntaxat porrigebantur. Perspiratio aegrae valde conspicua fuit virtute forsan aeris atmosphaerae calidi. Remedia erant elixirium vitrioli, liquor anodynus, serum lactis vinosum. Urinam vidi turbidam, cerevisiae non absimilem, cum sedimento tartareo vatis lateribus apposito.

Levamen insigne ab alvi evacuatione sensit. Pulsus ordinatus. Dolorem in latere dextro semper praesentem habuit & tussis inde causam derivabat aegra. Videtur mihi, ajebat, corpus quoddam grave ovi forte magnitudinem habens, a

costa quarta vel quinta superiori deorsum ad hypochondrium viam legere.

Post purgans sumptum alvus claudebatur. Clysma inde vigesimo tertio suaseram, quod omiserant incurii. Etenim hoc morbi tempore milliari dimidio ab aegra abfui, hinc nec quotidie, nec diu videre eam potui, relinquens caetera Medicinae Candidato caeterum satis accurato. Pridie suasu chirurgi ad latus dolens vesicam lacte repletam appositi, unde levamen jactabat, ea nunc vesperi rursus applicata horror totum corpus leviter concutiebat. Per diem decoctum cichoraceum potavit.

Vigesimo quinto frigus ac horror advolant, calore modico ac leni cutis madore sequentibus. Mane maculae in cute miliares mixtae conspiciebantur. Languebant vires. Pulsus erat parvus, frequens, contractus, urina colorata absque sedimento. Alvus ter aperiebatur sero lactis vinoso; dein mixtura ex cortice peruviano, radice serpentariae & caeteris parabatur.

Vigesimo sexto eadem symptomata cum urina urente. Sedes quatuor sero lactis vinoso ac decocto cichoraceo cum tartaro tartarisato provocabantur. Oscitabat frequenter. Pulsus in latere dolente dextro plenior erat ac naturalis, magis contractus ac parvus in latere sinistro, minuta interim ejus frequentia. Somnus erat tranquillior. Die sequente demum somnus erat reficiens, alvus ter aperta. Levis, qui insurgebat horror, guttis quibusdam liquoris anodyni compescebatur. Eximia erat liquoris anodyni ac moschi in erigendis viribus efficacia.

Vigesimo octavo, aura flante boreali, per noctem frigus quoddam sustinuit, alvo per sexdecim horas clausa, hinc vigesimo nono virium languor, dolor in latere pulsans ac notabilior, tussis vehemens, ac demum frigoris sensatio ad diem sequentem. Materiem tenacem, fibrosam aliquoties diebus sequentibus tussiendo extorsit. Alvum per triginta horas neglexerant, hinc trigesimo secundo rheo ac sale aperienda fuit. Dabantur subinde roborantia, ac aliquando ad levandum sputum, quod

quod nunc succesſit felicius, kermes mineralis ac oxymel scilliticum. Exanthemata exsiccabantur. Redibant sensim vires, licet irritabilis valde ac spasmis expoſita esſet.

Tandem varia dyspepta ingerens, vel aliud forte committens vitium, per octo dies diarrhoeam ad animi deliquium usque, non absque torminibus, perpessa est. Convaluit rursus post evacuantia ac deinde roborantia, anodyna & reliqua.

Postea aquam mineralem martialem cum lacte suaseram, meliore fere ac antea fruebatur valetudine, ardore interim oculorum ac dolore nonnunquam ac pressione circa hypochondrium dextrum, dudum assuetis, mitioribus tamen ac alias, denuo revertentibus.

Vir nervorum sensilium, biliosus, ab aliquot annis curis, egestate, vitae taediis ac variis sortis malignae iniquitatibus immaniter affligebatur. Dire nunc in vicinia nostra eo fere, quem modo descripsi, morbo procubuit. Recuperata vix sanitate, tempestate immiti, ad nos pergit, atque mox hic spe melioris sortis frustrata, atque egestate premente in eundem misere mórbum delabitur. Initio recidivae hujus lene emeticum ac postea cremorem tartari a chirurgo acceperat. Post tres vel quatuor dies visitavi aegrum ac obstupui, dum miserrime procumbentem viderem. Nimia adfuit pectoris oppressio, cum tussi quandoque ac dolore: vox vacillabat, ita, ut vix conjicere possem, quid loqueretur: pulsus erat irregularis, pessimus: anxie petebat opem. Illico dabam liquorem anodynum, demum pulveres cum camphora, postea corticem peruvianum, serpentariae radicem, &c. Epispastica apponebantur ad suras pedum, & supra pectus vesicans, quod autem de nocte dejecerat, ita, ut exigua duntaxat vesica elevata esset. Post aliquot horas vocem ac vires meliores jam observaveram. Nihil autem aeque conduxit, ac vinum, quod sequentibus diebus procuravi, ac liquor anodynus, quem avide saepius appetebat. Mite saepius adfuit delirium, moerorem ejus prodens ac animi sollicitudinem, atque fugata adhuc febre cessa-

vit. Ad tempus adhuc protrahebatur morbus ac aliquoties rheum cum sale medio dabatur, dum Febris denuo insurgere videbatur. Vigente morbo quotidie febris exacerbabatur auctis tum omnibus, quae narravi symptomatibus. Dicam brevibus: liquore anodyno, vino, ac reliquis roborantibus, non neglecta alvi ductione, servabatur aeger, quem moribundum omnes crederent. Surditas a morbo reliqua binis ambrae granis gossypio exceptis ac cuivis auri immissis tollebatur. Elixirio vitrioli Mynsichti, vino ac diaeta vires cum cibi appetentia recuperatae sunt.

De alio jam narravi fabro automatario, in observationibus medicis pag. 69. qui meditatione, calamitate ac mulieris petulantia exhaustus simili morbo laborans, aeque morti proximus videbatur. Ad menses ferè protrahebatur morbus initio quotidie fere exacerbatus, tandem magis intermittentis genio propinquus. Symptomata erant ingens pectoris oppressio cum tussi, ac dolore quodam, ceu pondus in pectore, tremor, debilitas nimia, stupor, abdominis tensio, delirium non continuum, caloris sensus mox major, mox minor, colli aliquando dolor, linguae saepius siccitas, ac sitis, pulsus contractus, parvus inaequalis, visus obscuritas, tendinum subsultus, demum miliaria & reliqua pessima. Quoties ibi alvum ciere necesse fuit! Praecipuum rursus a liquore anodyno, moscho, vino, acidis, emolumentum fuit. Surditas relicta quoque ambra in aures immissa, ac pedum tumor in utroque viro aegro frictione, ligatura, vel sale ac cineribus tostis tollebatur. Inceperat morbus diarrhoea, & Medicus quidam morbi ignarus, nescio quae a fluxu alvi mala timens, incrassantia, adstringentia & exterius supra ventriculi regionem theriacam ac alia pessima adhibuerat: inde posthaec nimia ad putridi generationem propensio, virium nimia prostratio, febris pertinacia ac miliarium generatio.

Ejus-

Ejusdem fere generis, sed quandoque magis chronicus, seu intermittens morbus erat, quem in observationibus medicis a pag. 57. ad 70. descripseram.

Corollarium. Ergo inter praecipua febris nervosae symptomata enumero pectoris oppressionem cum dolore saepius ac tussi quadam spasmodica, praeterea virium languorem, tremorem, pulsum parvum, spasmos &c. Delirium non ferox est, mite plerumque, quandoque anxium, animi curas saepius tradens ac negotia, oculis non rubentibus ac torvis, nec voce audace celeri. Facies saepius tristis est ac collapsa. Caeterum febris ista fere semper invadit otiosos, quorum vis nervea studiis, moerore, venere ac curis exhausta est, hypochondriacos, hystericas &c. Hinc notus dudum morbus fuit Anglis ad hypochondriacum malum ac caeteros nervorum morbos magis proclivibus, ac in nostra jam Germania aeque ac reliquae nervorum affectiones, pro moderno vivendi more, observatur frequentior.

Materiam simul corruptam seu putridam in intestinis conjunctam esse, a linguae sorditie, a nausea, ab abdominis tensione, flatulentia, borborygmis, alvi mollitie ac suppressione, atque a fecum praecipue graveolentia desumitur, atque inde evacuantium iteratorum indicatur necessitas. Vim nervorum posthaec optime erigunt vinum, liquor anodynus Hoffmanni, cortex peruvianus, moschus &c.

Vera inflammationis signa raro aderant, nec quivis dolor aut pulsatio eam adesse probat. Hinc forte apud plerosque vel omnes caute a venaesectione abstinendum erit. Observavi linguae siccitatem ac sitim in hisce morbis a spasmodica vasorum exhalantium contractione oriri, ut in morbis aliis convulsivis consuetum est. Hinc nec siccitas illa caloris semper ac inflammationis indicium. Saepissime guttis paucis anodynis linguam in his aegris illico madidam reddere potui.

Inte-

Interim non reticendum erit, quod urgente calore acida mineralia, & vegetabilia, nec non alia remedia refrigerantia cum fructu adhibuerim.

Fulda Onoldum
missa die 6. Novemb. 1775.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. GVILIELMI BERNHARDI TROMMSDORFF

De

Vomica rupta & sanata.

Homo quidam agrestis triginta, & quod excurrit, annorum, peripneumonia, quam pseudo-medicus curare conatus erat, explicatus, alio implicatus malo, de difficillima respiratione, tussi sicca, virium defectu corporisque contabescentia querebatur. Omnibus itaque, ut vulgo fit, medicastri medicamentis frustra adhibitis, tandem tantorum malorum copia circumfusus me quidem adiit auxiliumque petiit. Quem quum visitassem, non solum omnia, quemadmodum supra memoravi, deprehendi symptomata, verum etiam, quod dignum miratu erat, vocem hujus miseri antea sat fortem atque gravem, nunc admodum debilem atque canoram inveni. Pulsus erat celer & debilis, appetitus quidem bonus, sed semper pejor post pastum sese habebat. Ex morbo praegresso & symptomatibus praesentibus, facile vomicam in pulmonibus latere conjectura adsequi poteram. In angusto itaque hic infelix versabatur, adeo, ut vel suffocatione vel phthisi illum periturum eo magis judicaverim, quo minus pus inclusum per aperturam arte factam ob profunditatem educi hoc in casu poterat. Interim ad hecticam febrem tussimque siccam minuendam & respirationem faciliorem reddendam exhibui sequentia medicamenta: 1) Sacha-

charum lactis & cort. peruv. ter vel quater in die ad ʒß de quolibet, in ſero lactis ſumi juſſi. 2) Infuſum theaeforme, quoniam aeger tale expreſſe poſtulabat, in uſum vocavi ex herb. marrub. alb. cederach, veronic. ſcabios. tuſſilag. flor. arnic. rad. liquirit. & ſem. foenic. ää ʒij M. D. S. *alle Morgen und Nachmittag wie Thee zu brauchen.* Infuſo ſimul oxymel ſquilliticum loco ſacchari miſcui. Quae medicamenta levamen quidem, ſed nullum auxilium praeſtabant, ſiquidem corpus in dies magis magisque in maciem abiit. Tandem impatiens aeger, putans majus dimenſum medicamentum plus minore efficere, (pro more iſtiusmodi hominum, qui ſemper in quantitate medicamenti majorem ſpem ponunt, quam in qualitate, dictitantes: *viel hilft viel*) loco cochlearis unius fere dimidiam ſpecierum ad infuſum deſtinatarum partem ſumit, neque aquam ferventem ſuper illud fundit, ſed aqua calida probe discoxit, & ex feliciſſimo errore ingentem copiam hauſit. Quo facto brevi poſt horrendas anxietates & cardialgias cum conatu vomendi ſentit, adeo, ut adſtantes de recuperanda ſalute ejus deſperarent: tandem ſub graviſſimo dictorum ſymptomatum impetu, repente oriebatur vomitus cum fragore quodam ſatis forti in pulmone, magna copia ſanguinis atri & puris ex ore explodebatur, adeo, ut aegrum fere ſuffocaret; ſed vires naturae obtinuerunt; ſiquidem in adſtantium maximam admirationem & ſui gaudium repente libere & profunde ſpiritum trahere poterat. Quantitas puris excreti Menſ. j. uti mihi relatum eſt, ſuperavit. Quo facto tuſſis, quae antea erat ſicca, nunc cum excreatione materiae purulentae fuit conjuncta, reſpiratio manſit libera & facilis, ſub continuato uſu ſeri & ſacchari lactis cum cortice peruviano & decocto ex lichene islandico parato, inprimis vero myrrha, quam quotidie ad ʒj-ij maſticare, ſalivam deglutire, reſinoſum vero exſpuere debuit, febris lenta & tuſſis ſenſim ceſſarunt, ſic, ut aeger iſte morti antea proximus ad integram atque vegetam ſanitatem fuerit redactus, praeterquam quod vocem exilem atque canoram retinuerit.

Erfurto Onoldum miſſa d. 29. Decembris 1775.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. IOANNIS BAPTISTAE LVDOVICI DE ROME DE LISLE

De

Antiquorum Alabaſtrite & variis quibusdam lapidibus quos Recentiores Alabaſtri nomine appellaverunt Disquiſitiones Hiſtorico-Phyſico-Criticae.

Alabaſtrum vulgo dicitur lapis albiſſimus 1), polituram admittens, marmorique duritie cedens: ſed quid is ſit, & quo apud antiquos nomine innotuerit, hic ſedula inveſtigatione examinandum mihi propono.

E mox citatis auctoribus liquet, graecam vocem τὸ ἀλαβάστρον (unde latinorum *Alabaſtrum*) a ſcriptoribus antiquis pro peculiaris cujusdam lapidis nomine uſurpatam non fuiſſe 2), verum per hanc intellexiſſe veteres, determinatae cujusdam formae vaſa, e qualibet materia confecta, & illa potiſſimum, ubi balſama aliaque pretioſiſſima unguenta reponebantur. 3)

Ex vaſorum illorum nomine lapis qui ad ipſorum fabricam inſerviebat *Alabaſtrites* fuit dictus 4). Porro inter plurimas lapi-

1) „Ab Alabaſtro gypſeo, inquit Clariſſimus *Daubentonius*, procul dubio deprom„pta eſt vulgaris illa ſententia: *Alabaſtro Candidior*; nullum enim alabaſtrum „calcarium abſolute candidum noſco. Forſan etiam haec ſententia tum primum „invaluit, cum *Alabaſtri* nomine marmora candidiora vulgo vocitata fuere.„ Act. Acad. ſc. Pariſ. an. 1754.

2) *Herodianus*, qui ſub Alexandro Severo hiſtoriam graece conſcripſit, hanc vocem ἀλαβάστρον pro *Alabaſtrite* primus uſurpavit.

3) *Alabaſtrum, vas terſum & ſine anſa pharmacopolarum ubi unguenta & pharmaca reponuntur.* Suid. Lexic. ἀλαβάστρον, *alabaſter, vaſis unguentarii genus, longitudine faſtigiata, in pleniorem orbem deſinens, vel forma turbinata ſine anſulis.* Scap. Lex. vide *Plutarch.* in Alexandro & Matth. cap. 26.

4) *Alabaſtrites lapis, marmoris genus ita dicti, quod ex eo* Alabaſtra *conficerentur. Dioſcor.* lib. 5. *Alabaſtrites marmoris genus dicti* Onyx, *interſtinctus variis coloribus, ex quo vaſa unguentaria, Italis Alabaſtro. Laur.* amalth. onomaſt.

lapidis Alabaſtritis varietates a *Plinio* recenſitas, eminet illa Graecis dicta ὄνυξ, Latinis *Marmor onychites*, videlicet propter diverſorum colorum venas, quibus achatem onychem refert.

Nunc hujus Alabaſtritis naturam determinare, & quae ſint illius cum variis lapidibus Alabaſtri nomine inſignitis ſimilitudines ac differentiae enarrare operae pretium eſt.

Boetius de *Boot* recte obſervat, *Alabaſtritem* ſeu *Alabaſtrum veterum* olim inter marmoris ſpecies fuiſſe relatum, & ab illis ſi non colore, ſaltem duritie diſtingui poſſe: „mollior „enim eſt, inquit, ac ita, ut vaſcula ad unguenta ſervanda in„de fieri poſſint, unde nomen obtinuit. Si tam mollis ſit, ut „cultro ſcindi poſſit, etſi vulgo *Alabaſtri* nomine appelletur „(quod nomen omnibus fere linguis ſervat), tamen Gypſi po„tius ſpecies eſt 5).

Huc usque recte *Boetius*, ſed hallucinatur, cum ſoli duritiei intentus, Alabaſtrum gypſeum ut imperfectum alabaſtritem, ipſumque Alabaſtritem ut incoctum & imperfectum Marmor intuetur 6). Quamvis enim Alabaſtrites calcarii lapidis indolem prae ſe ferat, ſicut & Marmor, non ideo ſimilis & eadem origo cuique, & cum Alabaſtrum gypſeum Gypſum, Alabaſtrites vero calcem uſtulatione ſuppeditent 7): hos lapides majori adhuc inter ſe diſtare intervallo, quam Alabaſtrites & Marmor, facile quisque conjiciet.

At quantum inter ſe diſtent Alabaſtrum gypſeum & Alabaſtrites, hodie apprime callent rerum naturalium periti; hunc enim

5) *Boet. de Boot* de lapid. & gemm. Lib. II. cap. 263. p. 490. edit. Lugd. Batav. 1647. in 8.

6) *Videtur, dum ita molle eſt Alabaſtrum, incoctus eſſe Alabaſtrites, & ille incoctum & imperfectum marmor.* ibid.

7) *Idem exuſtus emplaſtris convenit*, inquit Plinius hiſt. nat. Lib. 36. c. 8. *Lapis Alabaſtrites, vocatus onyx, exuſtus & reſina aut pice exceptus, duritias diſcutit.* Dioſcorid. lib. 5. c. 153. quae proprietates calci probe conveniunt non gypſo.

enim inter calcarios, illud inter gypseos lapides reponunt: sed nescio quo fato acciderit ut recentiores omnes, paucis exceptis, auctores, ea quae *Theophrastus* & *Plinius* de Alabastrite vel Alabastro calcario praedicaverant, ad Alabastrum gypseum transtulerint.

Ni fallor, hujusce communis erroris principium non aliunde provenit, nisi quod vox ista *Alabastrum*, per quam peculiaris cujusdam formae vasculum veteres designabant, postea ad Alabastrum gypseum a neotericis translata, sensim sensimque mos invaluit gypseum alabastrum cum lapide alabastrite, qui minime gypseus, confundendi.

Nunc vero, ut taceam lapidis Alabastritis absolutissimam cum Alabastro calcario nostro similitudinem, solus vasorum praedictorum usus lucide demonstrat, eorum materiem nequaquam fuisse gypseam: talis enim lapis, nedum ad liquores eximii pretii rite servandos inservire potuerit, ut testatur *Plinius* 8), eos vel lente imbibisset, vel per laxae substantiae aut etiam a liquoribus ipsis solutae poros facilem exitum praebuisset 9); & revera gypseum lapidem quamvis non ab acidis, tamen ab aqua sola solubilem esse compertum est.

Theophrastus & *Plinius*, quibus haec gypsea substantia ejusque proprietates erant notissimae, non ajunt, Alabastritem lapidem ad gypsum conficiendum idoneum fuisse, sed ad hunc usum coqui lapidem *Alabastritae similem aut marmoroso* 10). Non ergo marmor onychites vel Alabastrites ad id quaerebatur, ut quidam ex *Theophrasti Plinii*que verbis male collegerant 11),

8) *Hunc aliqui lapidem Alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur.* Plin. hist. Lib. 36. cap. 8. edit. Harduini Paris. 1723. in fol. vol. II. p. 734.

9) *Cum Alabastrites imposita unguenta vel humorem in se non trahat, Alabastrum vero plane in se sorbeat, ut interdum per corpus ipsius transsudet.* Boet. de Boot. Loc. supra citat. pag. 492.

10) *Qui coquitur lapis non dissimilis Alabastritae esse debet aut marmoroso.* Plin. hist. nat. Lib. 36. cap. 24. & Theophrast. de Lapidib. §. 112.

11); nam cum lapis quivis alii ſimilis dicitur, id non ad amborum habitum internum, ſed ad externum tantum valet, quod reipſa verum eſt ex Alabaſtris quibusdam gypſeis cum Alabaſtro calcario collatis 12).

Georgius Agricola & deinde *Boetius* antiquorum Alabaſtritem ab alabaſtro recentiorum ſeu gypſeo ſola duritie cum diſtinxiſſent, Cl. *Wallerius* in eundem errorem lapſus, lapides omnes Alabaſtri nomine notos ſub genere gypſi repoſuit. Tres itaque profert in Mineralogia ſua mollioris gypſi varietates, nempe ſequentes: *Alabaſtrum candicans*, *Alabaſtrum candicans maculis nigris*, & *Alabaſtrum rufeſcens* vel *Onychites*; quibus Alabaſtri mollioris varietatibus, quartam addit *Alabaſtri durioris opaci* nomine: huic *Marmor Alabaſtrites Agricolae*, imo vero *Plinii*, pro ſynonymo datur, ſubadditque *Wallerius*, praedictum Alabaſtrum caeteris Alabaſtri ſpeciebus eſſe durum magis & magis compactum, ſed prorſus opacum. „Hoc excepto, „inquit, praecedentium omnes habet proprietates 13).„ En itaque Alabaſtritem *Plinii*, *Agricolae*, *Caeſalpini*, *Boetii* & aliorum, ſub *Alabaſtri* denominatione generica, inter ſpecies alabaſtri gypſei relatum; nec ulla quidem in reliquo *Wallerii* opere de Alabaſtro calcario facta mentio eſt, Alabaſtritis enim ſpecies, quas Plinius *Lychnitem*, *Phengitem*, & *Lygdinum Marmor* appellat 14), in iſta Mineralogia tanquam marmoris albi ſemipellucidae quaedam varietates proponuntur 15).

Cele-

11) Vide *I. Hill* Commentar. in *Theophr.* lib. de lapid. ad §. 110. 111. & 112.

12) Hanc ſimilitudinem externam agnovit *Caeſalpinus*, ubi agit de Alabaſtro gypſeo in Etruria circum Volaterram reperto. *Hodie*, inquit, *fodiuntur gypſi lapides in Italiae multis locis .... ſed lapis Alabaſtritae ſimilis foditur in agro Volaterrano, pulcherrimus aſpectu, ex quo conficiunt ad tornum vaſcula & varia imagines, Alabaſtrum vocant ... , ex ejus raſura ac caeteris fragmentis modic igne conficiunt gypſum. Caeſalp.* de metall. lib. 2. cap. 8.

13) *Waller.* min. ſpec. 47. var. 1. 2. 3. 4.

14) *Plin.* hiſt. nat. Lib. 36. cap. 5. 8. 22.

15) *Wall.* min. ſpec. 44. var. 1.

Celeberrimus autem *Linnaeus*, in prioribus ſui Syſtematis naturae editionibus, *Alabaſtrum* ad ordinem lapidis calcarii ſub genere Marmoris eo duntaxat revocaverat, quod & gypſum ibidem collocaverat: alteroque *Marmor fugax opacum*, altero *Marmor fugax ſubdiaphanum* cognominato 16), credibile eſt quod Alabaſtrum a Gypſo minori vel majori opacitate clarus hic auctor tunc ſolum diſtinxerit; at in poſterioribus ejusdem operis editionibus, ubi Marmor & Gypſum unumquodque diſtinctum genus conſtituunt, Alabaſtrum in genere Gypſi repoſuit, tanquam natum ex aqua thermali more ſtalactitae, ſubjungitque illud pro copia acidi efferveſcere interdum, ſaepius vero non 17).

Porro doctiores Nomenclatores, clariores Lithographi, artis chymicae peritiores Magiſtri, e Suecia, Germania, Britannia, omnes una eademque voce hac in re conſentire videntur; nam praeter quos modo recenſui, *Scheuchzerus* 18), *Wolfartus* 19), *Woodwardus* 20), *Ritterus* 21), *Hebenſtreitius* 22), *Woltersdorffius* 23), *Pott* 24), *Cartheuſerus* 25), *Cronſtedtus* 26), *Voge-*

16) Syſt. nat. edit. Pariſ. an. 1744. p. 7. *Marmor fixum particulis difformibus* (la pierre a plâtre) *marmor fixum particulis arenaceis micantibus* (l'albâtre) Ejusd. ſyſt. nat. edit. Lugd. Batav. 1756. p. 156. ſpec. 9. & 11.

17) Ejusd. ſyſt. nat. edit XII. Holm. 1768. tom. 3. p. 45. & 46. *Gypſum Alabaſtrum particulis impalpabilibus diaphanum.*

18) Itin. alpin. Tig. 1702. in 4. & ejusd. Meteorol. & Oryctogr. Helvet. Tig. 1718 in 4.

19) Hiſt. nat. Haſſ. inferioris. Caſſ. 1718. in fol.

20) Foſſ. of all kinds digeſt. Lond. 1728. in 8.

21) De Alabaſtris Hohnſteinenſibus & Schwartzburgicis. Helmſt. 1731. & 1732. in 4.

22) Comment. in Muſ. Richterian. Lipſ. 1743. in fol.

23) Syſt. mineral. Berol. 1748. in 4. obl.

24) Lithogeogn. Berol. 1751. in 4.

25) Elem. miner. Francof. 1755. in 8.

26) Miner. Stock. 1758. in 8.

Vogelius 27), *Baumerus* 28), noviſſimeque *Scopoli* 29), lapidem gypſeum *Alabaſtri* nomine ſalutant & de Alabaſtro calcario ne verbum ſonant; huic autem antiquum *Alabaſtritis* nomen reſervare ſaltem debuiſſent, ſi quidem & gypſeo lapidi *Alabaſtri* denominationem conferre voluerunt; iſta vero *Alabaſtritis* denominatio apud *Cronſtedtum* reperitur 30), ſed Gypſo fibroſo annexa, nam Alabaſtri nomen *terrae gypſeae, induratae, ſolidae particulis impalpabilibus* ibidem tribuitur 31).

Attamen recentiores aliquot ſcriptores *Alabaſtri* titulum contulerunt calcariae cuidam ſtalactitae, quae coloribus, ſinuoſis venis & duritie antiquorum Alabaſtritem ad amuſſim refert. Inter hujusce ſententiae primarios eminent *Aldrovandus* & *Imperatus*, ambo ex Italia oriundi, ambo inter antiquitatis rudera poſiti, illoque feliciori ſitu, ad Alabaſtrum antiquorum verum agnoſcendum proximiores, quam ſeptentrionalium regionum Naturae periti. Specimen a priore prolatum ſub his verbis: *Alabaſtrites maculis fluvium imitans* 32), Alabaſtrum calcarium omnino demonſtrat. *Imperatus* autem non modo *Alabaſtrina Marmora* proponit 33), quaſi Alabaſtrum inter & marmor media, ſed etiam deſcriptionem *Alabaſtri*, ut vocat, *gelati* per duos integros paragraphos proſequitur, quod quidem nihil aliud eſt, quam mera Stalactitae ſpecies 34).

Hoc quoque Alabaſtrum agnoverunt nonnulli peregrinatores curioſi ac ſagaces in cryptis quibusdam ſubrupeſtribus calcaria ſtalactita refertis. Sic Cornelius *le Bruyn*, in diario ſui ad

27) Mineral. ſyſt. Lipſ. 1762. in 8.
28) Naturg. miner. Goth. 1763. in 8.
29) Princip. miner. ſyſt. & pract. Vetero-Pragae. 1772. in 8.
30) In miner. ſupra cit. §. 17.
31) Ibid. §. 15.
32) Aldrov. muſ. metall. p. 749.
33) Ferr. Imper. hiſt. nat. lib. 25. cap. 8.
34) *L'Alabaſtro che chiamiamo Gelato e dell'iſteſſa ſuſtanza chela ſtiria.* ibid. lib. 24. c. 13.

ad Orientem itineris, memorat montes Alabastrinos, quos ad octoginta circiter millia (150 *Werste*) ab Archangelopoli detexit. „Ibi, inquit, Alabastrum subterraneis in locis, a natura „mirabili modo excavatis & instructis, reperitur..... Hi mon„tes ad duo millia usque protenduntur & duarum horarum spa„tio secundum Peudi fluminis ripas cernuntur, nullaeque ul„terius similes dantur cavernae 35)„. *Ioannes Chardin* itidem in itinerario Persico loquitur de Marmore quodam eximio, candidissimo & quasi translucido ad Taurum montem reperto, quod mihi videtur esse illum Alabastritem, quem in eodem monte parva mole repertum *Plinius* tradit *36)*; hujus marmoris candidi pellucidique montis Taurinensis specimen exhibet *Brückmannus* in Epistolarum itinerariarum centuria secunda 37): meminitque in diversis earundem Epistolarum locis de pluribus aliis Alabastri calcarii lapidicinis, quas in itinere obvias bene compertas habuerat.

Is ergo solidissimis fretus argumentis *Kramero* respondebat: „*Revera calcem ex Alabastro confici, notasque generica„Marmoris & Alabastri prorsus easdem esse* 38)„. Verum tamen Celeberrimus *Pott*, in sua Lithogeognosia, hanc *Brückmanni* sententiam ut duplici errore fatuam explodit. „*Etenim*, „inquit, *ex Alabastro gypsum non calcem conficiunt, & nota Mar„moris generica in eo consistit, quod marmor acidis solvatur & igne calcinetur; Alabastrum vero in acidis non solvitur & in igne „gypsum evadit 39)*„. At hic primo *Pott* supponit, omne Alabastrum esse gypseum, deinde Alabastri denominationem lapidi

35) *Corn. le Bruyn*, Voyage au Levant. tom. V. p. 284.

36) *Paulum distare ab eo* (Alabastrite) *in unguentorum fide multi existimant Lygdinos in Tauro repertos, amplitudine qua lances craterasque non excedant, antea ex Arabia tantum advehi solitos*, candoris eximii. Plin. hist. lib. 36. cap. 8.

37) Brückm. epist. itiner. Cent. II. ep. 25. p. 236. n. 24. & supplem. ad cent. II. p. 1160.

38) Commercium litterarium. Norimb. 1740. p. 76.

39) *Pott* Lithogeogn. Cap. 2. versionis Gallicae Vol. 1. p. 52.

di calcario convenire nullo modo poſſe. Itaque *Koenigium* ſimul reprehendit, quod Alabaſtrum tanquam Marmoris ſpeciem protulerit, *iſtud enim*, inquit, *omnino falſum* 40). Falſum equidem, ſi & Marmori & Alabaſtro eadem origo tribuitur, vel ſi, ut *Pott* autumat, ſoli lapidi gypſeo alabaſtri nomen conceditur, dum vero antiquorum Alabaſtro negatur.

Genuinum hoc ſincerumque antiquorum Alabaſtrum, *Hill* in ſua foſſilium hiſtoria admittere tunc viſus eſt, cum ſub *Alabaſtritis* nomine generico *Alabaſtra* ſic deſcripſerit: „Genus lapidum a marmore parum diſtantium, magnis ac diſtinctis concretionibus compoſitorum, eximiam polituram admittentium, aequalis ſed fragilioris texturae, mediocrem habentium duritiem, cum chalybe non ſcintillantium, in acidis cum efferveſcentia ſolubilium, & facile in calcem reductibilium 41)„. Iſta praemiſſa generis Alabaſtrini ſat lucida definitione, ad ſpecierum deſcriptionem tranſit auctor, quarum tres praecipuae ſunt: 1. *Alabaſtrites nivea, ſplendidiſſima, fruſtuloſa, quae Marmor Lygdinum antiquorum.* 2. *Alabaſtrites lucidiſſima, fruſtuloſa, albido-flaveſcens, quae Marmor phengites antiquorum*: 3. Alabaſtrites fruſtuloſa, *variegata, quae Alabaſtrites antiquorum.* Haec coloris pallide flavi, melleum inter & ſuccineum 42), variisque venis ac maculis diſtincta, & *Alabaſtrum orientale, marmor onychites* & Alabaſtrites probatiſſimorum auctorum 43).

Alabaſtri calcarii notas genericas & ſpecificas, quas in ſuis in Theophraſtum commentariis praenominatus auctor jam adumbraverat, in modo memorata hiſtoria cum probe expoſuiſſet,

40) Ibidem pag. 51.

41) *Hill* hiſt. of foſſils. Lond. 1748. in fol. p. 489.

42) *Probantur qui maximi, mellei coloris, in vortices maculoſi, atque non translucidi. Vitia in iis corneus color aut candidus, & quidquid ſimile vitro eſt. Plin.* hiſt. nat. lib. 36. cap. 8.

43) *The Alabaſter of the Ancients, the Aegyptien Alabaſter, and the Alabaſtrites of all the more correct authors.* Hill l. c. p. 492.

set, nunc ad *Cronstedti* sententiam in nuperrime edito opere 44) conversus est. Ibi namque Alabastra quasi selenites lapideae proponuntur & quatuor species constituunt, nempe Alabastrum album Aegyptiacum, Alabastrum fuscum Siculum, Alabastrum obscure flavum Graecum, denique Alabastrum succineum Aegyptiacum & Persicum: qui procul dubio lapides, indolis seleniticae cum sint vel gypseae, nihil habent quod commune sit cum Alabastro antiquorum vero, istud enim est calcarium, fatente *Hill* ipso in sua doctissima fossilium historia.

Cui tamen erudito viro error *Cronstedti* aliorumque, tam e Germania quam e Suecia in Mineralogia & Chymia illustrium, eo minus hoc anno 1771, imponere debuisset, quod ab anno 1754. 45) Cl. *Daubentonius* regalis academiae scientiarum Parisinae socius, in sua de Alabastro commentatione lucidissime demonstraverat: 1. Alabastrum omne non esse gypseum, ut tamen *Linnaeus*, *Wallerius*, *Pott*, aliique dictitaverant, sed etiam extare alabastrum calcarium, indolem ipsam marmoris prae se ferens. 2. Alabastrum calcarium esse verum & genuinum alabastrum, idemque pretiosissimum & Alabastri nomine maxime notum, si fidem adhibemus variis orientalis Alabastri speciminibus 46), quibus curiosorum Musea & Gazophylacia summopere ornantur, sub forma mensarum, urnarum, magnorumque vasorum, remotissimae quandoque antiquitatis opus exhibentium

44) Fossils arranged, according to theer obvious characters, by I. Hill London 1771. in 8.

45) Vel potius 1759, hoc enim anno Acta Academiae anni 1754. e praelo tandem prodiere.

46) Inter rariora Musei mei servatur caput humanum, cui desunt cranii pars & maxilla inferior: partes autem hujus capitis superstites Alabastri veri Orientalis crusta, quinque vel sex lineas alta, ceu larva obtectae sunt, eaeque polituram perpulchram admiserunt. In partibus alabastro nudis apparent ossa ne minimum immutata, & spatia vacua, a dentibus quibusdam collapsis relicta, inter dentes ipsos alabastrino cortice tectos facile conspiciuntur. Unde erutum fuerit praeclarum istud regnorum animalis atque lapidei consortium prorsum latet. Vide annexam iconem Tab. II. fig. 1. & 2.

tium: 3. Alabaſtrum calcarium omne eſſe ſtillatitium, nullamque aliam reperiri differentiam inter indigenas noſtras Stalactitas, e cryptis *Oſſelles* & *Arcy* vulgo dictis erutas, & Antiparoanum alabaſtrum, ſi mutuo comparentur, niſi vividiores in iſto colores, inſignioremque politura laevorem, quibus orientale Alabaſtrum ab occidentali potiſſimum diſtinguitur: 4. Stalactitas, ut ſaepius ſpatoſas, particulisque craſſioribus, ſemipellucidis aut vix opacis, promiſcue mixtis, conſtantes, *Alabaſtrum* proprie dici, unde ſequitur non omnem Stalactitam alabaſtrinam eſſe, ſed omne Alabaſtrum eſſe ſtalactitium: 5. Demum notas hujus Alabaſtri, gypſeo minus albi, diſtinctivas ad ſequentes reduci poſſe, nempe nitorem fere oleaginoſum, hebetiorem illo, qui in marmore cernitur, ſed ſicciorem illo, qui lapidem vulgo dictum *Iade* quaſi pinguedine inficit; deinde ſemipelluciditatem quamdam obſcuriorem illa, quae chalcedonio, ſed puriorem illa, quae marmori candido propria eſt.

Si egregia haec & ſolidiſſima Cl. *Daubentonii* ſententia non tale pondus habuerit apud ſeptentrionales eruditos, quale ſperare fas erat, forſan iſtud tribuendum eſt aliae doctiſſimi Guettardi de Stalactitis lucubrationi, eidem volumini actorum academiae ſcientiarum inſertae. Quamvis enim Academicus ille *Daubentonio* concedat „ſtalactitam omnem calcariam quae „polituram recipit, & habet venas, colorem, ſemipellucidi„tatem, aliasque Alabaſtri proprietates, hujusce ſpeciem re„vera conſtituere„ ſimul contendit ſedulo cavendum eſſe, ne arbitremur, omne Alabaſtrum tali origine praeditum reperiri, additque multo praeſtantius eſſe, cum non paucis naturae peritiſſimis arbitrari, quod ſint in rerum natura Alabaſtri quaedam ſpecies, a congelatis ſeu ſtalactitiis differentes, & quorum lapidicinae, probabiliter iis, e quibus marmora aliique calcarii lapides eruuntur, ſimiles, eandem cauſam formatricem admittunt ac modo dictae.

Sed cum de existentia illarum Alabastri lapidicinarum, quarum strati regulares horizontalesque dicuntur, nullum aliud testimonium protulerit *Guettardus*, quam observationes mancas quasdam ex *Brückmanni* Epistolis itinerariis depromptas 47), ejus opinioni non subscribere tamdiu licebit, quamdiu oculis non subjecerit aliquas Alabastri lapidicinas, quarum strati sint aeque regulares ac in marmoreis. Aliunde vero sufficit attento animo explorare alabastri calcarii duritiem, texturam, semipelluciditatem, venarum distributionem, propriumque nitorem ipsum ad affirmandum, hujus lapidis originem non eamdem fuisse quam Marmoris.

Nihilominus ista Guettardi opinio multo majorem apud septentrionales favorem obtinuit, quam illa Daubentonii supra laudata. Linnaeus enim, Walleriusque & Pott ipse Alabastrum calcarium pro quadam specie Marmoris albi, proprio nomine non indigentis, semper ut antea habuerunt; solusque gypseus lapis ad hunc usque diem *Alabastri* titulo remansit insignitus. Si tamen clarissimi illi viri *Alabastri* denominationem lapidi quodam gypseo, absque ulla restrictione, continuare non dubitant, dum alii eamdem lapidi quodam calcario tribuere contra nituntur, quanta non inde orietur in ideis & in nomenclatura confusio? ad hanc vero vitandam confusionem Gallici nomenclatores quidam 48), Alabastro gypseo contulerunt *Alabastritae* nomen, quod, ut supra monuimus, soli Alabastro calcario veteres assignabant: sed cum recentiores aliqui istud *Alabastritae* nomen alabastro calcario seu stalactitio reliquerint 49), maxi-

47) *Brückm.* epist. itiner. cent. I. epist. 26. pag. 8. & 11.

48) *Valm. de Bomare* miner. tom. 1. spec. 125. pag. 185. *Bucquet* introd. tom. 1. p. 419. quorum prior inepte ad Alabastrum calcarium retulit (p. 175.) *Linnaei Walleriique* synonyma Alabastro gypseo (de quo agit p. 185.) tantum convenientia.

49) *Caesalpinus, Boetius de Boot, Aldrovandus, Hill* & ipse *Linnaeus, Stirium marmoreum diaphanum, solubile, fibrosum, Alabastrites.* It. Scan. 121. & Syst. nat. ed. XII. p. 47.

maxime verendum eſt, ne eadem confuſio, ex homonymia orta, poſt paulo reſurgat.

Denominationibus itaque jam vulgatis *Alabaſtri calcarii* & *Alabaſtri gypſei*, utpote non ambiguis, firmiter haerendum eſt, clare enim illae utriusque Alabaſtri naturam menti ſubjiciunt. Sic ego *Alabaſtri vitrei* nomen indidi Alabaſtro cuidam, nuperrime in Anglia reperto, ex quo vaſcula conficiunt elegantiſſima 50), quae colorum amoenitate polituraeque nitore, ipſis orientalis Alabaſtri vaſis ne hilum cedunt. Hanc ſubſtantiam *Alabaſtri* nomine inſignivi, eo quod ex variis ſucceſſive ſibi ſuperimpoſitis particulis cruſtulatim, Alabaſtri ſtillatitii modo, concreta ſit: hoc autem facile agnoſcitur undulatis ſuperficiei rugis ante polituram, eaque recepta venis faſciisve diſcoloribus, quae varia lapidis incrementa teſtificantur: eamdem *Alabaſtrum vitreum* voco, eo quod ſit ex indole ſpati *vitrei* dicti aut fluoris violacei, cui *pſeudo-amethyſti* nomen, unde haec etiam a quibusdam *Alabaſtrum Amethyſtinum* cognominata. Sed praeter amethyſti colorem, qui Alabaſtrum iſtud albo cryſtallinum ut ſaepius comitatur, in eo quandoque apparet mixtura flavescentis, rubescentis, carnoſique candoris, quae ſubſtantiam ſordide albam, plus minus opacam, venarum in modum percurrit.

Sic itaque diſtinctis variis Alabaſtrinis lapidibus, in *calcarios, gypſeos* & *vitreos*, nullum amplius ambiguitati locus, quandoquidem ſingularis quaeque Alabaſtri ſpecies, peculiari cuidam ſpato convenit; & revera *Alabaſtrini*, itidem ac *ſelenitici ſpatoſique* lapides, cum ſint omnes ſecundariae generationis opus, quidquam inter ſe ſimile, quamvis aliqua ex parte differant, habere certiſſime debent. Hi lentius liberiusque concreti, fere omnes cryſtalliſati reperiuntur, & eo magis transluci-

50) Vide noſtram de novi iſtius Alabaſtri vaſculis deſcriptionem in Catalogo Collectionis minerarum ſelectae, Pariſiis edito, an. 1769. in 8. pag. 98. 99. & 124.

di, quo minutioribus purioribusque contexti sunt particulis. Illi autem (Alabastrini lapides) ab aqua citiori tardiorive cursu, aut stillante aut uberius fluente conglutinati, regularem assequi formam crystallisando nequeunt, & ita lapidei sedimenti vel stalactitae figuram ut plurimum induunt; quam vero in statu purioris spati habuissent pelluciditatem, crassiores ipsis immixtae particulae, velo quasi obducto, subtrahunt, sed exinde oritur splendidiorum colorum insignis illa varietas, qua lapides isti maxime commendantur.

Quod ad duritiem densitatemque diversarum Alabastri specierum spectat, proprietates illae eaedem fere sunt ac in spatis selenitibusque congeneribus. Sic gypseum Alabastrum Alabastro calcario tum duritie tum pondere cedit, & calcarium vitreo, sicut ipse selenites levior & mollior spato calcario, hocque levius & mollius vitreo 51).

Iam ex supra dictis abunde patet: 1. Lapidem *Alabastritem* antiquorum prorsus eamdem esse substantiam, quam hodie *Alabastrum calcarium* vocamus: 2. Calcarium hoc Alabastrum marmoribus proprie dictis nullo modo annumerari posse, *Alabastri*que denominationem lapidi cuidam gypseo, caeteris exclusis, perperam hucusque fuisse concessam: 3. Praeter calcaria, gypseaque Alabastra tertiam speciem dari, quae, *Alabastri vitrei* nomine gaudens, a duabus aliis facile distingui potest: 4. Tandem omnia haec Alabastra nihil aliud esse, quam species quasdam spati calcarii, selenitis aut spati vitrei, heterogeneis particulis minori vel majori quantitate donatas, quo quidem consortio sed & celeriori concretione, nativam pelluciditatem, propriamque crystallisatione figuram assequi non valuerunt. Unde concludere est, *Alabastra* non ad peculiarem

51) Selenitis gravitas specifica, hydrostatici examinis ope probata, reperta fuit partium 2322, illa spati calcarii partium 2720. illa denique spati vitrei, Pseudo Topazium dicti, partium 4270. *Vide Cotes ptxsic. experiment.*

tem quamdam classem revocanda, sed unamquamque Alabastri speciem sub genere spati, cui convenit, esse collocandam.

Parisiis Onoldum
missae d. 28. Decembris 1775.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. BALTHASARIS GEORGII SAGE

De

Variis res metallicas ad calcis statum redigendi modis, de ipsorummet vitrorum coloribus, ac de illis, qui a metallicis calcibus in diaphanum vitrum album introducendi sunt.

Non posse res metallicas in vitrum redigi . nisi praevia illarumdem calcinatione, compertum est. Ustulatione metalla proprium deperdunt colorem, ipsorum fugit gravitas, specifica, absoluta crescit. Calces metallicae omnes, prout salia media ab acido phosphori, metallis insito, oriunda haberi debere certissimum est: has inter quaedam sunt in aqua facile solubiles, ut ab arsenico plumbove calces derivatae demonstrant.

Iuvantibus igne, electricitate, aere, alkalibus, stanno & hydrargyro queunt res metallicae in calcem redigi.

Prima & vulgatior calcinatio operante igne producitur: ille vero res metallicas permeando dividit, dehinc solutum a materiis ustioni idoneis acidum, cum metallorum phlogisto init consortium, terrisque metallicis connexum salia media constituit: haec salia media acido ignis composita vulgo calces nuncupantur. Variis gaudent illae coloribus, sed metallicae terrae omni phlogisto orbatae, albae evadunt, nec in vitrum redigi possunt, quod a stanno & ab antimonio diaphoretico patet.

2. Electricitatis opera mediante papyro, res fere omnes metallicae in calcem converti possunt, mediante inquam papyro. Nam duabus vitri laminis interposita auri folia, vehementiore motu electrico excitatoris ope percussa, vitrum incrustare videre mihi successum est, eaque sat vitro oblita & permeata fuisse, ut nec ab aqua regia dissolverentur.

Apparatu vero sequenti aurum motu electrico in calcem reductum inveni.

Cum in prelum electricum folia auri inter duas chartas introduxissem, maximamque vim electricam in tormentum, apud nos *batterie*, e quatuor vasis vitreis stanno obductis compositum deposuissem, unaque excitatoris extremitate prelo imposita, altera motum electricum a tormento sollicitassem, chartis e prelo obductis, eas auro in purpura minerali transmutato coloratas reperi. Chartae hae per sat temporis spatium hepatis sulphuris decomposiți odorem servarunt.

In illa auri calcinatione electricitatis via gignitur hepar phosphoricum, quod metallo connubit, dein acidum ab igne electrico emissum hepar phosphoricum destruit, dum altera ejusdem acidi pars metallis connexa calcem metallicam constituit.

Acidi cujusdam in igne electrico praesentiam sequens experientia demonstrat.

Illius acidi coercendi gratia ampullam excipulariam, quatuor sextarii gallici capacem, rite dispositi, cujus collum una uncia & semi sphaeram ampullae praeeminebat. Olei tartari per deliquium sufficiente quantitate imbuta cum fuissent excipuli latera interiora, idoneo subere hujus orificium obturavi, dein per medium obturamentum virgam metallicam *a)* introduxi, illamque ad unciam circiter unam a fundo excipuli distantem retinui; insuper ad aeris circulationem duos vitri tubos inter obturamentum positos alternatim occludebam & reclu-

a) Hujus virgae summitas fuit sphaerica, extremitas vero acuminata. Sphaera quidem extra, acumen intus excipulum erat.

cludebam; virga metallica conductori contigua aſſervabatur. Cunctis ſic inde diſpoſitis, ab excitatore motum electricum octies protuli; quatuor elapſis horis excipuli latera cryſtallis parallelipipedibus obducta conſpiciebantur.

Quae quidem cryſtalli mihi viſae ſunt omnino pares illis quas acidum volatile materiae lucis phosphori, ſponte deſtructi, ſuppeditat, quando in excipulo oleo tartari obducto excipitur. At ſalium iſtorum examen in altera diſſertatione inveſtigandum remitto.

Pleraque metalla aeri expoſita, ſuperficialem ſuum nitorem deperdunt & gravitate abſoluta creſcunt; hæc metallorum alteratio Rubigo dicitur, tunc res metallicæ phlogiſto manent ſpoliatæ, & mediante igne idoneo facile in vitrum defluunt.

Auro in aqua regia ſoluto, centum aquæ ſtillatitiæ partibus diluto, paucis elapſis diebus, diſſolutionis ſuperficies purpuraſcit, & longiore temporis lapſu, fundum vaſis purpurea calx auri paſſim iiſſe reperitur *b*).

Sicut calces metallicae ſalia ſunt media ex acido phosphori metallis coadunato compoſita, ita & res metallicæ e menſtruis ab alkalibus ſeparatæ ut calces haberi queunt, jamque ſunt ſalia media eodem acido compoſita, quæque pariter in vitrum, confluunt, excepto tamen lunæ præcipitato, quod poſt incandeſcentiam, ſub forma metallica in crucibulo reperitur.

Aurum aqua regia ſolutum in calcem, purpuram mineralem Caſſii vulgo dictam, ſtanno interpoſito redigitur, vitrum diaphanum purpureum, ab auri calce induit colorem, eoque magis purpureum quo major fuerit introducta in vitro calcis congeries.

Purpura mineralis absque ullo additamento igni vehementiori in crucibulo expoſita convertitur in metallum; crucibuli fundo depoſitum aurum remanet globuloſum album ac

b) Vide, mes memoires de chimie p. 67.

ductile, quando purpura mineralis dissolutione nimis acida praeparata fuerit, contra vero cum dissolutio fuerit auro saturata, tunc calx cinereum & fragilem auri regulum profert. Haec autem calx auri vitro quidem albo concurrente liquata smaltum purpureum prodit, quod quidem majore stanni quantitate adoperiri reputandum; nam vero uti minor quantitas stanni inhaeret, tunc non smaltum sed vitrum conficit purpureum.

Purpura mineralis *Cassii*, adjunctis duodecim plumbi partibus in catino probatorio excocta, micans & malleabile aurum suppeditat, quae quidem experientia denuntiat, a stanno in calcem conversum aurum facillime ad metalli statum reportari posse.

Una cum mercurio trituratae res metallicae cum partim in calcem convertantur, acidum phosphori metallis inesse denuntiant. Hoc acidum ab hydrargyro adductum mihi videtur, hydrargyrum etenim, amalgamationis via metallis adjunctum, sub forma crystallina metalla profert, unde ut in aliis salibus aqua, sic in metallico crystallo haeret mercurius; plus minusve mercurii retinent res metallicae, ut ex tabula mea amalgamatis liquet. *c*) Ac si demum polyhedrum omne regulare a variis salibus ortum semper ab acido, vel terrae, vel alkali, vel cuivis substantiae juncto, suam trahit originem, hydrargyro magnam acidi copiam inesse necesse est.

Enumeratis experientiis constat metallicas calces, calcinatione, aere, alkalibus, stanno aut hydrargyro productas, ejusdem esse naturae, easque acidum phosphori continere, quocum in vitrum converti posse facultatem & proprietatem acquirunt.

Por-

c) Vide mes memoires de chimie p. 87.

Porro vitrorum metallicorum colores, ab iis, quos in vitrum album eaedem infundunt calces, quam plurimum differunt. Etenim calx cupri absque additione vitrificata ſmaltum prodit rubeſcens, contra vero calx cupri vitro albo obducta vitrum elegantiſſimo viridi gaudens. Acido ni fallor, quo vitrificatio promovetur, colores a calcibus metallicis in vitrum album obducti valent aſſignari. Etenim acidum phosphori, variis etiam modis alteratum, ſemper cum cupro viridem conſtituit colorem, quod e viridi aeris & malachita patet. Hoc acidum phosphori mediante ferro rubrum ſemper induit colorem; exempla ſint ſanguis, vinum & rubinus, qui marte colorantur. Sic & acidum phosphori auro coadunatum colorem ſemper producit purpureum, animalium enim cutes, marmor, lignum & papyrus, auri diſſolutionis contactu purpureſcunt; denique vel electricitate vel ſtanno producta auri calx purpureum induit colorem.

Nuper academiae plumbum ad praeparandam auri purpuram, ſtanno magis idoneum eſſe indicavi, & in his temporibus auri fulminationes inveſtigans, platina, auro, argento, cupro, ferro, zinco, & regulo cobalti aurum ſeſe incruſtare comperi, contra vero ſtanno, plumbo, bismutho & regulo antimonii ac arſenico appoſitum in purpuram mineralem converti.

Colores, a metallicis calcibus in vitrum album introducti, multo ab earumdem calcium absque additamento vitrificatarum, coloribus differunt, uti ex tabula ſequenti patet.

Colores calcium metallicarum.	Colores vitrorum metallicorum.	Colores metallicis calcibus in vitrum album inserti.
Calx arsenici.. alba.....	citreus ..... Λ	
stibii .... cinerea..	hyacintheus .. Λ	
bismuthi cinerea..	rubescens	ruffescens.
zinci... cinerea..	. . .	virideſcens.
cobalti.. rubescens	cyaneus in nigrum	cyaneus.
mercurii rubra....	colorem vertens.	
stanni.. alba...	. . .	smaltum album.
cupri .. nigrescens	rubescens . .	viridis.
ferri .. rubescens	niger	ruber. Λ
plumbi . cinerea..	albidus foliaceus	flavus ut topaza
argenti . cinerea..	flavescens . .	e flavo cinereſcens
auri... purpurea	. . .	purpureus.
platinae.. cinerea.	. . .	virideſcens.

pleraeque calces metallicae in ista tabula relatae lenta calcinatione praeparatae fuerunt.

vitra volatilia Λ. sic indicata sunt.

Observationes ad colorem calcium metallicarum pertinentes.

Calx antimonii vehementiore igne praeparata alba est & pellucida facileque in vitrum redigi potest.

Zincum ustione calcem albam volatilem & phosphoricam producit.

Calx ferri calcinatione rubescit.

Calx plumbi reverberatione ignis rubescit, tunc minium vocatur.

Parisiis Onoldum
missa die 28. Decembris 1775.

OBSER-

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. CHRISTOPHORI GOTTLIEB BONZ

De

Ictero recens natorum.

Recens nati propemodum omnes tertio quartove die a partu, quin quandoque jam secundo, ictero corripiuntur in mea regione, illis non exceptis, quibus continuo post partum lene laxans exhibitum fuit, licet ob hanc rationem in regno Suecico rariorem hunc morbum esse contendat clarissimus *Rosenstein. a)* Secundum *Boerhaavium* in omni recens nato adest, *b)* ex quo apparet, illum in Belgio frequentissimum esse. Idem Vir Celeberrimus, cui quoque assentitur Ill. *Rosenstein, c)* ex primo lacte in ventriculo acescente natum esse asserit, id in duodenum pulsum repleviſſe id intestinum, atque ostium ductus choledochi obturaviſſe, ut bilis regurgitaverit in hepar, venam cavam, massamque sanguineam, cutemque flavo colore tinxerit. *d)*

Sed cum ipsa solicita natura ductum choledochum inter tunicas duodeni transeuntem, & lumine obliquo in intestinum hiantem efformaverit: ejus obstructio non ita facilis videtur. Deinde, si etiam concedam, recrementa lactis subinde ostium choledochi ductus subire posse, tamen illa a retro affluente bile, succoque pancreatico haud difficulter iterum eluuntur. Quid quod ipsum lac maternum, tenue primis diebus atque serosum, ad coagula ejusmodi facienda, quae choledochum ductum obstruant, putem non esse idoneum. Etsi deinde pusiones

a) *Anweisung und Cur der Kinder Kranckheiten. Gött. und Gotha 1774. p. 389.*

b) Hermanni Boerhaave Praelectiones cum notis Alberti de Haller T. III. §. 348. p. 165.

c) L. cit. p. 391.

d) Loc. cit.

ones aetate aliquantulum provecti, verbi gratia, bimestres trimestresve lac maternum aliudve per plures subinde septimanas coactum evomant, faeces quoque caseosas, acidum spirantes excernant: nihilominus exinde non redduntur icterici, quapropter lactis coagulum morbo huic producendo aptissimum se non praebet. Alteram causam addit Cl. *Rosenstein*, *e)* nempe obstructionem ductus choledochi a humoribus mucidis & viscidis, sed illorum praesentia in omni recens nato (nisi cel. Auctor sub iisdem cum *Ettmullero*, *f)* *Sennerto*, *g)* *Baglivio*, *h)* meconium intelligat) neque evicta est, neque ex illa, etiam posita, oppilatio ductus choledochi tam secure, ut jam monui, adstrui potest. Quae igitur adeo communis infantilis morbi vera ratio? Notum est, fetus intestina, quin etiam ventriculum repleri peculiari stercore, unguenti, vel electuarii simili, subviridi, diversum a muco proprio intestini, qui meconio remoto supereſt. *i)* Illud potissimum a bile diuturniori mora virorem contrahente derivare non dubitarem: equidem non amarum est, verum nec bilis in fetu amara est. Quarto jam mense incipit bilis apparere, *k)* & illam postea non mediocriter secerni suadet organum amplissimum, hepar fetus maximum, merito duplo, quam in adulto homine majus, cum etiam plus duplum sanguinis vehat. *l)*

Iam fetus in lucem editus per vasa umbilicalia non amplius nutritur, sugit maternum lac, vel sustentatur aliis alimentis, ut plurimum lactariis, ventriculi & intestinorum actio incipit, chylus transit per vasa lactea & ductum thoracicum in sanguinem; cum vero ille intestina permeet, biliosis sordibus undi-

e) Libr. cit. p. 390.

f) Mich. Ettmulleri Opera omnia. Ff. ad Moenum 1688. Part. I. p. 614. it. Dissert. X. c. 2. §. 5.

g) Boerhaavii praelectiones T. I. § 99. p. 431. not. 6.

h) Frid. Hoffmanni Med. rat. systemat. Tom. III. p. m. 103.

i) Elementa Physiol. Alberti de Haller T. VIII. p. 264. & 367.

k) Element. phys. T. cit. p. 366. not. t.

l) Element. phys. T. cit. p. 364.

undique inundata, fieri non potest, quin iste particulis biliosis inquinetur, ex quibus ad massam sanguineam translatis ictericum pusillorum colorem deducere quid obstat? Laxans etiam tenellis tempestive datum intestina meconio tam cito haud liberat, ut inde morbus hic praecaveri inter nos possit. Nil ulterius addo, nisi unicum testimonium Cl. *Iunckeri* ex ipsius Pathologia generali, p. m. 202. desumtum, ubi ad causas antecedentes icteri generatim spectati bilem quoque refert, quantitate abundantem, in ventriculo & duodeno cum chylo permixtam.

Esslinga Onoldum
missa die 9. Ianuarii 1776.

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. GVILIELMI GODOFREDI PLOVCQVET

Suppositorium & clysmata, ore reddita.

Occurrunt in historia medica observationes adeo portentosae, ut veritas illarum haud paucis suspecta videatur: ex harum genere haec est, quam traditurus sum, historia, quae illas ab antecessoribus notatas confirmare poterit, cum scilicet hujus facti equidem assiduus testis autoptes fuerim.

Virgo, viginti trium annorum, inde ab anno aetatis suae decimo quinto hysteriam, omnesque ejus effectus experta, caeterum robusta florensque, mense Decembri 1774. alvi constipatione per aliquot dies absque notabili incommodo afficitur. Die tertio aliquoties vomit, utpote ad vomitus admodum proclivis, quos olim, ut frequentissimum symptoma hystericum, passa erat. Sensim dolores acuti universum abdomen internum occupant, vomitus pergunt, alvo interim pertinacissime clausa. Oritur febris, & dolores illi mutantur in sensum ardoris intolerabilis, omnia quasi intestina perreptantis:

omnia

omnia ingeſta, medicamenta & quaevis gutta potus nictu oculi vomitu rejiciuntur, ut aegra ſitim intenſiſſimam tolerare, quam creberrimis illis vomitibus ſe ſubjicere malit.

Die morbi quinto relatum mihi fuit, clysma, (quae interim frequentiſſima ſuppeditabantur) ore rediiſſe, idque odore & ſapore evidentiſſime ſe manifeſtaſſe. Ego de plenaria rei veritate dubitans, ſenſuum propriorum experimento certiorem me reddere volui, & clysma ex mero lacte tepido paratum injiciendum curavi: (Aegra antea per menſem forte & ultra lacte caruerat) Adſto lecto, eventum obſervaturus. Peractis triginta circiter minutis ſecundis horae, lac injectum ore redditur, absque vomitu violento, ſed niſu tantum levi, lac, inquam, album, dulce, nequaquam mutatum, nec bile nec faecibus tinctum, quantitate nec auctum, nec imminutum.

Poſt aliquot horas adhuc unum ex lacte tepido confectum clysma parari curavi, quod eodem modo, ut prius, temporis ſpatio haud majori interjecto, per os rediit. Vidi quoque, embolum ſyringae ſponte deorſum trahi, & lac contentum quaſi per ſuctionem introrſum rapi.

Iam de ſuppoſitoriis applicandis ſermo erat. Equidem & haec ore reditura praedicebam. Adſtantibus inauditum hoc portentum vix, ac ne vix quidem credentibus, conceſſi, ut prunum damaſcenum ſiccatum, inverſum ſale bene fricatum ano immitterent; poſt duo minuta prima horae digito explorari jubeo, an adhuc in inteſtino recto haereat? aderat. Peractis iterum duobus minutis primis diſceſſerat: Et en, poſt quinque minuta prima horae, ex quo immiſſum erat, ore redditur ſuppoſitorium, ſolum non mutatum, eadem fere figura, qua ano indebatur, niſi, quod magis elongatum videretur.

Per integrum hoc temporis ſpatium abdomen nec durum nec tumidum erat, attactus autem dolores vehementes excitabat.

Interea medicamenta varia, ipſumque opium, extracto chinae miſtum, venaeſectiones, clysmata, cataplasmata, inunctiones,

ctiones, balnea tepida assidue administrabantur, sed incassum. Frustula mali citrei solummodo manducare, hisque sitim immanem aliquantum fallere aegra poterat absque vomitu. Tandem nivem recentem linteo involvi, universoque abdomini imponi curo, ea lege, ut, simulac nix a calore corporis liqueſceret, recens iterum nix imponatur, id quod per quatuor horas strenue factum. Nocte subsecuta scybala durissima per alvum reddebantur; die postero alvus iterum iterumque copiosissime solvebatur, vomitus cessabant & medicamenta iterum assumebantur, & brevi post restituebatur aegra, ita, ut hodienum vivat, nec ullum digestionis egestionisve vitium patiatur.

Epicrisis.

Quamvis plures de clysmatibus ore rejectis, & aliqui de ipsis suppositoriis eadem via redditis testimonia dederint, sunt tamen multi, qui veritatem ejusmodi historiarum in dubium revocare, easque ut impossibiles rejicere anniſi sunt.

Ita de clysmatibus ore redditis testantur viri plures praeclari, qui Ephemeridibus Miscellaneisque Naturae Curiosorum suas observationes inseruere. Praeter hos Thomas Bartholinus, Borellus, Fabricius Hildanus, God. Schulzius, ex variis Schenckius, Bonetus, Stalpart van der Wiel, Acta Erudit. Lipſ. aa 1682. Schurigius, van Swieten, de Haen, aliique.

Aliqui horum etiam suppositoria ore reddita observarunt, quas inter historias famosa illa Matthaei de Gradibus eminet. Sunt vero e contrario Viri Doctissimi, qui, difficultate explicationis pressi, ipsas historias rejicere, & ad fabellas relegare maluerunt.

Ita Morgagni Advers. anatom. Nro. X. p. 27. reditum suppositoriorum per os vix, ac ne vix quidem admittit; Unzerus (Arzt. VI. *Band.* p. 395.) in his casibus vitium observationis subrepsisse existimat.

Alii absque ruptura vel destructione valvulae coli tale quid contingere posse, negarunt.

Quicquid autem contra rei possibilitatem excogitare, vel argumentari quis velit, id certe ipsa rei existentia refutabit satis superque.

Valvula coli rupta, aliove modo destructa, omnia in crassis intestinis contenta sursum pelli posse, nemo non videt. Hoc vero in nostro casu non obtinuisse, testatur valetudo integra restituta.

Posita insigni valvulae relaxatione, eadem phaenomena oriri possent, qualia Tulpius refert, quae vero nostrum casum non illustrant.

Thomas Bartholinus Histor. anat. Cent. IV. Hist. 68. valvulam coli eapropter non obstare autumat, quod „vel motu „totius abdominis conniveat, vel laxetur, laedaturque hu„morum acrimonia. Obscura vero haec sunt. Potest etiam quantitas ingestorum, & liquidorum, specie enematum injectorum, vel & aer, caecum colonque adeo extendere, ut valvula ampliorem circumferentiam nanciscatur, unde orae ejus se amplius contingere nequeant, hinc omnia in crassis contenta in ileum transire, & tandem evomi possint. Cel. Haguenot, qui caeterum viribus motus peristaltici parum aut nihil tribuit, hoc fieri posse, concedit. Memoires de l'Acad. R. de sc. de Paris. a. 1713. p. 488. Nec adversatur Ill. de Haen, Rat. med. T. II. qui tum demum, cum intestina per gangraenam relaxata sunt, tantam valvulae aperturam fieri posse statuit, ut enemata scybala, vel & suppositoria transire queant: sed & haec nihil ad nos. Etenim nec ingesta, nec aer, caecum ejusque valvulam hic adeo extendere poterant, cum abdomen nec tensum nec tumidum esset. Et praeterea clysma lacteum purum, aliis rebus non permistum, eadem quantitate, qua ano injectum erat, ore rediit. Nec gangraenam adfuisse, cita & solida aegrae restitutio demonstrat.

Alias

Alias ergo cauſſas hic ſubfuiſſe, oportet.

Inteſtina ſenſu & vi motrice praedita ſunt, quae poſterior praecipue in fibris eorum muſcularibus reſidet: Valvula coli, utpote propago inteſtini ilei colique, fibris ex iis tenuis craſſique inteſtini confluis munita eſt; fibra autem muſcularis quaelibet ſpasmo affici poteſt, cujus cauſſas exponere hujus loci non eſt: Crediderim in caſu noſtro eas fibras, quae a craſſis inteſtinis in valvulam porriguntur, vel ſolas, vel potiſſimum ſpasmo diuturno affectas fuiſſe, ita, ut harum contractio oras valvulae ad parietes craſſi inteſtini apprimeret, adeoque a ſe invicem dimoveret, totamque valvulam hiantem ſiſteret. Elegantiſſima Tabula V. Ill. Albini annot. academ. L. III. inſerta conferri meretur. Per hunc hiatum ſpasmodicum & liquida & ſolida corpora tranſire, validoque motu antiperiſtaltico, per modum ſpasmi clonici agente, per integrum tubum inteſtinalem, contraria licet directione, moveri poterant. Summa aegrae proclivitas ad ſpasmos ſuadet, hunc verum ipſius ſtatum fuiſſe.

Supereſt, ut indicetur, quomodo clysmata lactea adeo pura ore redire potuerint? Cum aegra ſitim diuturnam ſponte toleraverit, ſcybala dura, exſucca in inteſtinis reſidere, quae forte alteri tantum parieti eorum quaſi affixa fuerunt, ita, ut ſpatium ſufficiens pro enematibus & ſuppoſitorio tranſituris ſuperfuerit. Motus autem antiperiſtalticus nihilominus vires magnas, quin ſolito majores exercere potuit, cum fibrae muſculares parietis liberi in iſto obice punctum fixum, ad quod anniterentur, invenerint.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. GVILIELMI GODOFREDI PLOVCQVET

Ventriculus cordis ſiniſter ruptus absque cauſſa manifeſta.

Vir eruditus, quadraginta ſex annorum, vitam fere ſedentariam degens, vegetus autem & robuſtus, niſi, quod vitio digeſtionis laboraret, & hinc varia ſymptomata hypochondriaca ſubinde pateretur, menſe Novembri 1773. circa meridiem ſubito dolore acuto corripitur, qui ſcapulam humerumque ſiniſtrum, idque latus univerſum occupabat.

Dolor interim aliquantum remittebat, ita, ut aeger prandio aſſidere, cibumque capere poſſet; mox vero, ſub finem prandii ob vehementius redeuntem dolorem lectum petere cogebatur: pulſus tum temporis erat parvus, debilis, & tardus, motus brachii ſine doloris intenſione peragi poterat. Hinc ex ſpasmodico genere hunc dolorem eſſe cenſui. Praeſcripſi clysmata crebra, medicamenta antiſpasmodica, leniterque laxantia, aſt omnia incaſſum. Ipſa ea nocte, poſt quindecim circiter horas a primo inſultu moritur aeger. In cadavere inſpecto externe nihil ſingulare apparebat. Omentum adeo breve erat, ut vix dimidiam partem inteſtinorum contegeret. Tenuium magni tractus paſſim levi inflammatione correpti, colum hinc inde coarctatum, reliqua autem viſcera abdominis naturaliter conſtituta erant.

Aperto thorace pericardium valde extenſum oculis ſe ſubjiciebat, quo perſciſſo plures unciae atri congrumati cruoris emanabant: ventriculus cordis ſiniſtri foramine lacero pertuſus inſolens exhibebat phaenomenon. Fibrae lacerae iterum ad ſe invicem acceſſerant, & laeſionem ſimulabant, qualem glans e ſclopeto jacta inferre poſſet. Digitus unus alterve facile immitti, & in ipſam ventriculi cavitatem pertingere poterat.

rat. Caeterum cor ipſum nequaquam adesum vel extenuatum, ſed robuſtiſſimum erat. Pulmones flaccidi, cinerei, collapſi, ne veſtigium quidem inflammationis vel ſanguinis infarcti congeſtive monſtrabant.

Epicriſis.

Caſus analogos ſimilesque, quos Cl. *Mumſſen* in diſſertatione de corde rupto diligenter collegit, et eleganter diſpoſuit, repetere hic nolo: Recentiorem caſum ventriculi cordis dextri rupti commemorat *Donald Monro, Neue Edimb. Verſ. und Bemerk. B. III.* pag. 257. *)

Ratio explicandi duplex concipi poteſt:

Aut cor ipſum incipiente morbo adhuc incolume erat, & poſtea disruptum fuit, aut laeſionis initium in corde erat, quae creſcens ſenſim ſenſimque eo usque perrexit, ut tandem vera cordis ruptura inde naſceretur. Priorem caſum mihi ſic repraeſento.

Atrium cordis ſe contrahens pellit ſecundum leges circulationis undam ſanguinis in ventriculum: Hic, percepto ſtimulo ſe contrahere, receptamque undam in arteriam urgere debet. Poſito nunc, hanc ventriculi contractionem ob ſtimulum, alibi quidem latentem, univerſum tamen ſyſtema nervorum in conſenſum trahentem, differri tamdiu, donec idem atrium novam undam ſanguinis acceperit, hancque in ventriculum jam plenum protrudere conetur: Quid fiet? Pars hujus undae poſterioris transibit ex atrio in ventriculum, huncque magis adhuc diſtendet. Cum vero atrium ſeſe plenarie exonerare non potuerit, non relaxabitur, ſed in ſtatu contracto perſiſtet, novisque viribus ſtimulante ſanguine ſeſe liberare tentabit. Hoc vero nixu una continua columna ſanguinis atrium ventriculumque replens, annuli valvuloſi eam partem, quae oſtio arteriae praeſidet, huic fortiter apprimet.

*) Similis fere obſervatio reperitur in *Fraenkiſchen Sammlungen* Part. XI. p. 310. ſeq. *D.*

Ita sanguis, a contracto ventriculo pressus, valvulam attollere non poterit. Vis autem urgens parietes atrii ventriculique, (praecipue autem hujus, quia jam ante sanguinem receperat,) valdopere distendet, donec membrana cordis interna aliquo loco lacerata, fibras cordis nudas vi extendenti exposuerit: Hae vero partim a se invicem discedere, partim rumpi debuerunt, eo facilius quidem, quo magis antea tersae erant: Ita sanguis huc cedere, & in ipsum pericardium exire potuit.

Alter modus explicandi hic erit:

Membrana cordis interna cauſſis, quae indicari nequeunt, minima quadam rima hiare coepit. Inde forte dolor per consensum nervorum in scapula, humero & universo latere sinistro perceptus. Sanguis autem per fibras cordis proximas erumpere tentans has dilaceravit. Flumen sanguinis per eam rupturam, qua data porta, ruens rimam magis magisque distendit, & torrentem per omnem ventriculi substantiam traduxit, ut nunc in pericardium erumpere posset. Quis autem modus ex his in casu substrato locum habuerit, id quidem haud in aprico positum mihi videtur.

Tubinga Onoldum
missae d. 13. *Ianuarii* 1776.

OBSERVATIO XXXX.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII

Cereus, gelu, igne, ferro, martyr, superstes.

Vegetabilia omnis non fert omnia tellus. Sunt quibuscunque suae stationes, interdum migrationes, sunt sua prolepsi, germinationi, floreſcentiae, fructificationi, tempora, sunt morbi, sunt & plantarum vitae termini. Functiones autem, vegetationum & mutationum modi, si a materia alimentaria

taria & nutritionis ratione nunc recedimus, & ab atmosphaerae mutationibus, praelertim a caloris & frigoris gradibus, determinantur & limitantur. Hinc suum cuique plantae esse debet, circa calorem & frigus, regimen, si praecipue e natali solo aliorsum transferuntur; quanquam & sint, quae plura *tolerare* queant, & sint, quae curiosius tractari malunt. Inter eas praecipue *exoticae* sic dictae, & e calidioribus regionibus in frigidiores translatae, singularem curam, si earum integritatem & perennitatem optamus, exposcunt, maxime sub hyemis inclementia. Ut ideo & *thermoscopia* excogitata sint *botanica*, qualia jam MICHELI, & ante viginti annos ill. GESNERUS, *Professor Tigurinus*, descripsere, quorumque potissimum *usus* in hybernaculis est. Prouti vero morbis animalium, a regimine, circa calorem & frigus minus recte adhibito, oriundis, etiam medendi methodum appropriatam opponimus, sic & vegetabilibus, si injuriam passa sunt, conveniente regimine succurrere possumus. Prodeat exemplum.

Ante plures annos parvam sobolem *Cerei* s. *Cacti erecti maximi Surinamensis octangularis*, vix sex pollices longam, terrae commisi, atque debitae eius educationi & regimini invigilavi ita, ut capto quotannis incremento, altitudo eius nunc tres pedes jam excederet. Appropinquante hyeme anni 1763. eundem, cum aliis plantis, quas in hortulo meo colere soleo, in hypocaustum quoddam interim reposui, non calefactum, donec tempestatis ratio tepidarium vel caldarium requireret. Subito autem, circa Novembris dicti anni finem, intensum gelu, ad 12. gradus infra o. *thermometri Reaumuriani*, ingruit. Altero mane, cum hybernaculum meum inspicerem, actum esse cum cereo meo, dolebam, cum eundem, stiriae in modum congelatum, conspicerem. Sed experimentum tamen placuit instituere, utrum, regelatione provida instituta, conservationi daretur locus. Igitur provide in tepidiorem quendam locum eum transtuli, in quo post aliquot horas igneae particulae, sub vaporum forma, plantae congelatae undique confertim

fertim adhaerebant. Tum linteo quodam eam circum circa leviter contexi, ne nimis cito regelatio procederet, & humores subito soluti in putredinem vergerent. Intra 48. horarum spatium ita autem *cactus* naturalem suum habitum & mollitiem recuperavit, ut naturali simillimus evaderet. Quo facto, eum in solitum antea locum reposui, & laetus animadverti, nihil damni a congelatione passum eum esse; ut potius sequente aestate nova iterum ceperit incrementa.

Simile quid in alia planta exotica, *Aloë* scilicet, seu *Agave*, calidioris alias Americae incola, jam per viginti fere annos a me culta, alio tempore observare me posse, mihi initio persuadebam. Saeviit autem praeterita hyeme intensissimum gelu, ita, ut, dum ab aliis nunc observationibus meteorologicis, & enumeratione variorum frigoris graduum, recedo, die 1. Februar. MDCCLXXVI. mercurius in thermometro Reaumuriano ad 18.½ lineas infra o. seu congelationis punctum, descenderit. Circa finem Ianuarii vero dictam plantam altero mane, cum, ex incuria, hybernaculum nocte praeterita non tepefactum esset, stiriae instar congelatam invenio, ea autem eodem modo tractata, & in cellam reposita, regelata visa est, ut tamen exteriora & inferiora crassa folia in putredinem jam abierint, quibus, vere appropinquante, resectis, folia media dentato-spinosa, in conum plicata, integra tamen nunc conspiciuntur, & d. 18. Aprilis exposita libero, & ad 18. gradus supra o. calido, aëri, se se explicare gestiunt.

Exspectabam itaque foliorum uberiorem explicationem, & plantae, tam diu cultae, ulteriorem vegetationem, &, si coelo ita visum foret, suo tempore floreſcentiam. Folia autem uberiorem recusabant evolutionem. Interim dum conus meus, per aestatem fere mediam, in hoc statu remanserit, judicavi, in eius statum curiosius inquirere, & tum tristis animadverti, radicem plane versam fuisse in putrilaginem, conumque sic facile ab ea separavi. Animadverti autem simul, *nodum*, hucusque cum radice junctum, e quo folia surgebant, quodammodo integrum & duriusculum adhuc esse. Igitur depuravi

puravi eum a putredinis recrementis, & ſolis radiis fervidis, ut ſicceſceret paullulum, expoſui. Tum noviter in teſtam, terra repletam, illum repoſui, &, dum non adeo profunde eum terrae mandare potuerim, fulcimentis circumdedi. Autumnum verſus illum viſitavi, & laetus cernebam, e nodo novas radiculas ortas eſſe, quibus viſis, experimenti loco, utrum radix quoque integra renaſcitura forte ſit, teſtam, inſequente hyeme, in muſeo proprio colui, eamque menſe Majo anni MDCCLXXVII. quo haec addo, ſolis radiis expoſui. Externa tum folia quinque cepere ſeſe explicare, interna autem convoluta magis remanebant. Quare medium hunc conum noviter explicare tentaturus, eum plane, inferne putridum, extraxi. Unum autem poſt alterum folium caute ſeparavi, & in ultimis receſſibus, proh dolor! inveni ſiccum & marcidum futurum caulem, & cum eo nunc fruſtratam ſpem dolui, poſt paucorum annorum ſpatium, niſi hoc fatum accidiſſet, futuram aloes meae floreſcentiam. Cum interim externa folia laete vegetare pergerent, omne quod in fundo, & orto ſic ſpatio, ſeu foramine, putreſcentiae reliquum erat, caute ſeparavi, & naturae reliqua commiſi. Poſt aliquot autem hebdomades e medio huius foraminis nova quaedam aloes meae ſoboles ſurrexit. Hac viſa integram plantam provide e teſta ſumſi, examinaturus, utrum radix principalis fuerit forte renata. Ea autem non apparuit, ſed nova dicta proles e nodo ſumſerat originem, & viam ſibi, per ſpatium ſupra deſcriptum, paraverat, dum undique, per nodi ambitum, radices novae fibroſae & ramoſae, per terram reperent. Noviter itaque teſtae commiſi plantam, & colui, nova ea ſobole, quae e medio plantae ſuccreverat, cum priſtinis maioribus eius foliis, interim bene valente, qualis nunc ei ſtatus eſt, Novembri menſe MDCCLXXVII.

Hac occaſione vix poſſum, quin ſimul notem, ſcripſiſſe b. LOESEKE in *Abhandlung der auserleſenſten Arzney-Mittel*, Berol. 1755. p. 129. *ſe vidiſſe Aloën quandam, quae per plures*

annos, perque tempus aestivum & hybernum, in cacumine praetorii cuiusdam, in libero aëre habitaverit, absque ullo damno, a frigore perpesso. Addit simul, *operae pretium esse, tentare ulterius, utrum plantae aliae exoticae quoque aërem liberum nostrum perpetuo ferre possint.* — At quam egregie, lepideque se decipi, fallique, in quale subreptionis vitium, dignum risu, se deduci passus est scriptor? Nonne enim in pluribus viridariis, exstructisque in iis praetoriis, similes plantae conspiciuntur, quae e metallo, vel ligno, suis coloribus infecto, parantur, &, ornamenti loco, haec loca occupant? quis, eas naturales esse, somniabit? — Ante quindecim annos, cum novam contignationem propriae meae domui adderem, loco vexilli anemoscopici, vel alius ornamenti, testam, e lamina ferrea confectam, in qua posita erat Aloë, ex similibus laminis fabricata, & viridi colore infucata, frontispicio imponi curavi. Haec Aloë, arte facta, omnem aeris iniuriam bene tulit, & adhuc fert. Simile quid, procul dubio, vidit fabellae autor! Miramur propterea, eandem fabellam in nova eiusdem libri editione non excussam, sed impressam esse iterum. — —

Sed ad *cereum* meum redeo. Cum is quatuor pedum magnitudinem attigerit, ante tres annos, versus vernum tempus, ubi e terra surgebat ad pedem integrum usque, putredine sphaceloſa corripiebatur, forte quod & mures terram effoderint, & radici damnum intulerint. Misertus aegroti, & ne omnis pars sincera traheretur, aliquot pollices supra inferioris partis sphacelum, cultro, omne sphacelatum amputavi, quo facto plantae integrae bini pedes, cum dimidio, remanserunt. Sphacelata pars ita corrupta erat, ut omne parenchyma in tabum diffluereret, aqua facile elutriandum, quo facto haec pars inferior, ad radicem usque, cyathum referebat, quem lignoſa pars, seu, prout placet, liber, nondum plane corruptus, sistebat. Eam autem superficiem omnem, in qua amputationis operatio peracta erat, statim ferri lamina latiori candente, diligenter confricavi, donec plane siccesceret, id quod altero die

die repetii. Tum per aliquot adhuc dies, in loco calido, ſicco, columnam hanc octangularem, ſpinoſam, ſervavi, poſtea eam vero, in apto receptaculo, terrae, liberoque aëri, commiſi, ubi, adhibito debito regimine, novas radices egit, altero anno, ad quatuor pollices usque, altitudine crevit, imo poſtea, haud procul a loco amputato, novas ſoboles, ſeu, ſi mavis, ſtolones, genuit.

Tenacitate itaque quadam vitae cereus gaudet, & dum medicamento aegrotus ſanari non potuit, ſanatus eſt ferro, & igne, & praeter gelu, utramque operationem chirurgicam feliciter ſuſtinuit, adhuc ſuperſtes.

Poſſunt equidem dicta, analogice, ad alios vegetabilium morbos transſumi, ut tamen cujuscunque individui natura ſingularis, prout & in regno animall decet, obſervetur.

Erlangae
d. 30. April. 1776. & d. 22. Nov. 1777.

OBSERVATIO XXXXI.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Forficula, noctambulo, devaſtator.

Dum in praecedente obſervatione nonnullorum, quae in hortulo meo obvenere, mentionem fecerim, haud plane abs re eſſe, ratus ſum, aliam quandam obſervatiunculam, levidenſem quamvis, adjungere, e pluribus, quae forte alio tempore addi queunt, cum naturae curioſo ubique objiciantur quaedam, quae attentionem mereantur.

Eſt in hortulo meo areola, in qua per plures annos e ſato ibi *ſemine petroſelini* plantulae, ſylvae inſtar, laete, in uſus domeſticos, ſuccrevere. Binos autem ante annos indignabundus vidi plantulas, quae folia ſeminalia vix protruſerant, ſubito penitus evanuiſſe, atque animadverti, inſectum aliquod,

veluti e morsura colligebam, eas devorasse, & eas saltem, nec alias, quae forte, ut solent, eodem in solo succrescunt, ut atriplex, alsine, *&c.* Saepius itaque per diem in hostes inquirebam, qui vero nullibi hic apparuere.

Interim memineram eorum, quae in *collectionibus Francofurtensis Part.* IV. p. 277. olim retuli, scilicet in vitro quodam me cepisse ingentem multitudinem *Dermestis fasciati*, tantopere membranacearum, & adiposarum, partium devastatoris. Itaque, cum interdiu devastator suspectus petroselini conspectum meum fugeret, noctu eum forte praedae invigilare, hariolatus, terrae commisi vitrum, amplum, ita, ut margo superior superficiei terrae parallelus esset: vitroque immisi petroselini, jam magis adulti, folia nonnulla, ut ignotus hucusque hostis esca hac invitaretur. Bene cessit stratagema. Altero enim mane ingentem copiam *forficularum* vitrum ingressam esse animadvertebam, quibus sic, ob vitrei vasis laevitatem, *facilis descensus averni*:

Sed revocare gradum, superasque evadere in auras
Hic opus, hic labor

vanus omnino, *erat.*

Apparebat itaque occultus hucusque *petroselini devastator*, qui quidem semper variorum florum, & fructuum, hostis, dicti autem vegetabilis vix idem, reputatus est. Noctu vero dum huic devastationi litabat insectum, *noctambulonem* illud appellavi, ut a *tenebrionibus* distinguerem, prouti singulare scarabaeorum genus appellitavit *perill. de* LINNE. V. & b. MÜLLERI *Linneisches Natur System.* P. V. Vol. I. p. 367. & 396. quanquam hic noctambulus sui, rerumque, quas venabatur, bene conscius fuerit, quod secus solent homines noctambuli.

Causa vero, cur eodem in loco antea petroselinum laete succreverit, nec devastatum fuerit, in eo jacet, quod contignationes ligneae, prope hanc areolam, ante decem annos noviter fabricatae, hucusque integrae fuerint, neque nidulationem

tionem insectorum admiserint, quae vero nunc facilior erat, dum e temporis, & tempestatum, injuriis, ligna nunc, ex parte, in putredinem vergebant, siquidem, hac animadversa, in spatiolis exesis colluviem forficularum reperiebam.

Sua est cuique animali oeconomia, veluti ejus quoque specimina in *Collect. Francon.* Part. XLVIII. p. 524. dedi. Ita & forficulae! Sed nunc simul remedium capiendi hostem, servandique servandum, adductum est. Eodem autem uti solent ad capiendas *gryllotalpas*. Neque enim hic alia proderant, licet & areolam cineribus aliisque anthelminticis, conspergerem. Imo pluries, per eandem aestatem, eadem contingebat devastatio, licet terrae, plantulis orbae, plus vice simplici versae, nova semina commisissem, donec casu, & speculatione, dicta evenirent. Quapropter cuncta exesorum lignorum loca, pluribus forficulis repleta, fervente aqua perfudi, & inundavi, & sic multa millia forficularum trucidavi, similesque experimentum quotannis repetii, quo facto, hosteque victo, iterum suo tempore largum, & intactum, petroselini, ex eadem areola, proventum impetravi.

OBSERVATIO XXXXII.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Emphraxis intestini recti, praecipue a cortice Peruviano.

Absit, ut ullo modo nobili Peruviano cortici quidquam virtutum medicarum derogem. Quanquam & interdum de iis inter medicos dimicatum sit, satis tamen nunc evicta virtus ejus roborans, in febribus acutis, & intermittentibus, in sphacelo, in cachexia, in debilitate varia, in fluore albo, aliisque adfectibus morbosis, ubi suo tempore, locoque, adhibetur, pulcherrimos produxit effectus. Verum & optima medicamenta, data non apto tempore, locove, nocent.

Generosa femina, quadraginta aliquot annorum, habitus strictioris, puerperia nulla, tributum lunare semper satis parcum, experta, alvo sicciori obnoxia, febre quadam lenta laborare

videtur, cum tenesmo, pro haemorrhoidali habito, siquidem & tubercula nonnulla apparebant circa ani limbum. Post plura adhibita medicamenta, languorem febrilem, & debilitatem, tamen non tollentia, demum medici corticem Peruvianum in auxilium vocarunt, atque largas satis pulveris doses, cum Rhabarbaro mixtas, quotidie sumendas, ordinarunt. Status inde non melior, ut potius alvus eo minus responderet, quae clysmatibus fere solis aperiebatur. Cum meum nunc quoque consilium rogaret aegrota, satius duxi, attenuantia, humectantia, aperientia, primum vocare in usum, in quem finem, cum tempus quoque vernum faveret, *serum lactis* ordinavi, cum radicibus & herbis recentibus appropriatis decoquendum, quae quoque, expressae, tepide, & limbo ani, sub cataplasmatis forma, imponerentur, & simul usum elixirii alicujus visceralis, resolventis & roborantis, usum, suasi. Bene se habebat sub horum medicaminum usu aegrota, alvus tamen non adeo respondebat. Sentiebat potius in recto intestino dolorem quendam fixum, quem cum globo comparabat, qui ibi haereret, quique pro latente absceſſu haemorrhoidali, a quo omnia gravia timebat, habebatur. Post varia clysmata emollientia, ventum nunc ad lini oleum, quod refractis dosibus ano injiciebatur. Levamen inde tenesmi, sed per intervalla recurrentis. Cum autem insignibus ad desidendum conatibus vexaretur, globum quendam exitum quaerere sentiebat, qui vero ob molem, & siccitatem, non plane excludi poterat. Igitur ipsa aegrota cultellum quendam eburneum, quo praecipue utuntur ad pulverem diapasmatis, quo capilli conspergi solent, a facie abradendum, *Pudermesser* dictum, arripiebat, eoque globum majorem, stercus equinum referentem, in frusta nunc dissectum, ex ano effodiebat, e qua secuta exclusione difficili insigne levamen sentiit aegrota. Curiosius autem explorata haec massa thrombum referebat, qui nihil aliud erat, quam Peruviani corticis, nimis largiter antea ingesti, ut & Rhabarbari, coagmentata moles, massa stercoraria obducta. Continuato autem

tem ſero lactis, aliisque appropriatis medicamentis, imo evacuatis nonnullis aliis globulis minoribus, evanuit abſceſſus haemorrhoidalis timor, cunctaque in meliora ſenſim vertebantur.

Quae ex hac obſervatione deduci poſſunt conſectaria, cautelae, iis, longiore ſermone declarandis, facile ſuperſedere poſſum, cum ea in aprico poſita eſſe videantur, & in ſalutem aegrotantium haud difficulter verti quoque poſſint.

Erlanga Onoldum
miſſa d. 16. Ianuarii 1776.

OBSERVATIO XXXXIII.

Dn. D. CAROLI CASPARI SIEBOLDI
De
Singulari & curatu perdifficili Labio Leporino.

Anno 1772. menſe Novembri, Michael Schwind, puer quatuor annorum, fabri cujusdam ferrarii, in terra Sereniſſimi Principis ab Hohenlohe & Weickersheim degentis filius, ſanus caeterum & pro ſua aetate vegetus ac robuſtus, a patre ſuo curae meae committebatur. Morbus, quo laborabat, erat innatus, topicus, ſingularis, & duplex tam labii & maxillae ſuperioris fiſſura, ab utroque angulo oris tam lata, ut utriusque ſpatio apex digiti indicis potuerit interponi, tres hinc partes, duae laterales, & media una dividebant palatum ad velum palatinum & uvulam usque diffiſſum.

Tabula IV. fig. 1. iuxta mali naturam delineata evidenter oſtendit, quam monſtroſa & extraordinaria haec fuerit deformitas, quae, cum puer rideret aut fleret, ob alarum naſi & amborum labii marginum retractionem ita augebatur, ut non levem aſpicientibus moverit horrorem, & plurimi eorum, inter quos Medici & Chirurgi erant, nullam huius deformitatis ex arte chirurgica ſperandam eſſe medelam crederent. Litt.

a. a. ostendit duos labii superioris, eminentia subrubra circumseptos, multum a se invicem separatos margines, qui sub risu & fletu tam valde retrahebantur, ut quinque fere digiti in eorum hiatum potuerint poni. Litt. b. b. sistit ambas nasi cartilagineas alas, cum labii marginibus continuatas, & simul cum illis sub risu & fletu ita retractas & complanatas, ut vix nasi alarum naturalem figuram servarent. Litt. c. c. ostendit mediam labii superioris partem, pinnae nasi & mediae protuberanti maxillae superioris parti accretam, cutis tenuis, parum tela cellulosae & exiguae fibrae musculares hanc labii partem efficiebant. Litt. d. d. ostendit mediam & proeminentem maxillae superioris & narium septo, sive vomeri, unitam, non ubique ad litt. c. c. descripta parte tectam.

Tab. IV. fig. 2. sistit in capite parum retrorsum verso, narium, oris interni & palati deformitatem, horrendum sane in vivente spectaculum, hoc in situ duplex maxillae superioris & palati duri fissura, una cum ossibus spongiosis, & ossis ethmoidei cellulis, membrana pituitaria ubique tectis, non sine nausea videri poterat. Hoc spectaculum majorem adhuc horrorem excitabat, quando puer per unam aut alteram ossis maxillaris fissuram protrudebat linguam, id quod saepius facere solebat. Haec deformitas impediebat, quo minus puer ullum verbulum distincte proferre potuerit, neque dubium, quin ab ipsa jam nativitate deglutitio fuerit perdifficilis.

Quam misero loco sunt infantes horrendis ejusmodi vitiis affecti, quae praeter invisam & turpem deformitatem, quam secum ferunt, etiam legitimam nasi, narium, & oris functionem graviter laedunt? quam deplorandi & compassione digni sunt eorum parentes, praesertim, quando vix ullum huic malo auxilium supereſſe intelligunt? Putavi propterea, me rem gratam & utilem facturum, non solum miseris illis, sed toti humano generi & imprimis artis chirurgicae curiosis, si, quam modo descripsi & figuris adjunctis illustravi, singularem deformitatem hujus Academiae operibus inserendam traderem, ut omni-

omnibus palam fieret, ejusmodi vitium, ut ut grave, terribile & insanabile videri possit, nihilominus arte chirurgica tam pulchre tamque feliciter, praeter omnem parentum & aliorum spem curatum fuisse, ut vix aliquod pristinae difformitatis vitium amplius appareat.

Non is sum, ut primus esse contendam, qui talem morbum curandum susceperit, alios doctrina, experientia & nominis celebritate longe praeclariores in arte chirurgica viros sanationes similium etiam gravium deformitatum cum felici successu suscepisse non ignoro. Hos inter est D. *Zacharias* VOGEL Academiae nostrae membrum, variisque chirurgicis operibus clarissimus, qui in *Tom. III. Nov. Act. Phys. .. erv.* XLII. pag. 161. singulare labium leporinum perfecte curatum exhibet; casum duabus figuris illustrat, & methodum, quam exhibuit, fideliter describit. Quantum noster casus & nostra methodus differant ab illa, ex figura & infra describenda encheiresi nostra patebit. Alter est Dominus DE LA FAYE, Academiae Regiae Chirurgicae Parisiensis membrum, Chirurgiae Professor & Practicus celebris, plurium utilium chirurgicorum librorum autor, hic in actis Academiae Regiae Chirurgicae Parisiensis Tom. I. Part. III. pag. 18. varias similium deformitatum curas, & observationes publici juris facit, rem tribus illustrat figuris, & encheiresin suam describit. Miror ego, *Guilhelmum Fabricium* HILDANUM, tam egregium & per Germaniam nostram elapso saeculo celebrem chirurgiae practicum in suis observationum & curationum chirurgicarum centuriis nullam attulisse de labio leporino observationem; neque SAVIARDUM in sua observationum chirurgicarum rariorum collectione ullam de hoc morbo mentionem facere, cum tamen suo tempore Chirurgus fuerit multa praxi in Gallia celebris. Mihi in Franconia nostra intra octo annos septies monstrosum hoc malum occurrit, ut de simplici & curatu faciliori labio leporino nihil dicam.

Encheiresis, qua in hoc puero, & in tribus aliis, eodem malo affectis, operationem institui, haec est:

1. Exiguam & mediam labii superioris partem Tab. II. fig. 1. litt. c. c. signatam scalpello transversim, a nasi pinna ad ossis maxillaris mediam & protuberantem partem discidi.

2. Serrula huic operi adaptata eminentem litt. d. d. notatam partem osseam dissecui.

3. Labia litt. a. a. signata discindendo membranam internam, ad alas nasi usque, ab ossis maxillaris marginibus ita separavi, ut commodius protrahi & adunari possent.

4. Margines labiorum jam liberiorum, forfice ad alas nasi usque ita abscidi, ut nihil eminentiae, qua erant circumsepti, subrubrae & se unioni opponentis, remaneret.

5. Inter plures in hac operatione, ob robustam pueri constitutionem necessarios ministros, unus ambabus manibus caput pueri firmiter tenebat, & ne sanguis in trachaeam arteriam flueret, anterius inclinabat, genas & labii superioris scissi partes antrorsum & ad se invicem ita ducebat, ut duabus acubus argenteis, Anglicis, capitatis, quarum cuspides ex chalybe & triangulares erant, & iterum retorqueri poterant, illas perforare potuerim.

6. Hoc facto filum sericeum cera obductum ad formam numeri ∞ circum acus, ad lineae unius & sesqui mathematicae latitudinem ab invicem distantes, volvebam, & sanguine ubique spongia detersо acuum cuspides, ne partes labii offenderent, & rubiginem contraherent, digitorum ope retorsi.

7. Emplastris minoribus & majoribus, spleniis utrique buccae impositis, ut & fascia uniente, operationi labii leporini alias a Chirurgis destinata, adductionem & unionem laesorum labii marginum promovere conatus sum.

8. Spiritu vini cum aqua vulneraria mixto, quotidie repetitis vicibus plumaceolam vulneri impositam humectabam, & totum apparatum, si necesse erat, mutavi, exceptis acubus, quas intactas reliqui.

Facile

Facile quilibet intelligit, hanc operationem longam & taedioſam fuiſſe, praeſertim ſi conſiderat haemorrhagiam ex arteria quadam, diſſectione proeminentis oſſeae partis, laeſa, & ex coronariis labialibus ortam, ut & vehementes pueri ejulatus & geſticulationes obſtaculo fuiſſe, indeque moram & turbas accidiſſe. Non obſtantibus tamen his 5. die poſt operationem, quo apparatum una cum aciculis deſumebam, taedioſum noſtrum laborem perfecto coronatum vidi ſucceſſu, de quo & ipſe puer, parentes, & omnes operationi aſſiſtentes mecum ſummopere gaudebant. Ante octo dies ruſticus in ditione ejusdem Principis Sereniſſimi ab Hohenlohe & Weikersheim degens, qui meum auxilium adverſus idem malum, quod filia ipſius 2. annorum ex utero attulit, implorabat, mihi retulit, ſe vidiſſe & probe examinaſſe ante aliquot menſes puerum, de cujus morbo & curatione hucusque locutus ſum, eumque tam pulchre ſanatum eſſe aſſeruit, ut vix percipere potuerit deformitatis cujusdam veſtigium, quare ſe nullatenus de integra ſui infantis curatione anxium eſſe dicebat, dummodo ejus curam ſuſcipere vellem.

Cum robuſta, pro aetate, pueri fuerit conſtitutio, manifeſtum eſt, pluribus ad comprehendendum, & firmiter tenendum illum, ſub operatione tam gravi & complicata, opus fuiſſe miniſtris, quibus ſi infans unius aut duorum annorum operationi ſubjiciatur, non opus eſt. Hujus enim clamores, & geſticulationes minus fortes operationem & operatorem exercitatum non facile turbant aut impediunt.

Vix, qui artem ipſe non exercet, crediderit, quantum temporis, roboris, ac patientiae conſtiterit, diſſectio mediae oſſis maxillaris protuberantiae, nam praeterea, quod baſis ejus fuerit larga, duo alveolis ſuis inclavati erant dentes, qui eburneae fere conſiſtentiae & firmitatis ſerrulae obvii diſſecari debebant; mea autem opinione nullo alio inſtrumento quocunque opportunius & ſecurius ſeparatio hujus oſſeae partis inſtitui potuiſſet.

Dissectionem hanc serrula institutam evitare non poteram, nimis enim tenuis & parca erat labii superioris litt. c. c. Tab. III. fig. 1. delineata pars, ut unionem cum lateralibus ejusdem labii partibus sperare, & tentare possem, idque eo minus, quod jam frustra aliquot post partum diebus id ab aliis Chirurgis tentatum fuisse scirem.

Bracteola, qua usus est Clar. D. *Zacharias* VOGEL, quam neque adhibuit Cl. De la FAYE, non usus sum, usum ejus superfluum duxi.

Nullis remediis, si duo exceperis clysmata, puerum ad operationem praeparavi. Affirmant practici spatio quorundam post operationem elapso mensium fissuram maxillae ita extinctam inveniri, ut vix animadvertatur ab eo, qui rem minus accurate considerat. Hoc ita se habere, in duobus a me sanatis similibus labiis leporinis non sine admiratione vidi, & quilibet curiosus rei videre poterit. Nescio cur de hac abolitione fissurae dubitandum sit, cum incremento aetatis enim crescunt cum omnibus partibus etiam ossa, & hinc illa, quae post nativitatem a se disjuncta sunt, etiam magis ad se sensim accedere posse facile concipitur.

Supra laudatus D. De la FAYE in Actis Academiae Chirurgicae Parisiensis citat *Mangetum*, *Anton. de* HEYDE, Henr. VOLGNADIUM, BARTHOLINUM, NUCKIUM, *Joh. Ludovicum* HANNEMANN, *Daniel Lud.* VAN HORN, & FRANCO, qui de simili labii leporini tam difformis specie scripserunt, inter quos duo ultimi methodum illud curandi pertractarunt. Primus refert infanti eminentiam osseam Tab. IV. litt. d. d. fuisse excisam, ad fugendi restituendam facilitatem & ad sistendam haemorrhagiam cauterium actuale fuisse ossi & arteriae interosseae laesae applicatum. Alii eminentiam hanc forfice incisiva abstulerunt, & ipse De la FAYE confirmat hunc casum esse valde difficilem. Cauterium actuale ad sistendam haemorrhagiam crudele nimis remedium & curae obstaculo esse judico, mihi spiritus

ritus vini rectificatiſſimus per ſpongiam arteriae applicatus perfecte ſatisfecit.

Wirceburgo Erlangam
miſſa d. 20. *Ianuarii* 1776.

OBSERVATIO XXXXIV.

Dn. D. CAROLI CASPARI SIEBOLDI

De

Felici Penis Carcinomatoſi Amputatione.

Anno 1773. die 20. Octobris ruſticus 46. annorum, homo, quantum ex habitu faciei, totius corporis, & pulſu judicare licebat, ſanus & vegetus, meum implorabat auxilium. Morbus, quo afficiebatur, erat carcinoma penis, verrucoſis excreſcentiis tam enorme & horrendum, quam illud Tab. IV. Fig. 1. & 2. ab utroque latere repraeſentant. Non tantum viſu horribile erat hoc malum, ſed tam intolerabilem edebat foetorem, ut cum naribus totum quoque muſeum meum, antequam illud aſpicerem, eo mox fuerit infectum. Similem figuram penis cancroſi exhibet *Guilhelmus Fabricius Hildanus* additque hiſtoriam feliciter ejus inſtitutae operationis. *a*) In cauſas hujus mali inquirenti, ſe ante unius anni decurſum dolorem titillantem & mordentem in glande, & interna praeputii membrana, cum veſiculis liquore pellucido impletis, perpeſſum fuiſſe, aegrotus mihi narrabat, ſeque nullam poſſe aſſignare cauſam, qua hoc ſibi malum contraxerit, & usque huc ſe diriſſimos & vix tolerabiles dolores hac in parte ita quidem fuiſſe paſſum, ut ſaepius prae illorum vehementia lectum tenere debuerit, ſponte mihi fatebatur. Se ſe contagii venerei periculo unquam expoſuiſſe omnino negabat. Eryſipelaceum

a) Vide ejus Lib. Chirurgicum in fol. 1652. obſerv. LXXXVIII. german. Edit.

quid ab initio fuisse, & malum hoc ab acri humorum diathesi ortum, ipse, fortasse ex Medici, quem ante me consuluit, judicio opinabatur; vix ego aliter de causa morbi cogitare poteram. Aegrotus non nisi ab amputatione carcinomatis, in sana parte penis instituenda, auxilium exspectans, hanc absque omni mora, ob dolorum vehementiam, a me avide desiderabat. Nullo alio quocunque remedio, quam amputatione curam fuisse tentandam & sperandam, omnes illi mecum sentiebant, qui medicis oculis malum hoc mecum examinarunt. Et quis quaeso in tam enormi partis hujus carcinomatosa degeneratione, quam figurae nostrae ad vivum sistunt, usum cicutae, aut aliorum ita dictorum specificorum remediorum suadere, & adhibere ausus fuisset? nunquid malum hoc, momento, cultelli ope, curabile, longiori mora, qua dubia interna remedia, qualia omnia & singula hucusque, etsi summis encomiis elata, esse judico, fuissent adhibita, incurabile deveniſſet, & certae aegrotus traditus fuisset morti; id quod Clarisſ. *Haenius* cicutae usui non absque fundamento opponit *b)*, & me variis in cancris tam mammarum, quam labii inferioris, docuit experientia; nollem tamen suas, in certo quodam hujus mali gradu, cicutae virtutes efficaces denegare.

Quare aegroti petitioni satisfacere, & illum eodem vesperi, quo hic Herbipoli advenit, clysmate ad operationem praeparare nullatenus haesitabam, nec minimum enim erat symptoma in aegroto detegendum, quod longiorem exigeret praeparationem. Pulsus erat naturalis, lingua humida, sana, singula viscera suo rite fungi munere, & omnia in corpore, si partem affectam exceperis, salva esse mihi videbantur. Sequenti die operationem hac encheiresi instituī: 1. Linteo integram, ut manu facilius & securius quidem prehendi posset, circumvolvebam, visu & foetore nauseosam, partem. 2. Partem perfecte mollem & sanam medio pollice a morbosa, retracto quan-

b) Vide literas ejus ad Cl. *Tralles.*

quantum ad cicatricem opus praeputio, faſciae medio pollice largae quibusdam circularibus firmiter ſtringebam, quo corpora cavernoſa una cum urethra ad ſe invicem ita adducebantur, ut mole diminuta, & nervis compreſſis, operationis dolor notabiliter diminui poſſet. 3. Scalpello curvato, ſive falciformi, penes hanc faſciam, partem affectam, ſiniſtra prehenſam, unica & celeri inciſione amputabam. 4. Cum tres circiter unciae ſanguinis, tam per corpora cavernoſa, quam per arterias ambas iſchio-cavernoſas, relaxata circulari faſcia effluxerint, & haemorrhagia ceſſare nollet, ſpiritu vini rectificatiſſimo vulneratam hanc penis partem, ad conſtrictionem & retractionem vaſorum efficiendam, attingebam, ſed nullo inde effectu ſecuto, inſtante animi deliquio, acu curvata a celebri Londinenſium Chirurgo *Bromfield* delineata *c*) & publici juris facta, ambas arterias protractas filo, cera obducto, ligabam, & ſenſim ex corporibus cavernoſis aeque ac illis arteriis ſanguis fluere ceſſabat. 5. Linteo carpto, ſpleniis & faſcia aqua vegeto-minerali madefactis partem deligabam; ſplenia in medio erant perforata, ut urina facile excerneretur.

Nulla taedioſa ſymptomata operationem ſequebantur; primis tribus diebus pulſus vix febrilis, ſitis mediocris, & ſuppuratio tertio die bona ſatis & ſufficiens erat, vulnus magnis paſſibus conſolidationi accedebat, & digeſtivo ſimplici deligabatur: tam bene ſe habebat aeger decimo poſt operationem die, ut permiſſionem domum redeundi a me peteret, nec doloribus nec alia quadam incommoditate vexatus, & ſumptus, quos in diverſorio facere debebat, longius ferre nequiens. Cum 4. die urinae pateretur retentionem, nulli alii cauſae, quam urethrae transciſſae incipienti coalitioni cannulam eburneam, ad impediendam hanc, ipſi immittebam, quam ut ad perfectam curationem vulneris usque applicaret, & per aliquod adhuc tempus portaret, illum hortatus ſum.

Hoc

c) Vide Obſervationes german. Edit. Tab. 1. fig. 4.

Hoc in ſtatu, ligaturis arteriarum iſchio-cavernoſarum nondum ſeparatis, gratus, &, licet pene quatuor circiter pollicibus accurtato, laetus domum rediit. De vulneris cicatrice brevi abſolvenda non erat dubitandum, nihil enim aderat, quod poſſet obſtaculo fuiſſe. Clar. quidem D. *Zacharias Vogel d)* decimo poſt ſimilem operationem die, vulnus conſolidatum eſſe ſcribit, ſed an cum uxore coitum exercere potuerit, ignoro. Nulla vero mihi dubitandi eſt ratio, cum plus quam media penis pars remanſerit ſana & intacta. Exempla proſtant, quibus viros, amputato fere juxta ſynchondroſin pubis, pene, mulieres tamen impraegnaſſe ſuas, confirmatur. Unum tale in *Franconicis collectionibus e)* reperitur, quod a viro maxima fide digno Academiae hujus membro, & mihi, cum viveret, amiciſſimo D. *Boenneken*, Phyſico olim Suinfurtenſi celeberrimo, cum tam evidentibus quibusdam circumſtantiis refertur, ut vix minimum de veritate facti poſſit obmoveri dubium. Scimus deſuper ex anatomica uteri ſtructura, illum, dum appetit, deſcendere, & ejaculanti peni obvium ſeſe offerre, id quod *Galenus* ipſe affirmat *f)*, & facile etiam concipitur ex illis caſibus, qui de virginum impraegnatione absque omni tam dilatatione, quam laceratione, ab artis obſtetriciae practicis adeo annotati ſunt. Clar. *Levret*, unus ex celebetrimis artis obſtetriciae magiſtris & meus quoque hac in arte, cum ante novem annos Pariſiis degerem, ad cineres usque devenerandus praeceptor, id confirmat *g)* dum dicit: Mulier absque dilacerato hymenis circulo poteſt impraegnari, exempla proſtant inconteſtabilia.

Hanc quam adhibui penem amputandi encheireſin, ut ſimplicem, ſic minus crudelem, & dolorificam, itaque aliis complicatioribus praeferendam, nemo non videt; nullus in veſicam

d) Vide ejus obſerv. chirurg. XVIII. pag. 107.

e) Vide *Fraenkiſche Sammlungen* Vol. VI. Part. 34. pag. 335.

f) Vide de Sem. Cap. IV.

g) Vide L'art des accouchemens pag. 29.

veſicam per urethram immittitur catheter & nulla injicitur ligatura, quae ad deſperationem usque in tam nervoſa & ſenſibili parte irritare mihi videtur; hanc cum ſucceſſu quidem ſuo tempore adhibuerunt *Fridericus Ruyſchius h)* & Chirurgus quidam Italus *i)*, damnat vero egregius Chirurgus ille Gallicus *le Dran k)*, qui facta amputatione, & arteriis ſanguinem fundentibus ligatis, cannulam urethrae immittendam ſuadet, idemque proponit ſupra laudatus *Guilhelmus Fabricius Hildanus*, qui tamen ante *Ruyſchium* & alios, crudelem ligaturam ſimplici amputationi praeferentes, practicos, elapſo ſcilicet ſeculo, chirurgiam exercuit.

Iam dum haec ſcribo, in mentem venit vir quidam honeſtus, & ex optimis civibus unus, cui ſimilem, quo affligebatur, carcinomatoſum & verrucoſis excreſcentiis obſeſſum, penem, ne vitae periculo expoſitus eſſet, amputare debebam. Hic ſupra deſcriptam noſtram methodum, prae ligatura, eligebat, & faſtus mihi eſt, imaginem ligaturae parti ſanae & tam nerveae conſtrictae, horrorem, & animi ipſi concitaſſe deliquium, quem effectum in ipſo non producebat imago amputationis, tanquam minus dolorificae. Illud hic addendum puto, nimirum, tam copioſam ex una arteria iſchio cavernoſa ſecutam fuiſſe haemorrhagiam, ut bis per diem in lethale fere inciderit animi deliquium, de quo & mulier, cum infantibus, & cognati, mecum non parum erant anxii; ſtetit tandem ex poſt ſponte haemorrhagia. Unam ex his arteriis ligabam, altera ſic erat ſub integumentis communibus retracta, ut ſub conamine illam protrahendi & ligandi, imum ſecutum ſit animi deliquium. Cum vero ex aliorum obſervationibus mihi conſtaret, etiam ſponte ſenſim haemorrhagiam, ſpeciatim poſt

h) Vide obſerv. anat. chir. centur. obſerv. XXX. pag. 29.

i) Vide tractat. chirurg. D. *Palucci* edit. German, obſerv. I. de amputatione membri virilis.

k) Tractat. de operationibus pag. 206.

post grave animi deliquium, substitisse, non eram adeo anxius, tanto autem major erat anxietas, cum de novo haemorrhagia inciperet; suaderem hinc, nunquam aegrotum, qui talem sustinuit operationem, ante ambarum harum arteriarum ligaturam lecto tradendum esse. Quamvis enim nullum adesse videatur vitae periculum, inquietudo tamen, cum terrore summo, praesentibus & operanti injicitur, quam ligatura praevenire non ita difficile est. Dein certum est, si ex penuria, aut tenuitate sanguinis tales aegroti laborent, varios ex his causis generari morbosos & chronicos, interdum curatu difficiles, effectus.

Cum de pene ejusque amputatione dictum fuerit, non erit incongruum, illi subnectere aliud, quod circa hanc partem in praxi mea obvium, & diario meo insertum, reperio, forsan rerum curiosarum, quas Academia perhibet, collectioni adnumerandum; est nempe *Penis Cornutus*, quem in paupere quodam operario, 40. annorum viro, deprehendi, vid. Tab. V. fig. 1. Cornu hoc synchondrosin pubis versus directum, & ultra semi pollicem longum, in apice incurvatum, ex illa superiori coronae glandis parte propullulatum est, postquam praeputium, ob magnam angustiam, qua urinae exitus impediebatur, a Chirurgo medium ante annum fuit abscissum. Praeter majus cornu lit. a. consignatum, alia bina minora, lit. b. & c. consignata, ex continuatione coronae glandis emergere incipiebant. Radicitus illa exscidi, & brevi secuta bona suppuratione, consolidata sunt ulcera. Cum nulla luis venereae haberem signa, mercurium non exhibui, sed lenibus purgantibus, & decocto purificante, aegrum per aliquot menses tractavi, qui, ob magni in exercendo coitu obstaculi ablationem, laetus & gratus domum petiit. Similes excrescentias in femore, natibus, adeo in fronte, aliisque partibus corporis humani egerminatas aliqui observarunt in arte viri clari. An sedem suam proximam haec cornua, quae hic communicamus,

in

in glandulis ſebaceis, quibus corona glandis ſcatet, habeant? vix dubitandi ratio eſt.

Wirceburgo Erlangam-
miſſae d. 3. Martii 1776.

OBSERVATIO XXXXV.

Dn. D. FERDINANDI IACOBI BAIERI

Modus arcendi foetorem in cancro mammarum exulcerato.

Inter morbos chronicos, qui artem ſalutarem remorari ſolent, eminet cancer mammarum exulceratus moleſtis admodum ſymptomatibus ſtipatus. Dolores, putrilago, febris hectica, foetor & incommoda plura mitiganda & demulcenda ſunt. Eſt ſane haec genuina methodus ac regula medendi, ut, ſi ſanitatem reddere non licuerit, circumſpiciat tamen ſaluti providens vitam ſervare ac prorogare, & calamitoſis juſtum afferre levamen. Maximam vero creat moleſtiam odor foetidus & ingratus, quem aegrotae & adſtantes averſari ſolent, ex ichoris flaveſcentis & ſanguinis nigricantis putrilaginoſi effuſione. Tertia jam vice in hoc caſu curam adhibui palliativam haud infelicem, nec defui, quin ratio remediorum internorum aeque ac externorum indicationibus reſponderet. Quando igitur in ulcus corroſivum ac ſanioſum cancer degeneravit, ad ſorditiem mundificandam & abſtergendam optime profuit ab initio per aliquot dies unguentum digeſtivum: R. Terebinth. Venet. c. aqu. plantag. lot. ʒj. G. elemi, ol. ovor. hyoſcyami expr. āā ℈ij. Croci auſtr. gr. iij. vitell. ovor. q. ſ. ad ſubigendam terebinthinam M. Ad hyperſarcoſin coercendam margini inſpergebatur pulvis erad. ariſtoloch. rotund. verae, hb. ſabin. Lap. calam. ppt. āā ℈iv. Sacch. ſaturni ℈j. In peripheria defenſionem adimplevit emplaſtrum de ſperm. ceti & de hyoſcyamo partibus aequalibus concinnatum, vel etiam ſparadrapum ejusdem virtutis cum aethiope minerali ſociatum. Omnem

vero graveolentiam abſtulit cum inſigni ſuppurationis moderamine mixtura balſamica. R. Spir. matrical. ʒiij. Eſſ. myrrhae ſ. alcali par. ʒiß. balſ. peruv. nigr. ʒj. ol. terebinth. ʒß. M. cum linteo carpto applicanda. Porro eandem praeſtitit energiam epithema: R. Spir. vini rectif. ʒiv. extr. tabaci, tormentillae, plantag. pulv. myrrh. rub. elect. āā ʒij. Stent in digeſtione ad juſtam ſolutionem.

Optime quoque profuit ſuccus tabaci rec. expreſſus cum oleo myrrhae p. d. & Eſſentia ſuccini ad cohibendam putredinem. Tandem facculi e ſpeciebus paregoricis & reſolventibus parati in ſubſidium vocati ſunt, & ſic continuato uſu res aegrarum non ſolum tranquillae, ſed etiam omnibus exhalationibus foetidis vacuae permanſerunt. Quicquid enim non poteſt tolli in totum, ſatis eſt, ſi in tantum fiat, ut tolerari poſſit, atque ita prorogari, & produci ſic ſaltem vita.

OBSERVATIO XXXXVI.

Dn. D. FERDINANDI IACOBI BAIERI

Oris tortura curata.

Paulo quidem rarior, ſed gravis eſt oris tortura, morbus circa faciem innaſcens, admonente Celſo Lib. IV. cap. 2, quem Graeci ſpasmum cynicum vocant, idiopathicus praeſertim, qualem ſequens ſiſtit caſus.

Vir quidam rei venatoriae deditus hypochondriaco-ſcorbuticus, annum agens quadrageſimum quintum, circa ſolſtitium aeſtivum cum tempore diurno ex motu corporis admodum incaluiſſet, nocte autem inſequente pluvioſa levem horrorem ſenſiſſet, altero die oris tortura, ſive diſtorſione obliqua ſurſum verſus tempus dextrum inopinatum corripiebatur, atque illuc etiam pars faciei dextra trahebatur, ſiniſtra contra laxa & molli remanente, quin imo oculi ſiniſtri palpebram nec claudere, nec oris ſiniſtra parte ſorbere aut flare, aut literam

teram pronunciare poterat, adeo, ut ſiniſtrum faciei latus quaſi inſenſile ac ſtupidum notaretur.

A cito nimis impedita tranſpiratione inſenſibili inductam eſſe muſculorum contractionem, ex hiſtoria morbi patet. Ut igitur ulterior humoris acido viſcoſo ſcorbutici ad ramulos nervorum affluxus, eorundemque obſtructio & lateris ſiniſtri faciei paralyſis per humoris ſtagnantis diſcuſſionem ac remotionem, atque meatuum apertionem, ſicque reſtauratum liquidi nervei influxum tollatur, ſanguinis miſſio conducit in brachio dextro celebrata, adhibitis ſimul remediis nervinis & antiſpasmodicis. Poſt aliquot dies purgatio inſtituta fuit cum pilulis de ſuccino & mercurio dulci, deinde maxime proficuas expertus ſum ſpecies pro vino medicato e rad. imperator. angelicae, irid. flor. L. ſaſſafras, fol. & flor. paralyſ. roris marini, ſalv. baccis juniperi, ſem. foenic. dulc. cubebar. cardamomi. Aſt longe optima fuerunt evacuantia particularia, maſticatoria, errhina & ptarmica ipſa, frigidi, pituitoſi obicis optima antidota. Pro ptarmico uſu praeſcribebatur pulvis rad. irid. flor. mechoacannae albae, fl. benzoes, ſacch. alb. ol. majoranae, nigellae deſtill. acuatus. Pro apophlegmatiſmo cubebae, piper longum, cortex Winteranus, ſem. angelicae, ſinapi, naſturtii c. ſacch. alb. & mucilag. G. tragac. in forma trochiſcorum exhibebantur, qui laticem ſalivalem tanta cum euphoria moverunt, ut inter breve temporis ſpatium omnis faciei deformitas, una cum uſu loquelae integro in ſtatum naturalem reſtitueretur.

OBSERVATIO XXXXVII.

Dn. D. GVILIELMI HENRICI SEBASTIANI BVCHOLTZ

De

Naphtha aceti.

Jam pridem in ephemeridibus gallicis, Iournal encyclopedique inſcriptis, inventorem naphthae aceti ſe confeſſus erat Comes de *Lauragais*, nulla tamen de conficiendi modo mentione facta. Quo perlecto fluidi iſtius praeparationem tentare conſtitui, naphthis ex omnibus cognitis regni mineralis acidis elaborandis per duodecim annos paene continuos occupatus, qua in re utilia inventa, quae obſervare mihi fuit occaſio, ſuo tempore in publicum edam.

Ex aeris aerugine vel ejus floribus aceti ſpiritum volatilem atque ſaturatum, ad aceti naphtham elaborandam qui pertineat, deſtillari poſſe, me haud fugiebat. Hoc fluidum praeparatum atque cum decenti ſpiritus vini quantitate mixtum & deſtillatum, nihil quod naphthae in proprio ſenſu ſimile eſſet, dedit. Cujus enim liquoris cum odor tantum inſuavitatis haberet, tantumque nares offenderet, inter remedia utilia numerare nullo modo potui. Adde valde acidum odori iſti intolerabili iunctum ſaporem, a parte aceti inflammabili proficiſcentem, cum acetum metallo concentratum eo iterum liberatum fuerit.

Statui ergo acetum deſtillatum cum alcali fixo concentrare, vi ignis id liberare, & hac ratione ita dictum acetum radicatum parare. Quod fluidum deſtillatum, & quod ratione odoris volatilis a deſcripto aeruginis aceto admodum diverſum eſſet, cum ei decentem rectificatiſſimi ſpiritus vini portionem admiſcuiſſem omnique induſtria atque cautelis deſtillaſſem, nulla naphtha, ſed liquoris anodyni vegetabilis mediocriter

criter odorem naphtae ſpargentis ſpecies, orta eſt. Praetereo cetera hoc ſtudio facta tentamina, ne ſim nimis longus.

Brevibus, ſpe iſto tempore deſtitutus finceram optimamque methodum naphtham aceti nanciſcendi, ante aliquot tempus in egregie ſcripta, lectuque digniſſima diſſertatione inaugural. *Ioann. Chriſtoph. Weſtendorffii* Wismarienſ. *de optima acetumc oncentratum ejusdemque naphtham conficiendi ratione, utriusque affectionibus ac uſu medico cet.* Goettingae 1772. habita, ubi probabilem hujus naphthae conficiendae methodum inveni. Experimenta a Celeb. *Weſtendorffio* imprimis ea de cauſſa mihi arridebant, quod acidum aceti ad alcali ſalis marini concentratum eſſet, ipſeque praeſcirem, acidum aceti cum alcali puro ex ſale marino junctum, terram foliatam tartari, perraro in aëre humido deliqueſcentem gignere, quod mihi ſpem magnam ſcopo potiundi, daret.

Recepi itaque libram unam ſodae alicanticae nigri coloris in pollinem redactae. Huic pollini in vitro capaciori aquae fontanae adfudi libras quatuor: tum repoſui in fornace calida atque lignea virgula probe agitavi. Viginti quatuor horis elapſis miſcelam charta bibula percolavi, atque curavi, ut in vaſe vitreo heic apto adeo evaporaret, donec in aere frigidiuſculo inde cryſtallos orituras eſſe ſuſpicarer. Cum vero nullae, ut a principiis chemicis ſperare potuiſſem, cryſtalli reperirentur, ſed in vaſis fundo ſalſa ſevoſaque maſſa haereret, totum usque ad ſiccum in catino teſtaceo, qui encauſto pictus erat, evaporare juſſi. Hoc labore peracto, reſtabat ſiccum atque pulverulentum ſal, quod pondus quatuor unciarum cum dimidia habebat, cui in magno vitro (Zucker-Glas) ſub continua agitatione libram fortis aceti e vino deſtillati, ſenſim admiſcui, certiſſime perſuaſus, fore ut maſſa effervesceret: ſed ſpe decidi. Cum autem per noctem (medio Martio) in temperato frigoris gradu fuiſſet, poſtero die albas, nitidas laevesque, cum tangerentur, cryſtallos inveni, quae ſalis mirabilis Glauberi ſimiles eſſent. Plus deſtillati aceti cum adfudiſſem,

non

non amplius efferbuit, qua de cauſſa maſſam totam in ahenum ex aurichalco factum idque amplum miſſam, igni impoſui, ut ad ferventis aquae gradum caleſceret. Tum lignea virgula continuo agitans, acetum deſtillatum tam diu admiſcui, donec fervens maſſa quieti ſe traderet. Acetum hac vice, cum maſſa igni impoſita eſſet, admixtum, ſex librarum pondus habebat. Maſſa eodem modo efferveſcebat, quo aliud fixum alcali aceto deſtillato mixtum, ſolet. Poſtquam latis aceti hoc ſal recepiſſet, colavi calidam adhuc maſſam charta bibula duplicata, in qua, cum omnis humor perfluxiſſet, albae, & ad tactum tenerae terrae magna pars remanſit, quam ulterius examinandam reponebam.

Fluidum illud ſubfuſcum percolatum in aheno ſupra nominato immunditiis liberatum ad ignem modicum adeo in vaporem actum, ut libra ſaltem remaneret, nullas cryſtallos reliquit. Eundem humorem vitro urinario immiſſum, in puſula, evaporationis ope, eo usque conſumſi, ut arte chemica cryſtalli expectari potuiſſent, ſed hac etiam vice me fefellit opinio, cum maſſam hanc, frigidiſſimo tum libero aeri, per tres dies totidemque noctes expoſitam, cryſtalliſationis ne umbra quidem ſequeretur.

Poſtquam denique unciam adhuc dimidiam leniſſimus calor abſtulerat, & vas refrigeratum tum inclinarem, ut quid in imo vaſe eſſet, videri poſſet, cryſtalla minima oculis meis ſe obtulere. Idem illud nominatae diſſertationis auctor §. L. notavit: „cum in quiete, inquit, liquor per aliquot dies ſte„tiſſet, & ego vitrum poſt haec inclinaſſem, ut videre poſſem, „an cryſtalli natae eſſent; tunc ſub hoc leniſſimo motu ſtatim „in liquore oriebatur calor cum exhalatione forti acetoſa vo„latili, atque inſequente coagulatione totius liquoris cryſtalli„na„. cet.

Parvae hae, vaſis motu ortae cryſtalli, magna parte terrae mixtae mihi videbantur, ideoque huic lixivio aquae purae unciis quatuor adfuſis, vitrum arenae calidae impoſui, ut cry-

cryſtalli iſtae perexiguae denuo reſolverentur; quo facto humorem colavi, non exigua terrae parte reperta, in colo, cum humor tranſiiſſet, reſidua, quae a terreſtribus oleoſisque, quae aceto vini ſunt, partibus, proficiſci videtur, cum qualibet exhalatione, uti ſequentia docebunt, & repetita colatione, ejusmodi terra adeſſet. Facta in eum modum exhalatione, ut cryſtallos futuras ſuſpicarer, vitrum hoc fluido repletum, per noctem aëri libero tum admodum frigido, expoſui, poſtridie pulchras, nitentes, longiſſime aculeatas ſalique mirabili Glauberi perfecte ſimiles cryſtallos nactus (vid. dictae diſſert. §. VII.) quas, ut ſiccae fierent, modice calefactae fornaci impoſui. Altero die admodum miror, omnes iſtas cryſtallos ſplendorem, quem tam egregie ſparſerant, perdidiſſe & inſtar ſalis mirabilis Glauberi, cum nimio calori traditur, occaecatas, atque ad tactum in album plerumque pulverem tranſientes. Has igitur cryſtallos per calorem adeo mutatas in reſiduum humorem ſalis mei acetoſi injeci, uncia aquae purae addita; quam maſſam, donec ferveſceret, in puſula calefaciendam curavi, cumque noctu libero aëri, ut antea, tradita fuiſſet, ſequenti mane pulchrae eaeque longiſſime aculeatae cryſtalli exſtitere, quae aqua frigida citiſſime ablutae, cribroque impoſitae in aëre, qui conclavi modice calidus erat, ſiccabantur.

Acta omnia hactenus narrata toties repetebantur, quoties cryſtalli adhuc orirentur, quarum ultimae, quod notari meretur, pulcherrimae & maximae erant. Quaelibet autem nova cryſtalliſatio, novam quoque ſubfuſcae mollisque terrae partem, imum petentem, habebat, quae colando inde ſeparari debebat. Ne vero quidquam ſalis periret, colum cum charta, cui ſal ad ſiccandum dabatur, aqua deſtillata frigida ſemper eluendum curabam.

Reſiduum ſalis lixivium, quod jam quinque ſalis acetoſi uncias dederat, per duos menſes in officina chemica opertum repoſui: quo facto, pulchrarum magnarumque cryſtallorum, quae ſalis de Seignette ſimiles erant, magisque quam quae pri-

ma vice ortae, flaverent, duas uncias cum dimidia accepi. De cryſtalliſatione ſalis e vini aceto (ſel de vinaigre) tacere praeſtat, ut de ejus indole quaedam commemorare poſſim. Sali huic neque ſapor neque odor acidus erat. Drachmam ejus dimidiam ad pulverem redactam in vaſculum vitreum, odoribus inde hauriendis paratum (flacon) miſſam, adſperſi duabus vel tribus guttis olei vitrioli fumidi Nordhuſani, unde ſubtilis volatilis isque acidus ſpiritus exhalabat, qui mihi ſociisque nares admoventibus, lacrumas, ut fortiſſimus ſpiritus ſalis ammoniaci ſolet, exprimebat. Hoc ſale, inſtar ſalis volatilis ſingularis efficaciae & generis, ut ego quidem opinor, hyſtericae imprimis, tum deliquiis tum ſpasmis vexatae, uti poſſent.

Aetherem acetoſum ſequenti modo obtinui. Quatuor uncias pulveris cryſtallorum, quae acetoſo prima cryſtalliſatione ortae erant, denuo modico calore ſiccatas, ut ſuperflua ex aëre attracta aqua ſepararetur, in vitream tubulatam retortam, quae duas libras capere potuiſſet, injeci, eamque in puſula poſitam, excipula decentis magnitudinis inſtruxi, & juncturas veſica ſuilla madefacta, linoque craſſiori clauſi. Per os retorti vaſis epiſtomio vitreo inſtructum ſenſim inſtillabam olei vitrioli boni fumantis Nordhuſani duas uncias, ita ut circiter drachma ſingulis vicibus intraret. Cum oleum inſtillare pergerem, vehemens ſatis effervescentia atque exaeſtuatio oriri coepit, multique vapores albi & ſuffocantes expulſi, in excipulam, dum os ſuperius in dorſo vaſis retorti, epiſtomio e luto madido confecto, aſſidue clauſum erat, abibant.

Dicta quantitate olei vitrioli immiſſa tubuli fictilis Batavi manubriolo ſalis oleique maſſam bene miſcebam, ore ſuperiori veſica clauſa. Tum ignem, qui perpaucis parvisque carbonibus tam diu aequali gradu alebatur, quamdiu albi vapores in excipula apparerent, admovere coepi. Vapores cum diſparerent, ignis gradus ſenſim ſenſimque adeo augebatur, ut omnis

omnis volatilis ſpiritus aceti permearet, albique vapores in retorto vaſe & excipula penitus evaneſcerent.

Aperta poſtero die excipula, duas uncias cum dimidia humoris deſtillati, qui fortiſſimus erat, admodum volatilis ſpiritus aceti invenio. Reſiduum in vaſe retorto alba ſolidaque ſalis maſſa, quæ verſus imam partem vaſis nigricabat. (Vero ſimillimum eſt colorem hunc mutatum ab inflammabili oleoſa ſalis indole proficiſci, quæ una cum concentratis e vitriolo acoribus reſinoſum quid gignit) Iam ſpiritum hunc aceti fortiſſimum, in eodem vaſe retorto tubulato, cujus ope a ſale ſeparatus erat, quatuor unciis puriſſimi, quater rectificati ſpiritus vini ſenſim miſcebam, ut fieri ſolet, dum oleum vitrioli ſpiritu vini, ad parandum liquorem anodynum Hoffmanni, miſcetur. Vas retortum reponebatur in puſula cinere repleta, & excipula ad hunc laborem apta inſtruebatur. Cinerem loco arenae ea de cauſſa eligebam, ut nimius calor, cum fieret deſtillatio, vitaretur; quod ut eo certius accideret, loco carbonum lampade uſus ſum, ne experimentum contraheret vitium aut deficiente providentia incaſſum iret.

Lampas ad id negotium ſtudio confecta duobus tubulis (*Dillen*) inſtructa erat, ut, ſin opus eſſet, duo ellychnia accendi poſſent. Experientia autem teſtatur, ad ortum atque evolutionem omnium naphtharum primum lenem fomentationem aut digeſtionem mixti fluidi requiri, eaque de cauſſa prioribus quatuor diebus ellychniorum unicum ut arderet, curavi, cui veſpere tantum olei dabam, ut flamma per totam noctem aleretur. Hoc modo cineris calor non majorem gradum adipiſcebatur, quam gallinae incubantis fere eſſe ſolet.

Quatuor diebus peractis alterum ellychnium incendebatur, lampasque ſubjecto lateris fruſtulo puſulae propius admovebatur: quo facto verſus quinti diei meridiem humor ſenſim in conſuetis faſciis (quemadmodum fluidum, multa naphtha gravidum tranſire ſolet) in excipulam ſtillavit. Hoc caloris, quem dixi, gradu uno die fere tres unciae permeabant,

cumque orta vesperа circa horam octavam nihil amplius sequeretur, altero die loco ignis, quem lampas dederat, ignem modicum carbonibus paratum, eligebam, qui, residuum de spiritu quod esset, transmitteret.

Ob alia, quibus distinebar, negotia demum quatuor hebdomadibus absolutis ad experimenta rediens, excipula sublata, admodum suavem spiritum ibi reperi, qui admodum recreabat nares, vini optimi Rhenani odorem spargens. Ab aliis ergo naphthis omnibus tam odoris quam saporis ratione longe alienus erat.

Duæ drachmæ spiritus hujus destillati seu liquoris anodyni vegetabilis, cum eadem aquæ portione in vasculo vitreo bene mixtae, in superficie circiter dimidiam naphthæ drachmam ostendebant. Quo fluido in aliud vitrum embolo polito instructum fuso, tenerum illum vix visibilem vaporem animadverti, qui apparet, quoties naphthæ in aliud vas mittuntur, quemque nemo, nisi in ejusmodi rebus exercitatus, videre consuevit. Continuatio in posterum sequetur, quæ alia de naphthis mineralium acidorum experimenta suppeditabit.

Vinaria Onoldum
missa die 29. Martii 1776.

OBSERVATIO XXXXVIII.

Dn. FVCHSII

Sontici cujusdam vulneris transversalis in larynge, feliciter ad sanitatem perducti.

Miles quidam robusto corpore, ejus generis, qui pyrobolarii, nostratibus *Grenadiers* vocantur, de tertia prætoria cohorte, sub centuria Praefecti Majoris de Thermo, nomine Beyer, ætatis XXX. annorum, temperamenti cholerici, is forte cum aliquo commilitonum jurgia & inimicitias gerens, de-

desperabundi animi propositum inierat sese submergendi; quocirca fero vespere e diversorio suo clam omnibus egressus, in alveum plenum aquæ se præcipitem dabat, nilquicquam, non mergebatur enim, sed recta domum repetens, in granarium aliquod non valde sublime supra latrinam conscendebat, ibique sibi jacenti guttur transversum novacula præscindebat.

Commilitones ejus illum desiderantes, ubique perquirendo, tandem eum in hoc situ offendunt.

Hæmorrhagiam profecto quidem multo maximam fuisse dicunt, atque æger de facto, scilicet die XXVI. Decembris 1775. in nosocomium delatus fuit.

Erat autem vulnus tres pollices longum, & cartilagines thyroideæ ferme in medio transversaliter plane perscissæ, sed cartilagines arythenoideæ tantum incisæ erant, arteriis thyroideis, una cum binis musculis hujus nominis abscissis, simul etiam latera anteriora musculorum platysmamyoideorum, & musculi sternomastoidei incisi erant. Arteriæ vero carotides & venæ jugulares, tam in-quam externae salvæ erant.

Aeger animo etiamnum desperabundo, commilitonibus suis, quorum opera in nosocomium delatus & quibuscum ante altercatus erat, capite in sublime erecto objurgare volebat; verum vice articulatæ vocis, e loco vulneris inconditus sonus instar rugitus exaudiebatur, simul etiam copiosus aër una cum muco cruento e vulnere prodibant, ita ut flamma binarum candelarum, ad vulnus lustrandum præsentium, aëris proflantis vi extingueretur. Eodem tempore cum tussi crebra & vehementi copiosus sanguis congrumatus pituitæ mistus insequebatur, qui statim post factam incisionem de vulnere in pulmones destillaverat.

Postea aegri capite valdopere antrorsum inclinato, ac vulnere prius purificato, statim labia vulneris, ope emplastrorum unientium adunata, deligabantur ligatura sicca, quæ pluribus circularibus circumductionibus in collo firmabatur; ad caput autem figendum, tenuis, sed firma tamen, fibula

lignea obvestita, longitudine binarum spithamarum ac manum lata, ad nucham applicabatur; quae eadem fascia, pluribus circuitibus circa collum ac frontem, sese in nucha decussantibus, deinde inter scapulas infra brachia reflexis in situ suo immobilis retinebatur.

Sic capitis perpetuo antrorsum reflexi immobilitas efficiebatur mediante fascia, quae dicitur funda inclinans capitis (verticem capitis ambiente): cum capitibus, cujus antrorsum de fronte pendentibus, utroque 6. ulnas longo & tres digitos lato, circuitiones super mentum fiebant cruciatim, ita, ut dextrum fasciae caput infra brachium sinistrum, & sinistrum fasciae capitulum infra dextrum brachium ducerentur, utraque capita illinc sursum adscendendo decussabantur super extremitate fibulae ligneae ad nucham applicatae, atque hinc utrinque ad latera capitis descendendo, sese denuo ante mentum decussabant; & istae circumductiones tam crebro reiterabantur, quousque longitudo fasciae permitteret.

Hanc positionem scopo accommodatus situs in lecto plurimum adjuvit; ad quam toto curationis curriculo ad finem usque servandam cum fasciatione tum eodem situ in lecto servato cogebatur aeger; in quibus, ne hic quid turbare posset, primis 14. diebus Chirurgi centuriales apud eum excubias agebant.

Statim post factam primam deligationem aeger jamjam distincte, licet nonnisi submissa voce, verba facere poterat; id quod indicio erat, nervos recurrentes a pari vago ad epiglottidem transmissos, praeprimis voci inservientes, praescissos fuisse.

Ad praecavendam futuram inflammationem, sanguinis unciae XII. ex brachio mittebantur. Facta V S. ne aeger statim nausea oborta, spontaneo vomitu particulas ingestorum inconcoctorum reddebat, scilicet brassicam ruffam atque panem, quae modo ante vulnus inflictum ingesserat.

Postridie collum occupabat inflammatio, quibusvis stipata symptomatibus, pulsu nempe duro, celeri ac pleno, doloribus

ribus capitis, cervicis, colli, & vulneris, concomitante summe maxima deglutitionis difficultate, quam etiam augebat tussis continens cum sanguinis sputo. Quare tum venaesectio secunda, & 12. horis post tertia administrabatur.

Ad pharyngem & oesophagum lubricandum quavis dimidia hora aliquot parvula cochlearia sequentis linctus exhibebantur, ex melle rosar. & oleo amygd. dulc. rec. nec non infusum theiforme arnicae florum, cochleatim liguriendum; at vero summa difficultas erat quicquam deglutiendi.

Die tertio remota prima deligatione vulnus cum suppurantibus deligabatur, & plumaceoli spiritu vini camphorato humectabantur.

His factis tussis remittebatur, sanguinisque sputum minuebatur, sed febris nihilominus perdurabat, deglutitione perinde adhuc difficili & dolorosa; quocirca quarta vice instituebatur VS. continuatis medicamentis internis.

Die quarto post vulnus inflictum deglutitio parum facilior erat, & febris a suo impetu multum remiserat.

Interne aegro, quoniam post vulnus factum alvum non reddiderat, infusum propinabatur laxans antiphlogisticum ex manna, pulpa tamar. & sennae foliis, (clysma enim ob deligationem & morbi constitutionem applicatu impossibile erat.) Istud laxans aliquot sedes aegro commovit.

Die quinto tussis plenarie cessaverat, febris exigua erat, atque deglutitio minus difficilis. Hocce & reliquis diebus avenae decocto aeger nutriebatur. Interne, ob praesentem etiamnum febrem suppuratoriam, quavis hora dimidia phiala pro thea infusi chinae cum melle ros. edulcorati porrigebatur; quod diebus sequentibus continuabatur. Ob suppurationem nimis largam, dehinc vulnus sicce tantum, cum essentia myrrhae humectatum deligabatur.

Cuncta hucusque feliciter ad votum procedebant, donec die nono post vulnus inflictum pus ex intimo vulnere in asperam arteriam defluens, (quod hucusque leviori sternutu per os excre-

excretum fuerat), vehementem tussim concitaret, & nova facta colli inflammatione denuo deglutitionem dolorosam valde & difficilem redderet, cum pulsu iterum inflammatorio.

Interne loco infusi chinati supra relatus linctus crebro exhibebatur, atque rursus missio sanguinis ad uncias XII. ex brachio celebrabatur, postquam die decimo medicamine purgante antiphlogistico alvus aliquot vicibus ducta fuerat; quo facto tussis decrevit, pariter etiam febris, & deglutitio minus molesta erat. Quapropter die undecimo infusi chinati usus repetebatur denuo.

Die decimo octavo, post vulnus inflictum, ex supra memoratis symptomatibus rursus nova repullulavit inflammatio laryngis & deglutitionis difficultas, quæ tamen post factam VS nem nec non alvi solutionem per antiphlogistica purgantia, cito iterum devicta fuit.

Vulnus indies magis claudebatur, at vero perfecta cicatrisatio abhinc usque ad *6.* septimanam morata est.

Scholion.

Ex hacce observatione, tanquam corollarium, sequentis theorematis veritas evincitur; nimirum in asperae arteriæ vulneribus haud opus esse futura cruenta : 1. quia hæc non solum difficillima opera applicabilis est; quum nempe caput contra pectus applicandum sit; sed 2. quia eadem suppurationem auget, sedula opera hic præcavenda. Denique 3. futuram siccam plurimum adjuvat fascia inclinans capitis, huic scopo abunde satisfaciens.

Observatio hæc, me quidem judice, maxime rara existit Chirurgorum Germanorum, de tanto vulnere transversali laryngis, citra acum & absque filo feliciſſime ad sanationem perducti.

Retulit certe quidem *Dom. Bilguer* duos tales casus vulnerum laryngis cæsim inflictorum, lib. observ. p. 219, quæ sanata

nata fuerunt, verumtamen non citra ſuturam cruentam ad ſanitatem reduci poſſe, viſa ſunt.

Monſieur *la Faye* ex Chirurgis Gallicis, quantum memini, primus fuit, qui ejusmodi vulneris absque acu ac filo curationem tentaverit, vid. Ej. Principes de Chirurgie p. 383. ubi faſciam, qua ille ad capitis inclinationem uſus erat, deſcriptam videre eſt, le Bandage inclinatif, ou la Chercheuſe, ſed nimium quantum compoſitam, nec caput tam immobile in eodem ſitu retinentem quam cujus ſupra mentionem fecimus, Funda nobis dicta.

Alia quaedam faſcia uniens ad hunc ſcopum, a *Garengeoto* exhibita, legitur Tom. I. des Memoires de l'Academie de Chirurgie p. 588. qua iſte uſus erat, in quodam hujus generis aegro, ubi acupuncturae perrupta cute, ſuturam fefellerunt: iſthac quidem caput ad anteriora incurvatur, at vero aeger ad latera quoque caput flectere valet.

Berolino Onoldum
miſſa d. 12. Iunii 1776.

OBSERVATIO XXXXIX.

Dn. D. IOANNIS CASPARI DE RVEFF

De

Calculis veſicae praegrandibus per urethram excretis.

Monialis quaedam ſeptuagenaria major ab aliquot jam annis graviſſimis, quibus calculo veſicae laborantes moleſtantur, vexabatur doloribus, qui mitigationem quidem, aſt curationem exoptatam nunquam admiſerant, incaſſum adhibitis applicatisque cunctis, quæ ars ſub titulo lithontripticorum dictitat, nec neglecto longo ipſius herbæ uvæ urſinæ uſu, quod remedium, tanquam ſpecifica virtute gaudens, Celeberrimus Profeſſor Vindobonenſis de Haen ad mitigandum hunc affectum

tantopere commendavit. Ad tollendum igitur inveteratum hoc malum aliud certum solidumque sperari haud poterat auxilium, quam ab ipsa operatione chirurgica, lege artis a peritissimo artifice instituenda: quam vero cum patiens per verecundiam nullatenus admitteret, ad id solummodo curatio, aut potius mali incurabilis mitigatio dirigebatur, ut dolores immanes, qui per intervalla redibant, remediis oleosis, lubricantibus, ac anodynis, tam interne quam externe lege artis applicatis, quantum fieri poterat, mitigarentur. Inter continuos igitur cruciatus doloresque vitam miserrime agenti contigit, ut decima sexta Iulii anni currentis die corriperetur atrocissimis imi ventris doloribus omnem humanam patientiam longe superantibus, conjuncto continuo ad lotium reddendum stimulo, ac graviſſimo ani tenesmo. Tandem saevissimis hisce doloribus per dimidiam circiter horam plurimum agitata, atque ad incitas fere redacta, præmissis, conjunctisque ardentissimis ad Deum precibus calculum primo majorem in Tab. V. fig. 2. delineatum, qui pondus sesquiunciæ fere superaverat, & paulo post alterum fig. 3. unciæ unius feliciter excluſit, absque ullo gravi inde subsecuto symptomate, ita, ut optime modo se habeat prius afflictissima, nullum in organis urinariis persentiscens incommodum. Uterque calculus non glaber, sed asperæ, scabræque superficiei est, cineritii coloris, ac figuræ ovalis.

Bina in rariſſimo hoc affectu considerari merentur momenta, omni admiratione quam digniſſima, & primo quidem, qui fieri potuerit, ut bini hi calculi, molis adeo singularis, fuerint excluſi per vias tam anguſtas illis omnino illæsis, præsertim cum sphincter vesicæ organum sit carnoso-musculosum, fibrisque potiſſimum transversis contextum, hinc ad strictu-ram magis, & sui contractionem, quam ad dilatationem aptum pronumque. Et secundo, quod sphincter cum urethra ab irruente gravi hoc pondere adeo dilatatus priſtinum recuperaverit tonum roburque, ita quidem, ut nullum in hisce organis

nis remanserit vitium, & prius afflictissima optime modo valeat, & quantum per ætatem decrepitam licet, integra gaudeat sanitate. Hoc ex descripta morbi singularis historia concludendum esse arbitror, etiam in gravissimis morbis haud desperandum, nec miserum ægrotum fato suo temere esse relinquendum, administrando potius cuncta, quae ars suppeditat remedia, cum natura arte adjuta quandoque faciat miracula.

Scholion.

Praeter alios casus parallelos conferri merentur quæ b. BOENNECKEN de calculis grandioribus sponte excretis retulit in A. N. C. Vol. X. p. 408. Observ. CIV. & Illustr. Delius de excretione octo calculorum post ischuriam quinque dierum in Erlang. Gel. Anzeigen 1751. N. XII. memoriae prodidit.

Monachio Onoldum
missa d. 25. Augusti 1776.

OBSERVATIO L.

Dn. D. CHRISTIANI LVDOVICI WILLICH

De

Lacrymandi Pronitate nimia.

Vir generosa prosapia aeque ac munerum dignitate illustris involuntarias crebro fundens lacrymas, a pueris aliquoties erysipelas perpessus erat: hoc certe malum, quatenus praeter alias corporis partes, oculorum quoque glandulas, vasa & musculos communicata inflammationis ac distensionis noxa obruit, iterato praecipue recursu suo potentissimam existere causam judico ad lacrymas proclivitatis. Hinc enim non solum largior & praeternaturalis humorum affluxus ad oculos subinde proritatur, sed etiam dictae partes quoad tonum suum ac secretionis officium adeo laeduntur, ut levi emergente occasione

casione, consentientibus spiritibus, ipsoque animo, liberrime dimittant lacrymalem lympham. Quamvis enim in quibusdam morbis etiam citra mentis consensum, aut notabilem ullam alterationem uberrime & continuo lacrymantes conspiciantur; in praesenti tamen casu manifesta conjuncta fuit quaepiam animi lenitas & mollities in se quidem neutiquam vitiosa, sed potius laudabilis, qualem vulgare celebrat proverbium, bonos viros lacrymabiles pronuncians.

Quod vero saepius absque praesentia objectorum, quae alias fletum invitare valent, Illustri Domino lacrymae erupe-rint, id quidem non soli animo & ejus laudatae modo lenitati imputandum censeo, sed a corporis constitutione magis pendere arbitror. Spectat huc 1) temperamentum quodammodo phlegmaticum suggerendae lacrymis materiae haud parum favens, 2) aetas senectuti jam vicinior, quam constat proclives reddere ad lacrymandum homines, ut propterea potissimum senes bis pueri adagio nuncupati videantur. Novi sane unum alterumque ejusmodi virum senem, cui aetas gravior, neque mentis, neque corporis vires multum labefactaverat, praeterquam inducta majori ad fletum promtitudine. Seorsim & 3) attendi meretur vita anteacta, dum sine dubio Illustris Dominus inter alios diaetae errores (ad praesentem affectum forsan commodatos) excessus praesertim in potu crebro admittere coactus fuit. Ita enim omnino fieri solet, ut viri ad reipublicae gubernacula sedentes, inprimis ad aulas & Magnatum conventus delegati, non laborare tantum, sed & potare pro patria teneantur. Iam vero notissimum est, illos, qui Baccho sic frequentius litant, oculorum affectibus obnoxios evadere, praesertim facilius illacrymari; porro & 4) causis annumerare decet infinitas curas & occupatissimas pro ratione officii continuo per tot annos susceptas, quae non possunt non spiritus animales reddere sensim debiliores, ut ad occursum haud ita consueti alicujus objecti illico turbentur, ipsique animo

mo triſtiores offerant ideas, lacrymis ſaepe intempeſtivis anſam daturas.

Interim quod mitigari affectus, &, ne in deterius ruat, praecaveri certis auxiliis quodammodo poſſit, non penitus deſperavi, eumque in finem ordinavi pilulas de ſuccino, extractum marocoſtinum Mindereri cum Mercurio dulci κατ' ἐπιτροπήν laxantes pro pluribus doſibus, eſſentiam ambrae liquidam, balſami Peruviani nigri, liquorem ſalis volatilis oleoſi, infuſum pugillare theiforme nervinum & cephalicum, addita larga portione ligni aloes & ſaſſafras, cum cortice, trochiſcos apophlegmatizantes, & collyrium pro abluitione oculorum ex aqua plantaginis, euphraſiae, cum nihil albo & ſaccharo ſaturni, paratum, nec immemor fui fonticuli in brachio ſiniſtro excitandi, inprimis vero moderationem aſſiduitatis continuae commendavi. Hoc qualecunque conſilium, obſervatis ſimul congruae diaetae regulis, inſigne attulit levamen.

OBSERVATIO LI.

Dn. D. CHRISTIANI LVDOVICI WILLICH

De

Graviditate cum continuo catameniorum defectu, eorumque praeternaturali poſt partum excretione.

Virgo quaedam decora macilenti minusque plethorici corporis habitus decimum nonum aetatis annum agens nondum lunare tributum ſolvit, attamen viro nupta eſt. Elapſo triennio feliciter peperit, verum lochia vix per ſemihoram excernebantur. Totidem interjectis annis Lucinam iterum vocavit, in quo puerperio aeque ac in priore ſe res habuit. Integra proſperaque gaudebat valetudine usque ad annum quadrageſimum, quo neceſſitas urgebat, ut dens carioſus evelleretur, cujus ex alveolo copioſus erupit ſanguis, per in-

tegrum horae ſpatium, unde menſibus alternis per octennium profluit. Abhinc haemorrhagiae expers quadragenaria mulier bene & athletice valet.

Scholion.

Sanguinem menſtruum neque ad conceptionem, neque ad foetus formationem, ejusque conſervationem neceſſarium eſſe recentiores docent Phyſiologi, id quod comprobant varii caſus Ephemeridibus noſtris inſerti, & plura inſolitarum viarum exempla.

OBSERVATIO LII.

Dn. D. CHRISTIANI LVDOVICI WILLICH

De

Uſu Acidularum noxio in vitiis renum & veſicae.

Inter morbos chronicos, qui Medico crucem figunt, & patienti languorem tabificum minantur, ulcera renum & veſicae eminent. Etenim continua ſeri urinarii ſecretio partem affectam rodendo ſtimulat, & abſterſionem aeque ac conſolidationem impedit. Reſorbentur in maſſam ſanguineam particulae purulentae, lethalitatis imminentis prodromi, usque ad univerſalem deſtructionem. Tale quidpiam ſiſtit ſequens caſus.

Matrona quinquagenaria, finito lunari tributo, ante biennium conqueri coepit de ſtranguria & difficultate quadam urinae, cum qua particula quaedam mucoſae ac tenacis materiae per intervalla excernebatur. Cum vero poſt ſufficientem corporis expurgationem decocto quodam vias urinarias abſtergente ac leniente uteretur, ſymptomata cuncta remiſerunt, ita, ut paulo poſt melius ſe haberet & convaleſceret. Primis autem anni proxime elapſi menſibus cum malum recrudeſceret,

ret, & major muci sabulosi quantitas (sensibiliter a rene dextro) ad vesicam descenderet, exindeque cum majori dolore expelleretur, non sine ratione conjecturam feci de calculosa aegrotantis dispositione, ac in curatione varia medicamenta tam evacuantia quam alterantia pro corrigenda ista diathesi exhibui, iisdemque tantum profeci, ut per aliquot menses ab omni molestia libera viveret, & rei familiari rite iterum prospicere posset. Nihilominus etsi ex illo tempore salubrem observaret diaetam, & medicamenta ad praeservationem nunquam negligeret, malum tamen istud non plane cessavit. Nam exacto trimestri spatio iisdem difficultatibus in excretione urinae premi coepit, adeo, ut major copia pituitae glutinosae ac veræ gypseae cum urina mingeretur; quæ cum in debilitata ex continuis doloribus vesica paulatim postea colligeretur, & suppressionem urinae minaretur, repetita diligenti corporis expurgatione, blandioribus medicamentis, quae acrimoniam urinae simul respicerent, eam attenuare & mature eliminare conatus sum, antequam penitus lapidesceret, aut vesicam exulceraret; compacta jam enim erat & quasi coagulata, adeo ut pondere suo vesicae incommodaret, nec non in erecto corpore ad cervicem ejus rueret, in decumbente autem recederet ad fundum. Dum hæc ago, nonnulli amicorum, me quidem refragante, autores fuerunt, ut peteret matrona fontes Hornhusanos, quorum virtus in curandis nephriticis aliisque morbis nimium quantum decantata est, unde etiam nostra ad illos magno & implacabili desiderio properavit, spem salutis recuperandae omnem in illis aquis collocans. Utebatur autem ab initio fonte gratiae dicto, deinde S. Ioannis: quorum ille cum per alvum & vesicam magnam muci copiam violenter expelleret, acrimonia simul sua renis dextri vitiosi carunculas papillares forte corrupit, certe sanguinis sinceri mictio subsecuta fuit. Itaque alterum hunc substituit, qui mitius egit, sed nihilominus salsedine sua malum exacerbavit, adaucta urinae acrimonia. Relictis igitur his fontibus domum reversa est.

Cum-

Cumque de dolore vesicae, & intolerabili ardore urinae, quodque eam in primo somno continere non posset, accedente labefactatione sphincteris, valde conquereretur, conspecta urina materiam ejus in fundo subsistentem (quae copiosa, livida, & subinde cruenta, ac foetida, longeque diversa ab illa, quae olim luteo pallidi coloris & pauca erat) pus esse contra aliorum sententiam audacter pronuntiavi, praesertim cum febris lenta simul conjungeretur, & sanguinis mictio praecessisset. Maximum igitur subesse periculum ex ulcere vesicae & renis dextri, quem praecipue affectum esse, dolor in lumborum dextra parte, & descensus materiae per inguen dextrum, excretaeque carunculae indicabant, praedixi, ac omnem meam operam ad curationem ulceratarum partium direxi. Et quamvis per aliquot septimanas bene processerit curatio, ita, ut cuncta fere symptomata mitigarentur, attamen quia medicamenta integris viribus neque ad renes, neque ad vesicam penetrare poterant, ulcus tantum sanare impossibile fuit. Interim portio puris a rene dextro per venam cavam, hepar transeuntem, ad cor delata (hinc aliquando animi deliquium) & inde ad pulmones, unde tussis sicca, & vox clangosa, ipsos quoque exulceravit, qua ratione, licet contra phthisin etiam idonea medicamenta mature adhiberentur, in tabem lethalem morbus desiit, qua tandem honestissima aegra d. 19. Febr. A. MDCCLXXV. exspiravit. A prima autem decubitus die, quae erat circa initium Decembris anni proxime praeteriti, ad ultimum usque halitum tantam puris quantitatem indesinenter excrevit, ut, quod 24. horarum spatio cum urina efflueret, partem mensurae civilis quartam excederet. In dissecto corpore statim vidimus hepar quasi situm mutasse, ita, ut medium abdominis occuparet; quod licet insolitae magnitudinis, caetera tamen naturalis constitutionis erat, excepta parte reni dextro proxima, quae quasi fugillata livescebat. Sub hepate ventriculus angustus latitabat, & orificium ejus dextrum seu pylorus amplior, quam alias esse solet, conspiciebatur.

Inte-

Inteſtino duodeno recte inſerebatur veſiculae bile turgentis, & pancreatis ductus. Omento & meſenterio exigua ſupererat pinguedo. Lien alias naturalis conſtitutionis magnitudine renibus fere cedebat. Coecum inteſtinum minimi digiti craſſitiem & magnitudinem vix aequabat. Colon quoque gracilius erat tenuibus inteſtinis, jejuno & ileo, nec medium digitum amplitudine ſuperabat. Pancreas mollitie naturali deſtituebatur. Renes autem vulgarem magnitudinem, quemadmodum & ureteres craſſitiem communem valde excedebant. Ren dexter, quem omnis mali autorem dudum notaveram, pure repletus, totaque ejus ſubſtantia conſumta erat, ut & ureteris dextri, cui ſubjectus muſculus pſoas liveſcebat, interior tunica tota exulcerata, ut & veſica putrida & corrupta, fibraeque ejus exulceratione abſumptae erant. In renis ſiniſtri media parte unica tantum caruncularum papillarium corroſa, reliquae vero integrae, quemadmodum etiam ureter ſiniſter ab exulceratione immunis fuit. Uterum in regione cum veſica contigua intertrigo conſpurcaverat, ex impetuoſa tranſpiratione materiae peccantis. Remoto ſterno in dextra thoracis parte pulmones fere toti in pus abierant, ita, ut cavitas illa vacua appareret, quoniam reliqua portio exigua ad jugulum usque adſcenderat: in ſiniſtro vero latere ſui adhuc lobi erant, quamvis & ipſi exulcerati, & tuberculis quam plurimis inaequales. Cor magnitudinem naturalem ſervabat, copioſiore tamen obductum erat pinguedine tam in baſi, quam per latera. Dextrum ejus ſinum purulentus ſanguinis grumus, ſiniſtrum vero ater ſanguis replebat.

Quis autem amplius negaret, partem affectam a potu acidularum incongruo majorem ſuſtinuiſſe exacerbationem, & intempeſtive ſtimulando in pejus ruiſſe? quod autem tanta mictus purulenti quantitas per bimeſtre & ultra exierit, id partim multitudini partium exulceratarum, partim copiae ſanguinis per pulmones & renes juxta leges naturae tranſeuntis, inibique in aegra noſtra putrefacti adſcribendum eſt; qua de cau-

ſa etiam parum ſanguinis poſt mortem in corpore repertum fuit.

Clauſthalia Onoldum
miſſae d. 12. *Ianuarii* 1776.

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. FERDINANDI IACOBI BAIERI

Ulcus linguae phagaedenicum ſanatum.

Quam ſiniſtre agatur in averſandis remediis, quae in prima quaſi herba ſuffocare valent malum imminens, ex caſu ſequenti patet. Vir quidam honeſtus ante menſem circiter aliquot aphthas linguae ſcorbuticas pullulare ſentit, & ab initio vix ullam admittit medelam, donec latius ſerpere coeperint, quoniam ab immediato appulſu aëris abſconditum depravatumque ſerum ſalivale propter particulas ſalinas, fluore coacto & extravaſato, ita acuebatur, ut in acrimoniam corroſivam degeneraret, unde ulcus phagaedenicum cum notabili tumore & duritie linguae tandem ſubortum fuit. Poſtquam vero non ſolum ſubſtantia linguae, & ſub ejus extrema cute latens corpus reticulare mucoſum valde ſpongioſa exiſtunt, verum etiam circa baſin multa corpuſcula conica cum glandulis interſperſis occurrunt, a quibus affluens ſaliva ſtatim reſorbetur, totaque oris cavitas interna innumeris glandulis referta eſt, & dolor ulceris affluxum ſalivae nimium acceleravit; facile colligere licet, cur medicamenta ſerius adhibita effectu optato hactenus caruerunt. Ad hunc impetrandum auctor fui, ut ulcus quovis poſſibili modo mundificaretur, fibrae & glandulae per adſtringentia ſalutaria roborarentur, & acor ſalivae ſepticus emendaretur. Apprime profuit mixtura ope penicilli, vel ſubtili linteo applicata, R. ſpirit. theriacal. camphor. ʒj. ſpermat. ceti ℈ij. M. & ſolv. in vitro obturato leni calore, dein admiſce Eſſ. myrrhae ſ. alcali parat. ʒij. Alternis

vici-

vicibus diaclyſma ſaepius in ore tenendum: R. rad. ſymphyti major. ℥j. fol. plantag. quercus, ſcordii, fl. liguſtri, roſar. rub. balauſtior. cort. granat. āā ʒij. inciſ. coq. in aqua chalybeat. ℔iß ad remanent. ℔j. colat. adde ſyr. e roſis ſiccis ℥j. mellis roſat. tinct. laccae Mynſ. āā ʒß. Pro uſu interno ordinavi elix. balſam. Hoffm. Halenſ. ʒiij. liq. ſal. volat. oleoſ. ʒiß. mane cum juſculo medicato ſumendum, XLV. gutt. pro doſi, a meridie ſaccharum lactis in decocto coffee largiter ſorbillandum. Continuatis per octiduum medicamentis aeger cum valetudine in gratiam rediit.

OBSERVATIO LIV.

Dn. D. FERDINANDI IACOBI BAIERI

Urethrae exulceratio ab acrimonia ſeri urinarii curata.

Vir quadraginta ſeptem annorum, temperamenti ſanguineo cholerici, lauta fruens diaeta, ante annum conqueri coepit de dolore circa regionem umbilicalem dextri lateris, cui ſuccedebat frequens ad urinam excernendam ſtimulus, ante & poſt mictionem invadit tam in urethra pruritus, quam in extremitate glandis penis ardor, pungens, lancinans, dyſuriæ haud abſimilis dolor, vel curru vel equo vectus frequentiorem ſentit ad mejendum ſtimulum. Urina tenuis, cruda ac turbulenta, nonnunquam ſubcruenta grumisque ſanguineis exilibus mixta, & in fundo matulae mucum relinquit, in aſcenſu vel deſcenſu ſcalarum dolor in glande percipitur, ceſſante vero motu dolores ſufflaminantur. Sitis haud intenſa eſt, appetitus naturaliter conſtitutus, & reliquae functiones naturales bene ſe habent.

Tametſi affectus ille nihil aliud ſit, quam inchoata exulceratio urethrae ab acrimonia tranſeuntis lotii tartarea proficiſcens; licet tamen ſuſpicari, focum ejus latere intimius in corpore, & tam univerſalem maſſae ſanguineae dyſcraſiam tar-

taream, quam privatum veſicae urinariae vitium, muci nimirum acrioris colluviem, ſi non & ipſum, quod probabile videtur, calculum ſubeſſe. Hinc enim mali diuturnitas, & a motu corporis ſubinde ingraveſcens dolor quam promptiſſime oriri ac deduci queunt. Sicut autem praecipua curationis momenta eo intendunt, ut antecedens cauſſa, nempe impuritas ſanguinis tartarea, corrigatur, facta inde in urinae organis ſequeſtrationi dicatis coagula ſalina acria reſolvantur & expellantur, urethra eroſa vel exulcerata conſolidetur; ita ſeorſim indicationi reſpondit infuſum pugillare calidum ex rad. peucedani, pimpinellae, graminis, liquiritiae, herb. virg. aur. chaerefol. ſerpilli, ſummit. hyper. fl. geniſtae, lign. nephrit. ſaſſafr. ſem. foenic. dulc. alth. dauc. cret. & jujubis, quovis mane jejuno ventriculo probe ſaturatum ad uncias ſex vel octo hauriendum & loco ſacchari ſyr. de althaea edulcorandum, poſt vero pilulas, easdemque noctu ante ſomnum pariter deglutiendas commendavi, quarum baſis fuit terebinthina cypria & rhabarbarum, additis extractis liquiritiae & hederae terreſtris. Intermedio vero tempore & poſt meridiem ſuaſi, ut electuarium aſſumatur, cujus ingredientia fuerunt conſerv. hed. terreſtr. fl. nymph. condit. lactuc. hiſpan. rad. pimpin. trochiſc. alkekengi c. opio, milleped. ppt. & opobalſ. ver. c. ſ. q. ſyr. de althaea, pro lubitu ſuperbibatur dictum infuſum. Mixturam denique profuturam arbitratus ſum ad ſymptomata urethrae mitiganda, & hanc conſolidandam, ſi ipſi aliquoties de die tepidus ille liquor per congruum ſiphonem iniiciatur: R. Trochiſc. de carabe ʒij. alkekengi ʒj. ſacch. ſaturni ℈ß. croci auſtr. ℈ß. aqu. plantag fl. ſamb. aa ʒiß. M. ebull. tantiſper, hinc col. & adde ʒß mell. roſat. ʒiij. M. Quae omnia, ſervatis utique diaetae regulis, inſigne levamen attulerunt patienti, & integram reſtituerunt ſanitatem.

OBSER-

OBSERVATIO LV.

Dn. D. CHRISTIANI RVDOLPHI HANNES

De

Aphonia aliisque incommodis vermium ejectione ſanatis.

Vermibus nulla fere frequentior morborum cauſa eſt. Nullum ſymptoma tam peregrinum tamque daemoniacum obſervari, quod vermes excitare non poſſint, *Pechlinus* teſtatur, & quis non de hujus teſtimonii veritate ſua ipſius experientia convictus eſt Medicus clinicus? Epidemicos morbos non raro vermes comitantur eorumque vehementiam augent. *Ramazzini*, *Degner*, *Kloekhof*, *Benvenuti*, *Pringle*, *Darluc*, *Navier* aliique id ſuis obſervatis confirmant, ipſeque ego, quum febris dyſenterica olim in patria mea ſaeviret, ſum expertus. Digna ſunt, quae in omnium medicorum manibus verſentur, ea, quae de epidemia aliqua, quam obſervavit, verminoſa memoriae prodidit *van den Boſch*, qui vir ſimul de praecipuis verminantium morbis erudito ſermone eſt commentatus.

Inter morbos, quos vermes gignere valent, etiam aphonia eſt. Productam a vermibus illam notarunt *Fridericus Hoffmannus*, *van den Boſch*, *Vandermonde*, *Tode*, *Chriſtophorus Cramer*, vidique illam ab iis natam non ita pridem ego ipſe. Ecce meam obſervationem.

Venit ad me urbis patriae meae civis, querens, filiam ſuam, undecim natam annos, loquelam amiſiſſe gradiendique facultatem. Viſo illam. Deformatam, reſolutis dextri lateris muſculis oreque ſiniſtrorſum tracto, ejus faciem obſervo, vultum fatuum. Pendebat flaccidum omnino & omni motu, non autem ſenſu, carens, brachium dextrum. Ejusdem hujus lateris pedem, non plane quidem reſolutum, dum ire puella tentabat, trahere tamen erat coacta. Ad interrogata, quoties reſpondere nitebatur, ne unicam voculam proferre vale-

bat. Locuturae enim lingua in altum volvebatur, retorta ad fauces ejus apice.

Certam morbi causam experiri non poteram. In aegrotulae oculis pupillas valde dilatatas observo. Tumet ejus abdomen. Pallet facies. Vermium in intestinis praesentiam suspicor. Praebeo remedium illud, ex radice valerianae, sale polychresto, radice jalappae & oxymelle squillitico confectum, quod, sicut *Stoerckio*, *Collino*, *Baldingero* aliisque, sic & mihi plus semel magno usui fuit. Movit hoc aliquot desurrectiones, nullam vero vermium excretionem. Nauseabat ejus saporem puella. Subeunt animum meum egregii illi effectus anthelmintici, quos vomitoria mihi saepius praestiterant, quosque moderatore b. m. *Vogelio* Goettingae publice olim *Rohnius* defendit. In minimis dosibus maximos effectus medicantes tartarus emeticus edit, remedium hoc insipidum, quod & illi facile sumunt, qui alia remedia abhorrent. Non vanae illae laudes sunt, quas illi in suis scriptis tribuit *Hirschelius*. Inter ejus virtutes excellit etiam illius vis anthelmintica, quam etiam in SOCIETATIS MEDICAE HAFNIENSIS COLLECTANEIS TODEUS praedicavit. Hujus tartari grana duo solvi jubebam in aquae communis unciis sex. Cujus solutionis quum aliquot cochlearia puella sumsisset, oriebantur aliquot lenes vomitus pluresque desurrectiones atque cum his quatuor exibant magni lumbrici teretes, quos diebus sequentibus, continuato ejus tartari, sed majori aquae quantitate diluti, usu, plures sequebantur. Hujus excretionis verminosae tam salutaris fuit effectus, ut aegrotulam intra quatuordecim dies sanitati omnino redditam viderem, nullo in usum vocato alio remedio.

Vesalia Onoldum
missa die 30. *Maii* 1776.

OB-

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. FRANCISCI ZANETTI

De

Hepatitide funeſta ab ulcere exſiccato.

Vir quidam illuſtris annorum ſex ſupra quinquaginta, temperamenti ſanguineo-melancholici, habitus corporis obeſi, ſed pallido lutei coloris faciei, cum pluribus abhinc annis in pede geſtaret ulcus, de cujus expurgatione ſe bene haberet, anno 1776. praeter expectationem ſiccato hoc emunctorio, vix elabitur trimeſtre, quod dolore tenſivo dextri hypochondrii ſub coſtis ſpuriis moleſtiſſimo pleuritidem mentiente una cum febre intenſa, pulſu duro, calore magno & gravitate devolutionem & decubitum difficilem in alterutrum latus faciente, nec non dyſpnoea cum tuſſi ſicca, adhibitis ſubito, quae ad indicationem conferebant, ſubſidiis, phlebotomiis ſcilicet, fomentis mollibus externe oleoſis, interne antiphlogiſticis morbus non ceſſit, proceſſit ac invaluit aegro ſuſpirioſo facto ac anhelante. Die morbi ſexta cum rigore non antea vexato invadit febris, totumque corpus patientis flavedine tinctum comparuit, die ſeptima aeger occubuit.

Aperto cadavere haec fuerunt inventa: hepar ab externo lividum, interne exulceratum, pori biliarii calculis repleti, in cyſtide fellea nulla bilis vel pauciſſima, lobus pulmonis ſiniſter ſphacelatus, dexter parvis tuberculis obrutus, reliqua abdominis viſcera illaeſa.

Cannobio Onoldum
miſſa Calendis Iunii 1777.

OB-

OBSERVATIO LVII.

Dn. FVCHSII

Autochir e ſuſpendio ad vitam revocatus.

Miles quidam robuſto & quadrato corpore, aetate 25. annorum, de regia praetoriana cohorte, formidine poenae ob leviculum aliquod delictum, animi propoſitum iniebat, vitae ſuae filum abrumpendi, moreque moriendi Mahumetano. Quare die octavo Iunii 1776. in ſuo domicilio ſeſe ex laqueo ſuſpendit.

Subpraefectus militum more conſueto circa horam nonam veſpertinam militum diverſoria viſitaturus, illo non invento, una cum commilitonibus contubernalibus ejus, qui ipſi quoque ſodalem deſiderabant, communi opera eum perquirundo tandem in latrina offendunt laqueo ex collo ſuſpenſum, genubus inflexis ac pedibus terram vergentibus.

Iuxta indicium ancillae ejus domus, ante 15. vel 20. minuta horae latrinam intraverat, proinde circiter quadrantem horae in ea pependerat.

Confeſtim a ſubpraefecto militum funе praeſciſſus quoad omnium muſculorum inactivitatem prorſus exanimis prolabebatur. Chirurgus ejus centuriae ſtatim advocatus nonnulla reperit vitae indicia: pulſum arteriae brachialis mire exiguum, lentum & retractum; reſpirationem valde lentam ſimul & debiliſſimam; muſculorum autem omnium abſolutiſſimam inactivitatem. Igitur ſtatim imperato ſitu corporis perpendiculari, aliquot guttas ſpiritus ſalis ammon. in os infundit, ſanguinisque libram unam ex brachio mittit (quia venam jugularem externam cum propter inciſionem funis multum infra cartilagines thyroideas factam, tum propter intumeſcentiam celluloſae ſupra funem, reperire non poterat).

Ve-

Venaeſectione adminiſtrata, ſtatim ſub hora decima in noſocomium deportabatur, ibique imperato prius ſitu erecto corporis, deinde iterum ex brachio ſanguine ad libram unam & dimidiam miſſo, clyſter injiciebatur, qui vero mox, qua intraverat, regrediebatur propter ſphincterum ani ac veſicae relaxationem, quare etiam urina praeter voluntatem profluebat: extremitates corporis perpetuo verriculis verrebantur & panniculo laneo perfricabantur, atque caput pectus & genitalia aqua frigida imbuebantur.

His efficiebatur, uti functiones vitales redirent, ita, ut pulſus arteriarum celerior ac plenior & reſpiratio profundior ſuſpiriis interrupta fierent, functionibus interim animalibus continuo adhuc perturbatis. Fomentationes autem & frictiones ſine intermiſſione adhibebantur. Verſus horam undecimam vehementes ingruebant convulſiones, una cum voce mugitum referente, quae perdurabant in multam noctem, interdum quaſi per vices remittebant. Simul etiam pulſus continuo frequentior fiebat ac plenus, & durus valde contractus. Convulſionibus durantibus epithemata frigida conſtanter adminiſtrabantur, & exiguis intervallis duae adhuc parvae venaeſectiones inſtituebantur, ſimul etiam aliquot clyſteribus ex fumo tabaci applicatis, quibus largiſſima excretio excrementorum, tandemque vomitus excitabatur.

Hora prima poſt ſecundum clysma, quartamque venaeſectionem inſtitutam, convulſiones deſaeviebant, perſtante adhuc ſopore & obnubilatione cerebri; aeger autem nonnulla ſenſibilitatis indicia prodebat, a ſpiritu vitrioli, quo ope plumulae nares tangebantur; imo vero etiam deglutiebat aceti ac theae miſcelam ori immiſſam, id quod antea nequiverat. Singulo ſemihorio cochlear plenum emulſionis ex ſeminibus melon. aquilegiae, citri praeparatae, cum camphora & ſale volat. C. C. exhibebatur, donec ſopor diſcuteretur. Externe vero, ob ſoporis conſtantiam ac ſenſuum externorum deſectum quinque veſicatoria, ſcilicet in ſuris, brachiis ac nucha

applicabantur. Circa horam tertiam sopore perdurante, tertia vice clysmate ex fumo peti applicato, rursus copiosa excretio ciborum inconcoctorum & vomitus sequebantur, caeteris paribus. Versus horam quintam pulsus mire plenus durusque adfuit, quare quinta VS. instituta.

Sopor autem continuabat ad usque horam nonam matutinam postridie, dum interea effectus quinque vesicatoriorum manifestabatur, quippe aeger 12. horis post suspensionem primum verbum proferebat, bene multis corporis quassationibus concussionibusque veluti ex profundo aliquo sopore exsuscitatus, tum querebatur de doloribus colli ac capitis, atque posthaec somnus levior exstitit.

Pulsus inflammatorius adhuc persistebat, quare adhuc eodem die sexta vice, & postridie ejus diei septima V. S. celebrata.

Interne vero aegro post resuscitationem emulsionis loco mixtura quaedam cum aceto largis dosibus porrigebatur: hinc factum est, ut simul quotidie applicatis enematibus febris symptomatica una post septimum diem finiretur. Deinceps autem auxilio selectiorum alimentorum, & medicamentorum amaro-adstringentium, robore amisso paucis diebus restaurato, perfectissime prorsus cum sanitate in gratiam rediit.

Epicrisis.

Facillime patet, hujusmodi homines partim quidem mori ex apoplexia, partim vero suffocatione, nisi confestim post suspensionem aegris feratur auxilium.

Quapropter sequentes tenendae sunt indicationes.

1. Postquam talium hominum apparenter mortuorum caput in situ erecto fuerit repositum, corpus vestibus liberetur; massa sanguinea largis VSbus minuatur (non habita ratione pulsus parvi, qui ab initio est, post venae sectionem vero nunquam non succrescens), eademque opera sanguinis ex cerebro regressus quam ocyssime promoveatur. Siquidem certe ex

ex obſervatione ſupra relata videre licet, in hoc ſubjecto VS ne quinquies repetita, ſingula ad itbj. & quod excurrit, opus fuiſſe, donec cerebrum ſanguine perfecte depleretur, ac ſenſibus integritas rediret priſtina.

2. Perinde etiam opus eſt motione pulmonum & cordis inſtituta per inſufflationem aëris, & infuſionem ſpiritus ſalis ammoniaci &c. ad ſanguinem in pulmonibus & auriculis cordis ſtagnantem rurſus in ſuum circulum redigendum: quemadmodum inſpectio anatomica poſt mortem haud ita pridem manifeſtavit in ſubjecto, quod pari fato extinctum, & nimis diu absque auxilio medico relictum fuit: ſcilicet pulmones & auriculae cordis ſanguine turgebant, vaſis cerebri ſimiliter diſtentis.

3. Ejusdem ponderis ſunt frictiones & aquae frigidae applicationes, quippe quibus tam vires ſolidorum emortuae (ſcilicet elaſticitas ac cohaeſio) quam vires quoque vitales (ſcil. ſenſibilitas & irritabilitas) ſimul incitantur, & eo ipſo praecipue per propagationem irritabilitatis a peripheria ad centrum motus produci poteſt: quoniam nimirum irritabilitas in animalibus modo mortuis, inprimis violenter peremtis, haud illico prorſus perit; cuius rei documento ſunt piſces poſt mactationem adhuc ſubſilientes, nec non cordis motitatio ex animalibus & vivis ranis exenterati, quovislibet ſtimulo irritati.

OBSERVATIO LVIII.

Dn. FVCHSII

Anatome laqueo voluntarie ſuffocati.

Miles quidam de genere Pyrobolariorum (*Grenadiers*) robuſto corpore, 31. annorum, ante unum annum demum ordinibus militum adſcriptus, & hoc currente anno caeteroquin ſanus fuit, ſed ultimis tamen menſibus quodammodo melancholicus viſus eſt: is die 10. Iunii 1776. triſte animi propoſitum

situm, vitam laqueo finiendi, longe dexterrime exsecutus fuit, scilicet laqueo novo fortique, minimum digitum crasso, dimidii pollicis spatio infra cartilaginem thyroideam in collo applicato.

Apparebat quod miser iste animi sui propositum optime praemeditatus fuerit, quem in finem laqueum tam alte ad obicem firmaverat, ut sella, qua in adscendendo usus erat, eversa aut derelicta, deinceps latum pedem ab humo emineret. Iuxta indicium militis, qui illum fune resecaverat, non nisi 20. minuta horae pependit, quippe qui sub hora X. matutina adhuc cum illo confabulatus esset, eumque jentaculum capientem vidisset: idem etiam ancilla domestica referebat. Confestim post primum nuncium hujus facti, omnia in auxilium hominis praesto fuerunt. Ne vel minimum quidem, quod facile colligere licet, aderat vitae indicium; facies ob copiam sanguinis vasa distendentis tumida simul & livida erat; oculi rigidi ad quemvis stimulum factum immobiles; funis autem circumcirca collum incidendo sui vestigia reliquerat, crassitiem ejus indicantia, & infra cartilaginem thyroideam, quippe in puncto fixo funis, plane cruenta.

Corpore reposito, ita, ut caput & pectus sublimius jacerent, subito aperiebatur vena jugularis, sequente parva haemorrhagia, quae vero propter insignem partium intumescentiam brevi iterum cessabat.

Aperta vena in brachio, sanguis ex venis a ligatura turgentibus ad aliquam distantiam propellebatur, verum similiter brevi iterum cessabat, quamvis maxima opera data ad illius effluxum continuandum.

Interea altero in hisce occupato, faciem alter aqua frigida perfundebat, eandem simul & collum fricando cum aceto; eodem tempore ori & naribus instillabant spiritum salis ammon. aerque in pulmones adigebatur ad novos stimulos producendos; simul tertius aliquis lecticam accersebat, ad majorem curam corporis in nosocomio instituendam.

Igi-

Igitur ibi ſanguinis miſſiones tam in collo, quam in brachio iterato celebrabantur, ſed fruſtra; clyſteres applicabantur ſtimulantes cum ſpir. ſalis ammon. interpoſitis injectionibus fumi nicotianae; ſubinde frictionibus corporis, inprimis inferiorum partium, nec non thoracis ac brachiorum, plantarumque pedum ope verriculorum, tum frigidis epithematibus circa ſcrotum & abdomen varie continuatum, ad humorum motum & impulſum verſus cordis vaſa promovendum. Opera data fuit ad inſtillandum acetum infuſo theae dilutum, pro faucium, uti dictum eſt, irritatione; ſimul etiam bronchotome inſtituebatur, ad facilitandam aeris in pulmones impulſionem: & quamvis iſta auxilia ſine intermiſſione continuo adminiſtrarentur, facile tamen colligere licuit, omnia fore incaſſum; clyſteres nimirum applicati ſinguli rurſus ſyringae occurrebant, plenariae paralyſeos argumentum; quivis acerrimus ſtimulus ſenſiliſſimis partibus admotus omni effectu carebat; quid? quod ad firmam probationem trepanatione celebrata, fruſtulum illud dextri oſſis bregmatis terebra reſecatum, eximebatur, quo facto guttae aliquot ſpir. ſal. ammon. vol. durae matri inſtillabantur, quae parvum quendam ſtrepitum videbantur edere, caeteroquin nullam irritationem excitabant.

Tantum igitur abfuit, ut quavis data opera quamvis per plures horas continuata, etiam leviſſimum indicium revivificationis apparuerit, ut potius tanto magis operam deluderet ſucceſſivum caloris corporis ſenſibile decrementum, corpore licet ſtragulis laneis calefactis cooperto, & perpetuis frictionibus inſtitutis.

Igitur poſt pleniſſimam probationem de impoſſibilitate reddendae vitae huic miſero, corporis ſectio adminiſtrabatur: quae in iſta memorabilia in ſenſus incurrerunt, enarrabo.

Aperto cranio dura mater firmiſſime adhaerebat; vaſis ejusdem ita ſanguine turgentibus, ut tota membrana quaſi inflammata appareret; in cujus ſuperficie ab utroque latere ſinus longitudinalis, quo aperto plura puncta ab extravaſato &

ſtagnante ſanguine producta oculis offerebantur, conſpicuae erant corroſiones aliquot, per quas parvulae puſtulae albidae transparebant; hae, ulteriori examine inſtituto, tam per laminam internam quam arachnoideam tunicam ac piam matrem uſque ad ſubſtantiam cerebri penetrabant, utroque margine hemiſpheriorum, atque eorum ſuperficie pro parte occupatis, quantum ſuſpicari licuit, alicui acrimoniae illic depoſitae, natales debebant. In interſtitiis utriusque hemiſphaerii, quae lamina perpendicularis durae matris efficit, ſupra corpus calloſum multum ichoris lymphatici reperiebatur.

Remota dura matre, vaſa cerebri quaſi injectione repleta comparebant; arachnoidea tunica tumida facta, & inter hanc atque piam matrem mucus gelatinoſus pellucidus univerſam cerebri ſuperficiem occupavit.

Subſtantia cerebri usque ad corpus calloſum remota & apertis ventriculis tricornibus, utrique liquore extravaſato pleni erant, qui in dextro ventriculo ſanguinis referebat colorem, in ſiniſtro vero magis ſero ſimilem. Plexus choroideus collapſus ſanguine carebat. Poſthaec removebantur corpus calloſum & ſeptum pellucidum, ad inquirendum in ventriculum tertium, cujus parvum receptaculum ſimiliter extravaſato liquido cruento plenum erat. Plexus impar glandulam pinealem operiens perinde ſicut choroideus flaccidus propter extravaſationem omni carebat liquore, glandula pinealis duriuſcula, haud tamen, veluti ſaepe apparet, arenulis aſpera.

Poſt remotam laminam transverſalem durae matris, ſeu tentorium cerebelli, eo fine, ut cerebellum ac ventriculus quartus examini paterent, illius vaſa aeque ac cerebri pleniſſima & diſtenta inveniebantur, conſpicuo ubique tam in ventriculo quarto, quam in ipſa baſi (cerebri) cranii ſero cruento copioſiſſimo, ita, ut medulla oblongata utrobique ab eo comprimeretur, & trans foramen magnum uſque ad medullam ſpinalem eodem eſſet ſtipata. Extravaſatorum omnium

um quantitas certo certius aliquot unciarum pondo aequabat.

In cavitate thoracis, pulmones ob contenti ſanguinis copiam quaſi inflammati, alioquin ſani exiſtebant, pericardium nonniſi conſuetam liquoris quantitatem complectebatur; vaſa cordis coronaria multo cruore referta; auricula dextra ac ventriculus anterior plena cruoris adhucdum manantis; poſterior vero ventriculus ſanguine plane vacuus; ipſum cor quovis reſpectu integrum ac robuſtum ſine omni concreto polypoſo.

In cavitate tertia hepar conſpiciebatur inſolitae magnitudinis, quibusdam in locis mire ſcirrhoſum; contra vero veſicula fellea valde exigua parum bilis ſpiſſae unctuoſae recondebat.

Ventriculus usquequaque diſtentus cibis paulo ante triſte hoc animi propoſitum ingeſtis & odor quoque ſpiritum frumenti, quem homo biberat, ſpirabat. Caetera viſcera abdominalia absque omni laeſione; veſica urinaria lotio plena, ſed ſine calculi veſtigiis conſpicuis. Praeter haec etiam obſervabatur excretio ſeminis, cujus inſignis adhuc copia preſſione per urethram prodibat.

Indicatis itaque iis, quae in ſectione obſervata fuerunt, nunc reſtat, ut de hujus quoque utilitate pauca referam, quatenus cognitionem ac ſcientiam therapevticam juvat, & illos caſus determinare docet, in quibus liberatio horum miſerorum poſſibilis aut impoſſibilis exiſtat.

Terminus fatalis eſt apoplecticus & ſuffocativus; eximpedito enim ſanguinis circulo & ſufflaminato aeris ingreſſu in pulmones utrumque fieri ſolet. Impetuoſa vaſorum turgeſcentia in cerebro ſenſum & motum confeſtim abolet, & ſublata reſpiratio mortem accelerat. Praeter ſolemnes venae ſectiones ſupra laudatas locales etiam evacuationes in hoc caſu longe forent utiliſſimae, cucurbitularum ope, ac praecipue huic ſcopo inſervientium hirudinum applicatione, quia poſteriores

vaſa

vasa non tantum aperiunt, sed etiam continuata suctione elasticitatem vasorum debilitatam egregie augent, atque instar venarum revellentium considerari possunt.

His evacuationibus celebratis secunda indicatio praecipue eo collimare debet, ad sanguinis ingressum in cor proinde ac hujus motum restituendum, id quod prius factum, secundum primam demonstrationem, non tantum inutile, sed etiam manifeste nocivum foret. Certe hic quidem aeris insufflatio in pulmones primum meretur locum; huic secunda est frictio, & quaevis remedia stimulantia, cujusmodi sunt clysmata, per quae humores in majores motus excitantur.

Quod si hunc scopum consecuti fuerimus, posthaec epithemata aquae frigidae ad aliquod tempus protracta necessario auxilio erunt, ad sanguinem in motum actum magis a partibus externis versus cor deducendum; denique vero postea quoque purgationibus primarum viarum recte opera dabitur.

Omnia hactenus disputata autem ante vasorum cerebri diruptionem, ac plenariam cordis quietem praecedere debent, utroque vero jamjam facto, varia relatione impossibile est, vel minimam vitae scintillam exsuscitari posse.

Laqueo igitur forsitan supra cartilaginem thyroideam injecto, proprie tunc processus mastoidei punctum fixum seu quietis exhiberent; tam arteria aspera, quam vasa revehentia haud potuerint compressione deleri, proinde nec regressus sanguinis a capite plenarie impeditus est. Sub hisce circumstantiis, corpore a laqueo cultro liberato, vel vitae adhuc indicia scil. pulsus arteriarum, respiratio &c. praesentia erunt, aut saltim remediis rite in auxilium vocatis brevi sequentur. Quod si vero colli constrictio infra dictam cartilaginem facta sit, & aspera arteria & quaevis vasa sanguinem revehentia ita invicem erunt compressa, ut nusquam sanguinis transgressui locus concedatur, prognosis est funesta: corpore aliquamdiu in tali statu derelicto, necessaria inde sequitur universa humorum in cerebro extravasatio, unde

de demum subtilissima organica structura, quae caeteras omnes vires oeconomiae corporis animalis continet, exturbabitur. Accedit sanguis in pulmonibus stagnans, proxima suffocationis causa.

Quapropter omnis reviviscendi spes evanescit, & naturae dissolutio irreparabilis manifeste deprehenditur.

Berolino Onoldum
missae d. 20. *Augusti* 1776.

OBSERVATIO LIX.

Dn. D. DAVIDIS HENRICI GALLANDAT

Exhibens casum foeminae gravidae, cujus uterus & placenta tempore partus, acutis petrefactis punctis obsessa inventa sunt.

Jam olim ab HIPPOCRATE *a*) Medicorum Principe, & postea a multis aliis praxin medicam exercentibus observatum fuit, *b*) tam in utero mulierum, quam in aliis corporis humani partibus, per concrescentiam materiae petrefacientis, calculos generari. Dantur & exempla foetuum uterorumque petrefactorum; sed uteri gravidi petrefactio, quae vel ad placentam usque extenditur, merito rarissimis casibus accensenda.

Observatio sequens indicio erit, non solum in arte obstetricia dari aliquando casus, tantum a quotidiana abludentes experientia, ut prima fronte minime cognosci queant; sed erit etiam argumento, homini, admirando illi a Deo condito microcosmo, talia evenire, quae ne sagacissimum quidem hominis ingenium perspiciat.

Vice-

a) Lib. 5. de morb. vulg. Sect. 7.

b) V. Memoires sur les Concretions calculeuses de la matrice, par M. Louis, dans les Memoires de L'Academie Royale de Chirurgie T. 2.

Vicesimo secundo Iulii anni septuagesimi primi hujus seculi arcessebar domum matronae, genere Anglicae, tunc temporis primiparae, quae femina 25. annos nata mihi dicebat, se teneriori aetate valetudinariam, ex obortis vero mensibus prosperiori usam fuisse valetudine; ast ex inito matrimonio uno hoc conflictabatur incommodo, ut fluxus menstrui tempore fere vehementiores pateretur dolores colicos, quos dolores etiam subinde graviditatis tempore senserat, nullis tamen adversus eos adhibitis medicamentis.

Parturientem hanc digitis explorans feminam, partum adproperare & caput foetus rite positum inveni. Ex bona pelvis constitutione, auctis torminibus, oculi uterini apertura, tum & aquarum incremento, foetusque descensu, naturalem facilemque ominabar partum. Ac revera post dimidiam prope horam elapsam, membranis ruptis, aquae effluere, hinc tormina increscere coeperunt; unde caput foetus usque in cavitatem ossis sacri & coccygis descendebat, sensimque extra pudenda deprimebatur; quo facto corpus perquam facile sequebatur. Filiolam vivam, justo tempore natam & bene formatam, ligato & abscisso funiculo umbilicali, tradidi nutrici.

Hucusque omnia cesserant ex voto, & trium horarum spatio feliciter peracta erant: statim vero postquam tradideram infantem, puerpera de insolitis & peracutis querebatur abdominis doloribus. Manu abdomini applicata, ut uteri statum explorarem, hunc non amplius inactivum inveni, uti se continuo post partum habere solet, propter ingens spatium, quod subito in ejus cavitate relinquitur, in qua placenta pauliſper retinetur, sed deprehendebam uteri latera jam in commune centrum redacta, placentam ab omni parte premere. Ex attactu tumoris duri & determinati, figurae ovalis, cujus pars maxima sursum versa erat, nullus dubitabam, quin uterus revera jam placentam separaret & expelleret; eo magis, quod subitus & copiosior sanguinis fluxus insequebatur, nec puerpera de vehementibus queri torminibus cessabat. Haec-

ce

ce duo modo dicta considerans symptomata, illico placentam extrahere statui.

Quum vero more solito & debita cum cautela funiculum umbilicalem premere & attrahere inciperem, patiens vehementer exclamabat fluxus increscebat: hinc placentae extractione aliquantum temporis supersedere satius ducebam; sed nec dolor, nec fluxus imminuebantur. Aegram per aliquot momenta sibi relinquens, nihil tentando experiri volui, num tuto placentae expulsionem naturae committere liceret, sed frustra; quippe vehementis & doloris & fluxus incrementum summum in mora periculum indicabat.

Manum igitur an in uterum intromittere possem, tentare constitui; sed digitis ad finem vaginae usque introductis, reperi partem placentae jam osculo uteri inmissam, ibi loci constringi. Ulteriori exploratione detegebam partem istam placentae valde asperam, nec dissimilem esse cuti piscis Galei. Iudicabam acuta illa puncta, sive eminentias, caussam fuisse tum acutorum dolorum, tum copiosi sanguinis fluxus, & perneccessarium ducebam placentam quamprimum extrahi, quo omnia praecaverentur symptomata. Manum ergo utero inmittebam, quod tamen difficile erat, tum propter validam spasmodicam oris uterini contractionem, tum propter acuta quibus placenta obsidebatur puncta; quae placenta maxima ex parte cum utero adhuc cohaerebat, & quatenus eam digitis caute separabam, animadverti aeque in latere seu substantia uteri atque in placenta magnam acutorum punctorum copiam, quae mihi in hac operatione maximo erant incommodo. Feliciter tamen opus ad finem perducebam, gaudens quod placentam fere illaesam extraxissem, & vehementes dolores fluxusque illico diminuerentur.

Matris & infantis debita cura habita, ad explorandam placentam me accinxi. Funiculus & membranae nihil monstrabant extraordinarii; placenta solitae erat figurae, magnitudinis & crassitiei; sed pars ejus convexa seu superficies, quae utero adhaeserat, summam merebatur attentionem. Loco

enim innumerarum minutarum papillarum, seu potius minutorum abruptorum vasculorum, quæ ex placenta in uterum & ex utero in placentam transeunt, in omnibus fere distinctis lobulis ingens petrefactorum acutorum punctorum cernebatur copia, quæ non dissimilia erant magnis sabuli granis, & satis profunde substantiae placentæ infixa haerebant. Digito superficiem tractanti ejus asperitas mihi videbatur non absimilis illi, quam exhibet exterior cutis piscis Galei superficies. Horum punctorum aliqua ex substantia placentæ exempta, propius examinans, perspicue videbam esse corpuscula petrefacta; quaedam tamen e minimis, osseae videbantur esse substantiae. Ardenter singularem hanc placentam adservare cupiebam, sed prae vetere & vix eruenda præjudicata opinione non licuit; aegre concedebatur, ut quibusdam artis cultoribus monstrarem, antequam combureretur.

Patiens nulla singularia experta fuit symptomata post placentae extractionem; consueto temporis spatio convaluit, etiamnum (1775) superstes, & præter solitos, quibus fluxus menstrui tempore infestatur, dolores colicos, satis sana.

Scholion.

Similem casum describit THEODORUS ZWINGER Dec. II. A. IX. observ. CXXXVII. Ephem. N.C. secundinas primiparæ, quæ tempore graviditatis esu fructuum inprimis crudorum & acetariis maxime oblectabatur, hinc inde asperas ceu arena conspersas fuisse. Curatius investiganti per cultrum anatomicum passim in vasis sanguiferis sese manifestabant particulæ sabulosæ, duræ, asperæ pluribusque in locis exigui calculi friabiles.

Vlissinga Onoldum
missa d. 28. Decembris 1776.

OB-

OBSERVATIO LX.

Dn. D. EBERHARDI GMELIN

ſiſtens

Hiſtoriam mortis ſubitaneae mulieris gravidae cum ſubjunctis animadverſionibus.

Mulier plebeia, triginta & aliquot annorum, ſex liberorum mater, quorum adhuc quatuor ſuperſtites ſunt, primarum graviditatum tempore notatu dignis moleſtiis haud affecta, trium demum ultimarum hebdomade decima nona vel vigeſima aliquam reſpirandi difficultatem cum anxietate crebra experta eſt, quae ſymptomata cum increſcente abdominis mole aucta ſunt. Ex illo tempore, quo iis primum affecta eſt moleſtiis, tota corporis ſuperficies externa maculis latis, multis, flavis ubique conſperſa fuit, iis quoque nec poſt partum evaneſcentibus. Abſoluto partu nec reſpirandi difficultatem, nec anxietates amplius eſt experta. Medio circiter Aprilis anni 1775. iterum concepit, primisque graviditatis menſibus bene peractis, quarto jam menſe ſcalas majori cum difficultate adſcendit, ad labores domeſticos & levationem ponderum ac onerum jam ineptior eſt, ad quemvis paululum citatiorem motum majori cum moleſtia reſpirat, anxietatibus frequentioribus corripitur. Singula fere ſeptimana earum moleſtiarum adeo notabile incrementum ſenſit, ut ipſa de fatali ominaretur eventu. Aliquoties vena ſecta eſt. Die vigeſimo ſexto m. Octobris prandit inter horam undecimam & duodecimam cum quatuor ſuis liberis paſtillos ex lacte & farina confectos (Milch-Knoetgen, Milch-Knoepflein noſtratibus), nec praeterea de aliqua re conqueſta eſt. Poſt prandium petit, quanquam a ſorore fuerit monita, quae id laboris libenter in ſe ſuscepiſſet, fontem aliquot centenos paſſus a domo ſua remotum, trullamque ordinariam (Waſſer-Gelte) quindecim circiter

citer menſuras Wirtembergicas capientem, aqua nunc plenam, ipſa capiti ſuo imponit, domumque redit; rediens autem ſtatim anguſtationem & preſſionem pectoris ſenſit, & in media via tanta correpta eſt anxietate & tam ſubito, ut crederet, quaſi mali nominis auram ipſam afflaſſe, & ſuffocationem jam imminere. Attigit tamen adhuc domum propriam; trulla, aqua plena, illico depoſita, in hypocauſto decubuit ad ſcamnum, caputque pulvinari, quod ſoror attulerat, impoſuit. Poſt aliquot minuta ſe erexit, dixitque o Ieſu! quantis cum anxietatibus dimico, quantam anguſtationem & preſſionem circa pectus & ſcapulas ſentio! Suaſerunt adſtantes venae ſectionem, admittere autem eam noluit, quum ante aliquot modo dies vena ipſi fuerit ſecta. Confugerunt nunc ad univerſale plebis remedium ſpiritum vini; parum ejus ore ingerit, pectus etiam eo lavarunt, reliquum infanti dederunt: tunc juſſa decubuit, dicens, ſibi melius eſſe, imo optime nunc valere. Soror, hucusque aſſiſtens, animadvertit in aegra ſtertorem, ſoporem, ſomnolentiam, ſperatque fore, ut nunc placidus obrepat ſomnus; & dulci hac ſpe confiſa abiit. Ea vix domo egreſſa gravida de ſcamno cadit, ipſius filiola natu major, octo annorum, currit ad aviam ſuam, quae illico accurrens reperit filiam in terra jacentem dorſo incumbentem, cum manibus capiti impoſitis. Varia tentavit, ut eam revocaret in vitam, e. g. aquam frigidam faciei inſperſit, ipſam concuſſit, acetum naribus admovit, ſed omnia incaſſum. A finito prandio usque ad hanc periodum vix horae quadrans elapſus eſt. Accerſitus praeterea Chirurgus, qui confeſtim adveniens defunctam menſae ab adſtantibus impoſitam reperit; pectus pannis laneis fricavit, venamque ſecavit in brachio; ſanguinem quidem aliquem feciſſe ſaltum, ſed illico iterum ceſſaſſe retulit: ceterum corpus rigore emortuali jam fuit extenſum. Motum foetus animadvertens me vocari juſſit, egoque vocatus illico adveni, invenique gravidam quidem mortuam, ſed vividos adhuc foetus motus; ideoque ad partum

cae-

caeſareum adminiſtrandum me accinxi. Aſt praejudicia plebeja & peſſimi alias mores agnatorum non permiſerunt ſectionem, ut auxilium & protectionem ſuperiorum implorare antea fuerim coactus, eaque ratione viginti minuta a morte matris ſint elapſa, nec vita in foetu amplius animadverſa, ut, licet inſtituta ſectione caeſarea, foetus mortuus, puerulus, albo colore praeditus, ſeptem circiter menſium, fuerit eductus.

Sectio Cadaveris.

Magiſtratus loci, ut praeſcinderet omnem cauſſae violentae ſuſpicionem, curavit ſectionem legalem, cujus haec ſunt momenta. Suſcepta eſt viginti horis a morte.

Cadaver jam ſparſit foetorem putridum, in collo, pectore & hypochondriis jam lividum apparuit. Totum corpus valde rigidum violentiae alicujus externae vel contuſionis, a lapſu facile derivandae, ne unicum quidem praebuit veſtigium. A vertice ad calcem menſuravit corpus vix quinque pedes Norimbergenſes. In facie & brachiis plurimae maculae latae, flavae viſui ſe obtulerunt. Sutura partes ſectione caeſarea ſeparatas reuniens conſpiciebatur quatuor digitos transverſos ab umbilico in laevo latere verſus os pubis: eam iterum ſolvimus, & eduximus puerulum adhuc ope funiculi umbilicalis cum placenta connexum. Tota externa infantis ſuperficies jam colorem ex rubro-lividum exhibuit, in digitis pedum & manuum, jam ungues formati fuerunt, pili in capite efloruerunt, totum corpuſculum a vertice ad calcem menſuratum habuit ſedecim cum dimidio pollices Norimb. & ſtaterae impoſitum ponderavit libras tres & quadrantem, ponderis civ. Wirtemb. absque funiculo umbilicali. Placenta cum uteri fundo firmiter concreta erat, & tempori graviditatis convenientem magnitudinem, craſſitiem & conſiſtentiam habuit. Funiculus umbilicalis pariter comparatus fuit optime. Uterus praeter ſectionem inciſioni cutis reſpondentem nihil

nihil a ſtatu naturali alienum exhibens, aliquot digitos transverſos ſupra umbilicum extenſus erat. Peritonaeum, inteſtina, meſenterium, pancreas, lien, naturali modo ſe habebant. Ventriculus, optime quidem comparatus, ſed ſitu aberrans, ut nequaquam ad medium usque regionis epigaſtricae extenſus, ſed in ſiniſtro ſolummodo latere locatus, & coſtis totus quantus fuerit abſconditus, erat ſemi-plenus paſtillis illis lacteis, nondum in pultem converſis, ſed ſolidis iis adhucdum, absque lacte circumfluente, quod cum iſtis ingeſſerat. Iecur aperto ventre vix margine ſuo inferiori in conſpectum veniens, totum intra coſtas abſconditum, ut diaphragmatis ſuperficies ventralis eſſet citra modum concava, & pectoris cavitas dimidia fere ſui parte anguſtaretur, & inconſuetae fuit magnitudinis, & ponderavit libras quatuor Wirtembergicas; ejus ſubſtantia fuit juſto durior, & intus plena papillis lardi ſpeciem exhibentibus, quaſi eſſent parva ſteatomata. Veſicula fellis ſemi-plena erat liquore pallide-flavo, ſero magis, quam bili ſimili, qui hinc inde ſanguine paululum tinctus eſſe videbatur. In renis ſiniſtri pariter duri ſuperficie inferiori anteriori erat hydatis, cujus diameter unum pollicem aequabat, flaveſcentem liquorem continens: ren dexter quoque erat ſubdurus. Veſica urinaria erat vacua.

Aperto pectore vidimus pleuram, quaſi inflammatam, vaſa nimirum ipſius rubra, magna & diſtenta. Pulmones nullibi accreti, in parvum ſpatium coacti, in utroque cavo fere ubique lividi, nigri, compacti, denſi, nequaquam vero ita, ut aquae injecti fundum petiiſſent. Arteriae & venae majores ſanguine turgebant. Cor nihil praeternaturale oſtendit, niſi cameras ſuas ſanguine pleniſſimas. In capitis integumentis, pilis deraſis, ſugillationis nota haud ulla apparuit. Cranio aperto vidimus vaſa cerebri ſanguinea, numeroſa, valde diſtenta, & plexus choroidei ſaturate rubro colore perfuſi fuerunt. Ad reliqua cerebri accuratius inveſtiganda, otium nobis conceſſum non eſt: Praejudicia enim illa plebeja in animis

mis agnatorum tantum incenderunt furorem, ut, niſi abſtinuiſſemus, ad malas & crudeles in nos actiones fuiſſent impulſi. Repoſitis itaque viſceribus, & clauſis per ſuturam ventribus, finem operi noſtro impoſuimus.

Animadverſiones.

Morbi ab aucta alicujus viſceris, praeſertim in infimo ventre, mole, vel perverſo ejusdem ſitu oriundi, viventibus aegris, cumprimis ſi functiones privae illius viſceris non adeo a ſtatu ſano recedant, vel ſymbola, quam id viſcus ad ſanitatem confert, non adeo nota ſit, nec aucta moles foras pateat, ſaepius non cognoſcuntur, etiam ab oculatiſſimis & perſpicaciſſimis Medicis: iis autem per ſua ſigna nonnunquam cognitis, illico patet, eos vel curatu eſſe difficiliores, vel id quod ſaepius accidit, eſſe plane incurabiles. Saepiſſime non niſi poſt mortem ſectione cadaveris morbi ejusmodi natura & vera cauſſa detegitur. Illuſtrabo id effatum obſervatione *Hildani* quadam: hominem integrae aetatis, optimaeque temperiei, inſolitum frigus, gravitatem & ſtuporem in utroque crure ſentire incepiſſe, ſine ulla cauſſa cognita praegreſſa; auctis ſenſim his malis gangraenam, & poſt illam ſphacelum ad genua adſcendentem, & mortem, ſequuta eſſe. In cadavere inveniebatur tumor ſcirrhoſus venam cavam deſcendentem comprimens circa illum locum, ubi in binas iliacas finditur. Quis in hoc caſu divinaſſet cauſſam? quis eam cognitam ſuſtuliſſet? Sectione autem inventa eſt ita, ut patuerit clariſſime, hanc praeciſe, nec aliam morbi mortisque exſtitiſſe cauſſam. Aſt ſumma cautela hic opus eſt, cum in cadavere inveniatur etiam ille corporis ſtatus, in quo erat, dum morti proximum fuit, plurima inveniantur per morbum mutata, quae, utpote effectus morbi, male pro ejus cauſſa venditarentur. Comparanda ideo ſunt & antecedentia & concomitantia morbi & mortis, cum eo ſtatu, qui ſectione repertus eſt; applicanda ſunt vera & certa theoremata phyſico-medica; & ſi dein caſti ratiocinii ope demonſtrari poteſt,

quod statu eo praeternaturali, sectione reperto, praesente, sub certis conditionibus vivente homine omnia ea evenire debeant, quae vivente & moriente aegro observavimus sub iis conditionibus revera evenisse; tum omnem acquirimus certitudinem physicam de natura & caussa vera morbi & mortis; praesertim si status viscerum reliquorum in cadavere repertus respondeat illi mortis generi, quo mortuum fuisse aegrum per rationes supra memoratas convicti sumus. Applicabo hasce regulas ad casum praesentem, ut eruam mortis hujus improvisae & subitaneae causam.

Tempore ultimarum graviditatum perpessa incommoda, respiratio nimirum difficilior & crebrae anxietates, lenti, difficilis & impediti per pulmones circuli sanguinei tum signa, tum effectus sunt; quum motus corporis augeret ea, quies contra minueret. Mulier ista quum absoluto partu molestiis illis iterum liberaretur, suspicari facile potuerunt incauti, uterum tempore graviditatis majus semper affectantem & occupantem spatium, eo ipso cavitatem pectoris *solum* angustasse, eaque ratione anxietatis & respirationis difficilis exstitisse caussam, accedente corporis motu occasionem praebente. Obstat autem, quo minus is solus pro caussa earum molestiarum haberi possit, illarum absentia, tempore primarum graviditatum. Necesse itaque est, ut pars quaedam corporis, vel ad organon respirationis proxime faciens, vel cum isto saltim connexa, sensim sensimque ita fuerit mutata, ut accedente extensione uteri non potuerit non ea mala producere. At quae sit illa pars laesa? scitu est difficillimum, *Boerhaavio* jam notante, ob innumerabilem fere partium ad respirationem concurrentium multitudinem. Vires thoracem elevantes & deprimentes, thoracis forma & structura, pulmones cum sua fistula, reliqua thorace contenta, adeo integra & sana, dum viveret, videbantur, ut ne unicum quidem vitii indicium praebuerint. Nonnunquam turbatur etiam respiratio vitio cerebri, vel nervorum quoque culpa, insonte cerebro, nervis

nempe

nempe ſive ad reſpirationem inſervientibus, ſive cum his demum colligatis, aut acrius irritatis, aut preſſis, obſtructis, intimeve perverſis: nec hae partes ullum laeſionis cujusdam exhibuere ſignum. Occaſione hac in mentem venit incomparabilis *Morgagni* monitum: „*propter imae thoracis, & ſummae „ventris partis communes fines, non ſatis a pluribus Medicis ani- „madverſos, aliis non reminiſcentibus, nonnullis ignorantibus, „quam alte intra diaphragmatis fornicem, circumcirca thoracis „cavo infimo comprehenſum, ſubeat cum altioribus ſuis viſceri- „bus ſupremum ventris cavum; ob id haud raro accidere cum in „aliis, tum praeſertim in reſpirandi vitiis, ut cauſa, quae ad „ventrem pertinet, thoraci perperam adſcribatur.*„ Ergo in noſtro caſu cum aliqua veri ſpecie conjecturari potuit, viſcus aliquod ventris mole citra modum fuiſſe auctum, vel quovis modo a ſtatu ſano degeneratum, & ab extenſo utero intra diaphragmatis fornicem altius propulſum, pectorisque cavum tantundem diminutum & anguſtatum. Cui conjecturae aliquod addere potuere pondus ortae illae ſub prima moleſta graviditate, & nunquam poſtea evanidae, maculae copioſae, latae, flavae, in facie praeprimis & extremitatibus ſuperioribus apparentes, & ad hepar quovis modo laeſum conjecturam in ſpecie dirigere. Conſentiunt enim etiam *Morgagni* obſervationes, quod cum maculis iſtis flavis plerumque vitium aliquod hepatis conjunctum ſit: & ideo jure dicuntur hepaticae. Tulit forſitan animo patienti plura incommoda, etiam citra graviditatis tempus, quorum cognitio Medicum magis inſtruxiſſet, & ad malorum fontem propius duxiſſet, praeſertim ſi functiones viſceris alicujus privae fuiſſent laeſae. Tantum ad ſummum conjectatorie aſſequi per artem licet, ſine inſpectione cadaveris: haec autem omnes diſpellit tenebras, & plenam accendit lucem. Ea nimirum repertum eſt jecur praemagnum, ſubdurum & inſoliti ponderis, praeſertim ſi comparetur cum corpore tantillae longitudinis; ejusdem ſtatum a ſanitate recedentem ulterius confirmabat pallida & aquo-

sa bilis cystica: & renes quoque indicabant corporis dispositionem ad ejusmodi degenerationes viscerum. Iecur praeterea inventum est intra diaphragmatis fornicem tam alte protrusum ab utero aliquot transversos digitos supra umbilicum extenso, quemadmodum inter sextum & septimum graviditatis mensem esse solet, ut diaphragmatis superficies ventralis esset quam maxime concava, pectoris cavum dimidia fere sui parte angustatum, & jecur praemagnum vix margine suo inferiori in conspectum veniret. Ventriculus erat semi-plenus cibis, & in sinistro latere locatus totus.

Nunc facile, ut puto, intelligitur series & ordo symptomatum, in nostra muliere observatorum, eorumque itus & reditus. Quamdiu nimirum citra graviditatis tempus jecori illi praemagno & ponderoso concessum est in infimo ventre spatium sufficiens, quo locari potuit; sanitatem nondum turbare adeo potuit, quum a statu sano nondum degeneraverit ita, ut vel bilis secretione plane prohibita, vel acrimonia, pure, tabo, generatis, totum corpus pessumdare; nec eam acquisiverit jam magnitudinem & duritiem, ut non tantum mole sua descendenti, sed & pondere multum officere adscendenti diaphragmati potuerit. Ast demto vel imminuto solum illo spatio per uteri expansionem a foetu, vel etiam ab alia quacunque caussa, jam protrudatur oportet altius intra diaphragmatis fornicem; & quum id insolitae fuerit magnitudinis & duritiei, cavum pectoris, in quo pulmones cum corde siti sunt, valdopere angustare debet, quod reperimus ad dimidiam fere usque partem angustatum. Ita sensim per incrementum foetus nascitur descendenti diaphragmati insuperabile obstaculum, & thorax non amplius secundum longitudinem ampliari potest. Inde fit, ut aër inspiratione haustus non possit amplius omnes pulmonum cellulas explicare & expandere, nec sanguini e corde dextro venienti latam parare aream, ut etiam major, quam tranquillus & lentus humorum motus requirit, sanguinis copia per pulmones in dato temporis spatio meare potu-

potuerit: imo ipſum cor, cum diaphragmate proxime connexum, ab hepate intra diaphragmatis fornicem tam alte protruſo preſſum & ſitu ſuo paulum dimotum in libero ſuo motu impeditur. Inde, dummodo tranquillus eſt motus ſanguinis, utcunque bene valent ejusmodi homines, ita tamen, ut etiam ſub quietis ſtatu a cordis palpitationibus non poſſint eſſe ſemper liberi.

Quamprimum autem motu corporis, vel quoque aliis modis, motus humorum augetur, ut dato temporis ſpatio major ſanguinis copia per pulmones pelli debeat; pectus ad omnes diametros ſub inſpiratione augeatur, neceſſe eſt, ut *bronchia undique augeri, pulmones explicari & inflari, vaſa, quae celluloſa vagina cum bronchiis conjungit, longiora fieri, extendi, anguli parvi majores, & circulatio facilior evadere; & dum veſiculoſa pulmonis caro aëre plena fit, ſpatium augeri, in quo vaſa capillaria pulmonis migrant, rami arteriarum & venarum in majores angulos diduci, lobi lobos minus comprimere, compreſſio vicinorum minui, liberius ergo ex corde miſſus ſanguis in majora, minimaque vaſa arterioſa pulmonis irruere, & accelerari poſſit.* Quum autem in noſtro caſu ſtatus viſcerum in infimo ventre ita fuerit comparatus, ut & pectoris cavitas multum inde anguſtaretur, & diaphragma deſcendere haud potuerit; non mirum eſt, aucto per motum corporis humorum circulo, ſanguinem in majoribus pulmonum vaſis accumulari, & cor dextrum vehementer dilatari: orto autem inde ingrato ſenſu, homo omnes inſpirationis vires intendit, ut ſanguinis per pulmones motus promoveatur; ſed quum pectus ob dicta impedimenta juxta omnes dimenſiones ampliari non poſſit, reſpiratio evadit difficilis, & ſenſus anguſtiae, anxietatis, quaſi mens de vita periclitante anxia eſſet, ſecundum aeternas Naturae humanae leges oritur: vid. *Boerhaavii* Aph. 631. Fac nunc, ſub dictis conditionibus vel ſanguinis circulus vehementer intendatur, vel accedat nixus, ſpiritum cohibens; ſi praeterea addas ventriculum cibis repletum, cavum pectoris anguſtans

magis; jam ſtagnare debebit ſanguis in majoribus vaſis inter pulmones & cor dextrum, id vero valide dilatari; inde vero anxietas ſumma, reſpiratio difficillima, ſuffocationis metus, virium lapſus, & quum ſanguis venoſus in cor dextrum ſe evacuare non poſſit, ſtagnabit etiam hic, maxime capitis, ante clauſum cor dextrum, faciem tumefaciet cum rubore, accumulabitur in cerebro, ſoporem, ſomnolentiam, apoplexiam inducet; ſicque ſtagnando ubique vel extravaſando quoque machina hominis ſubſiſtet, ſuffocationem excipiente apoplexia lethali. Id quod fatum ab iisdem cauſſis quidem etiam imminet, quorum organa reſpirationis libera ſunt, iis autem & gradu & duratione intenſioribus; quum eae leviores ſub dicto organorum reſpirationis ſtatu illi fato inducendo jam ſufficientes ſint.

Quum itaque ſtatus corporis humani ita a ſanitate recedens, prouti ſectione repertus eſt, itum & reditum memoratorum ſymptomatum, certo ordine ſibi invicem ſubſequentium, imo & mortem, ſub datis conditionibus, neceſſario inferat; quum defuncta citra graviditatis tempus nec anguſtiae vel anxietatis ſenſu afficeretur, nec reſpiratione difficili, motu corporis accedente laboraret; quum creſcente, quo gravida erat, foetu, ultimarum graviditatum tempore, moleſtiae illae inciperent, augerentur, quamprimum motu exercebat corpus; quum illa poſt prandium, pleno ventriculo, grave elevans onus, idque geſtans, eaque ratione ſpiritum cohibens, ſumma corriperetur anxietate, ſpiritum vix amplius trahere potens, brevi poſt fere inſenſilis facta, in ſoporem, ſtertorem caderet, ſub quo moriebatur, ut a prandio finito ad mortem usque vix quarta horae pars fuerit elapſa; nullum ſupereſt dubium, quin mors & ſymptomata, ante mortem apparentia, dicta ex ratione evenerint. Sic a priori, ut dicunt, in liquidum conſtitui illud morbi & mortis genus. A poſteriori idem probat livida & nigra pulmonum facies, accumulatio ſanguinis, praeſertim in vaſis pulmonalibus majoribus

&

& corde ; rubor pleurae inflammatorius, & ſanguine turgida, & diſtenta, copioſa cerebri vaſa: & quod eae viſcerum mutationes ſub ultimis vitae minutis demum fuerint inductae, theoriae etiam parum gnarus facile perſpicit, quum cum eo ſtatu vita non diu conſiſtere poſſit: & quod cauſſa eorum ſymptomatum ante mortem apparentium, in thorace ſedem ſuam non habuerit, patet ex ſtatu viſcerum thorace contentorum ſano & integro quoad caetera, ſi excipias mutationes manifeſte ſub vitae cum morte lucta demum illatas. Nec aliam concurriſſe mortis cauſſam probat abſentia ſignorum cauſſae violentae vel aſſumti veneni. Celeris corporis putredo effectus eſt praematuri aëris ingreſſus in abdomen, cui ſectio caeſarea portam aperuit.

Dyſpnoeae exempla ab aucto jecinore, eoque verſus diaphragma protruſo, habentur in *Boneti* ſepulchreto, eamque dyſpnoeae ſpeciem *Sauvageſius* vocat dyſpnoeam a phiſconia. Nec deſunt ejusdem varietates ab nimia mole aliorum ventris viſcerum aut annexorum ſepto transverſo, aut tantummodo ſubjectorum. In aſthmatici cadavere inventum eſt pancreas, quod in plures tumores excreverat, totidem poma referentes, & ad cancri naturam vergentes ; referente *Morgagno* in aureo libro de ſedibus & cauſſis morborum, L. II. Ep. XV. n. 11. Idem immortalis vir alium deſcribit caſum, huc facientem ep. XVI. n. 4. Feminae nimirum mors non lenta ab hepate magno, diaphragma ſurſum pellente, ut thoracis cavea minor fieret, & a thorace aqua pleno evenit, pulmonibus non nihil & rubris & duris, variisque maculis nigris diſtinctis, caetera ſanis, ovariis quoque induratis repertis. Alius huc etiam pertinere mihi videtur, ab Autore vero aliorſum relatus. Ep. LVI. n. 12. Anus octoginta annorum, apoplexia correpta, haud multo poſt non tam ex ea, quam ex ejus minus animadverſo effectu mortua eſt: nam cum reſoluta veſicae vi, qua lotium tum retineret, tum extruderet, aſſidentes mulieres ſtillicidio deceptae, tantum lotii exire, quantum jugiter

giter in vesicam descenderet, arbitrarentur, anus autem immanem hujus distentionem aut sentire aut significare non posset; eidem accidit, ut citius moreretur: scilicet aperto ventre, sese obtulit vesica lotio adeo distenta, ut ad umbilicum perveniret, & ileum utrumque occuparet, intestinis sursum ita compulsis, ut hinc jecur & diaphragma altissime urgerent, inde vero lienem & ventriculum adigerent medium versus epigastrium.

Omnes dyspnoeae hujus varietates communibus signis non cognoscuntur. Integritas quidem partium respirationi proxime inservientium, ut asperae arteriae, pulmonum, thoracis, diaphragmatis, sanguinis ipsius, cerebri, nervorum, omnibus iis communis est, nisi obtineat complicatio. Ast quaenam ventris pars vel mole increverit, vel situ aberraverit, tantummodo per laesas illas functiones, quae ab illa parte pendent, cognosci potest, si laesio functionis in sensus vel Medici vel aegri incurrat; vel quoque si pars in tumorem excrescens ita sita fuerit, ut extus a Medico distingui possit.

Quum autem cum aucta alicujus visceris mole non semper cesset ejusdem functio; nec omnium viscerum symbolae, quas ad sanitatem vel ad speciale quoddam opus e. g. digestionis, conferunt, adeo privae & ab omnibus aliis distinctae sint, ut a nobis cognoscantur, quemadmodum pancreatis; nec quævis degeneratio statim se prodat, nec ex tumore extus apparente viscus laesum dignosci possit semper; patet, rarissime dyspnoeae hujus species viventibus aegris cognosci. Varietatem, quam casus noster exhibet, si historiam morbi & mortis contemplamur, per signa sua, conjectura quam maxime probabili assequi nunc possumus. Optandum hinc esset, ut & de reliquis varietatibus historiae exactae haberentur descriptae. Omnibus ejusmodi aegris conducit diaeta, quae tranquillum humorum motum conservat, omnibus sollicite vitatis, quae motum illum intendunt.

Super-

Superſunt aliqua notanda: Ultimo prandio ingeſſit defuncta certo lac, quocum paſtilli illi cocti & menſae appoſiti fuere, & quidem quadrante horae ante mortem; ſed de lacte in ventriculo nihil reperi. Quum autem alia obſervata doceant, ejusmodi fluida, quale lac eſt, non tam cito elabi ventriculo, ſed diutius ibi morari; vero ſimile eſt, iſtud tum per ultima reſpirationis molimina, tum per actionem ventriculi etiam poſt mortem aliquamdiu continuantem, propulſum fuiſſe per pylori anguſtias: ideo ventriculum tantummodo ſemi-plenum nos inveniſſe exiſtimo.

Deinde inveni utrumque cordis ventriculum ſanguine plenum, quod theoriae primo intuitu adverſari videtur, quum ſub dicto rerum ſtatu expulſioni ſanguinis in arteriam magnam nihil obſtiterit. Aſt theoriae id minime adverſatur. Dum enim ab impedito ſanguinis per pulmones tranſitu cor anterius ſe non amplius exonerare potuerit in arteriam pulmonalem, jam ſanguine turgentem, valide dilatabatur, & aliqua ſanguinis portio meabat adhuc per pulmones ad cor poſterius: ventriculo anteriori nunc dilatato valide, poſterior, quum utriusque fibrae muſculares invicem implicentur & decuſſent ſeſe, contrahere ſe non potuit, ideo & ſanguine a pulmonibus veniente diſtentus eſt, motu cordis ſemper exiſtente ſynchrono. Verum quidem eſt, ſub ultimis vitae motibus cor dextrum contrahere ſe adhucdum ſiniſtro jam quieſcente, aſt quod notandum, eo haud dilatato valide. Uterque ventriculus cordis eodem tempore non poteſt eſſe in ſtatu ſibi plane oppoſito, ut uno valide dilatato alter ſe contrahat.

Rubor pleurae inflammatorius repertus aliquid ad controverſiam facere videtur de ſede pleuritidis: ſed quum anguſtia temporis detentus, non adeo inquiſiverim, ſitne celluloſa pleurae, quae rubore fuerit tincta, an pleura ipſa? rem in medio relinquo. Fetus noſter pondere & longitudine ſua menſuras Cel. *Roederer* confirmat, qui foetus 34 - 36. hebdomadum reperit a libris tribus ſemis ad libras quinque & uncias

quindecim & ab 1′. 9½″ ad 1′ 6″. fetus vero noſter, niſi decepta fuerit mater, ſit triginta hebdomadum; ut etiam exinde jure poſſit ſtatui, ipſum intra uterum vegete vixiſſe, imo creviſſe ad matris usque mortem: & ſi reliqua addamus ſigna, cuticulam attactum firmiter ſuſtinentem, ungues in digitis pedum & manuum, & capillos capitis; concludi poteſt, illum jam eo robore fuiſſe praeditum, ut ſectione caeſarea adhuc vivus excluſus, vitam ſuam ſub cauto & prudenti regimine continuare potuiſſet.

Erlanga Onoldum
miſſa die 6. Decembris 1776.

OBSERVATIO LXI.

Dn. D. IOANNIS ERNESTI NEVBAVER

De

Vaſorum felleorum varia conformatione.

Non levis notatur in his pro animalium diverſitate differentia, quae occaſionem quoque exhibuiſſe videtur, cur quaedam animalia bile carere audacter magis, quam prudenter, dicta fuerint, v. g. equus, camelus, cervus, columba, & piſces aliquot, cum tamen accuratius horum animalium extiſpicium aliud doceat.

Scilicet utut plurima animalia folliculo aeque fellis ac poro biliario gaudent, reperiuntur nihilominus eorum quaedam, quibus poſteriore ſaltem inſtructis, veſicula biliaria deficere videtur, aut non adeo conſpicua eſt. Folliculi fellis praeſentiam in equo negant *Ruſius* in anatome equorum Lib. 3. cap. 2. *Needham* de form. foetu. L. 4. & *Simon Pauli* ex anatome regii equi Act. Hafn. vol. 3. Obſerv. 33. quibus contradicunt *Thomas Brown.* error. popul. L. 3. cap. 2. & *Blaſius* obſerv. anat. ita tamen, ut veſicula haec extra hepatis ſubſtantiam minus eminens conſpiciatur, ſed illi profundius immerſa perperam a pluribus inveſtigata fuerit.

Cer-

Cervi hepar & vaſa biliaria luſtrantes, praeter tunicam pori hepatici nullum aliud bilis receptaculum, i. e. nullam veſicam deprehendimus; illius tamen rami per hepatis ſubſtantiam diſperſi ingentes ſatis conſpiciebantur, quorum unus in illa hepatis parte, cui alias folliculus adhaereſcit, in alveum, ipſum truncum latitudine dupla ſuperante, ad duarum unciarum longitudinem extendebatur; in columba nullam veſicam felleam, duplicem vero porum hepaticum vidimus, quorum ſuperior ſ. major ad duodeni latus inſertione ſua aliquanto profundius deſcendit, hinc demum ad ſuperiora reflexus in ejus cavum penetravit.

Sicut autem pauciſſima dantur animalia, quorum fellis veſicula ſinui hepatis non inſculpta latet; ita quaeſtio habetur: An haec folliculi fellis cum hepate connexio ſuperficiaria exiſtat? vel annon inſimul ramulos quosdam biliarios ex hepatis penitiore ſubſtantia emergentes illa recipiat? poſterius probabile videtur, quod dum lenta manu avellitur ac ſeparatur veſicula ab hepatis ſubſtantia, fibrae plurimae obſervantur connectentes, quas cum *Highmoro* Disq. anat. L. 1. p. 3. c. 2. radices illius folliculi biliarias credo. Cum in cane nuper diſſecto ramulum ejusmodi diſciderimus, bilis veſtigium ex ſapore, ſanguinis vero admiſcelam ex colore collegimus, ita, ut propaginem venae portae intra capſulam communem cum biliaria latentem fibram hanc ſuſpicati fuerimus. In ſimili ſubjecto vidimus in veſiculae diſciſſae cervice foramina tria oblique ſatis ſubſtantiam hujus ſubeuntia, ſtilum manifeſtiſſime admittentia, horumque unum compreſſo hepate bilem eructans; cuncta vero vaſorum biliariorum communicationem permittentia, licet propter ſummam exilitatem ulteriorem illorum progreſſum examinare haud licuerit. Pariter in hepate bubulo deprehendimus biliariorum canalium tres majores, duos ex hepate emanantes, & unum cyſticum, qui in truncum choledochum inteſtinalem coaleſcebat. Cyſticus iterum de ſe ſpargebat canaliculos plures, &, ni fallor, ultra

XII. majores & minores; quorum patentes magis hepatis substantia profundius immergebantur, & cum hepatis ductu notabiliter satis communicarunt, quod stilus per cysticum immissus, & per hepaticum denuo egrediens, in nonnullis etiam ramulis stilus, immo separata paululum hepatis substantia manifestabat. Praeter hos tamen cystici canalis ad hepar tendentis ductus *Glissonius* etiam duplicem observavit, qui in ipsius folliculi anteriorem partem, oblique admodum, prout ab Amstelodamensibus describitur, postquam in unum truncum coaluerat, inferebatur, stilum autem vesicula, aeque ac ab extra admittens, immo binos adhuc similes ductus stilus ab interiore folliculi admissus monstrare videbatur. De caetero flatus per ductum cysticum impulsi, & vesiculam valde distendentis portio sponte recedebat per eandem viam; ast flaccidior aliquantum vesica, ut ut palpata, eundem flatum haud statim removebat, nisi postquam fortior accedebat compressio, probe autem & ad notabilem turgescentiam inflato per ductum cysticum folliculo, flatus tandem diversos & manifestiores hepatis tractus percurrebat, & per hepaticum aggrediebatur, immo separata magis hepatis substantia, canales communicantes manifestius videbamus. Conformatio orificii ductus cystici in vesicula instar epistomii prominentis (v. g. sicut pylorus intestina respiciens) se habebat, ita, ut interius omnem regressum a folliculo ad cervicem videatur occludere. Tandem ductus hepaticus dexter valvula semilunari manifeste munitus erat; sed in sinistro hujus vestigium non apparebat.

Denique in conformatione vasorum biliariorum notabile observatur discrimen ratione insertionis ad intestinum, ita, ut quomodo in homine aliisque animalibus pluribus ductus cysticus atque hepaticus ante insertionem dictam coalescant, & in eandem intestini partem determinentur; in aliis tamen non solum toto suo tractu distincti maneant, usquedum duntaxat communi osculo in intestinum patescant, prout in serpentibus & anatibus conspicere licet; sed separatim quo-

quoque, interjecto notabili ſpatio, ad hoc ſe exonerent, ut in pennatis plerisque, quod in ulula & pavone Acta Haffn. vol. 3. obſ. 98. & 114. teſtantur, & in gallina vidimus.

OBSERVATIO LXII.

Dn. D. IOANNIS ERNESTI NEVBAVER

De

Proceſſuum cerebri mammillarium cum naribus connexione.

Proceſſus mammillares, nervos olfactorios, ſive illos, quibus mediantibus exhalationes odoriferae ad cerebrum deferuntur, quidam Anatomicorum negarunt, quidam affirmarunt. Negantium vero fundamentum, quod oſſis cribriformis meatus a dura matre obturentur, hinc medullaris illorum nervorum ſubſtantia per hos ad nares vix derivetur, harum partium conformationem & habitudinem curatius rimati ſequentia deprehendimus.

Scilicet 1) in capite vitulino, ſi per transverſum diſciſſi proceſſus mammillares apici hujusque interiori ſuperficici e longinquo applicetur tubulus, & hujus ope diverſis medullaris illius ſubſtantiae plagulis inſpiretur flatus, in harum nonnullis foveae mox apparebant conſpectiores, aliis haud ſubſidentibus, ſine dubio meatibus oſſis ethmoidei reſpondentes, ipſisque continuae. 2) Naſi radice pariter transverſum diſciſſa per tubulos hujusque cartilagines, ſi ſtilus proportionatus immittatur, absque ulla renitentia cavitatem dictorum proceſſuum medullarium ſubintrabit. 3) Si eandem naſi radicem ſecundum longitudinem incidas, vel potius disquames ita, ut cartilagineorum horum tubulorum oſſi cribriformi continuatorum paries ſuperior tollatur, & medullaris in dictis oſſis cavernis latens proceſſuum illorum appareat ſubſtantia, conſpi-

cuae fient hujus laciniae nominatos tubulos infarcientes, & quidem felicius per microſcopium. Immo tandem & 4) in capitis cujusdam vitulini latere dextro obſervavimus veros & fibroſos nervos a proceſſu mammillari emanantes ad binos narium tubulos derivari, quod tamen antea me nunquam vidiſſe fateor.

Accedit hic, quod in avibus obſervare liceat, horum nares ad cerebri cavitatem revera & manifeſte ſatis terminari, ſicut in ululа a *Borrichio* diſſecta *Bartholinus* Act. Hafn. vol. 1. obſerv. 2. teſtatur, nosque in anſeris capite vidimus: ſcilicet dum aperiebatur hujus cranium & cerebri anterior, ac proceſſibus medullaribus reſpondens pars per transverſum diſſecabatur, flatus mediante tubulo adſpiratus cavitatem prorſus manifeſtiſſimam reddebat, & in hac bina foramina monſtrabat, quibus immiſſus ſtilus facili negotio, & absque omni remora ad nares utrinque deſcendebat.

Jena Onoldum
miſſae d. 6. Ianuarii 1777.

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. BALTHASARIS HACQVET

De

Avulſo ex articulatione ſcapulae brachio in praeternaturali partu.

Neminem tam peregrinum in eruditorum monumentis eſſe arbitror, qui ignoret triſtiſſimum juxta, ac mirandum maxime caſum, quem Philoſophicae Transactiones N. 449. pag. 313. menſe Auguſto *Samueli Mood* obveniſſe meminerunt, quemque *Ioannes Belchier* chirurgus accurate adnotaverat; contigit videlicet ut rota dentata funem, quem brachio circumvolutum infelix hic vir gerebat, arripuerit, una virum in aërem

aërem sustulerit, & brachium de corpore, una cum scapula avulserit, quin is nimia sanguinis profusione obiret.

Ejusmodi casus non tam raro accidunt, ut videtur, praecipue in metallifodinis, ubi hydrostaticarum, aliarumque machinarum copia est; in fodinis homines saepius ejusmodi calamitate tanguntur, ut eorum artus aut dilacerentur, aut prorsus avellantur, & tamen compluribus ex illis vita servata est. Ipse virum in Hungaria noveram, cujus brachium ex articulatione vi rotae in hypomochlio ablatum est, & tamen hic homo, quemadmodum ipse mihi fassus est, tam misere mutilatus brevi tempore ex hoc vulnere convaluit. Verum quod attinet exarticulationem brachii prolium viventium, quae in partu praeternaturali impeditae fuerant, vix erit celebrem aliquem locum invenire, qui ejusmodi casus aut ex ignorantia, aut ex ineptitudine positos referre non possit.

Atque hoc illo potissimum tempore frequentius accidit, quo minor erat cognitio, quam habuimus de situ, totoque mechanismo partium genitalium.

Etsi experientia nos docet, hoc saepe prolibus adhuc vivis contigisse, tamen haud scio, an exemplum tale ullibi notatum sit, quo vidissemus, prolem post partum mutilatam in vivis fuisse conservatam.

Equidem non in uno, sed pluribus locis memoriae traditum est, prolem vivam, & tali modo mutilatam in lucem prodiisse, attamen paulo post esse mortuam. Cum igitur proles in partu mutilata, & in vivis servata res mihi videatur prorsus singularis & nova, sequentem casum pluribus exponere aggredior.

Anno 1766. die 3. Martii Catharina Skrabka Labacensis, matrona venusta & elegans, partu prolem non minus sanam ac venustam datura erat. Post dolores aliquos egressa est aqua, & dextrum brachium prolis ex vagina uteri excidit. Accersebatur, ut parturienti opem ferret, mulier, quae licet obstetriciae artis non esset perita, hanc tamen artem continuo

nuo exercebat. Iam ignara haec obstetrix vehementem matri intensionem causata est, una brachium attrahens, at incassum, fieri enim non poterat, ut mater tali modo praeternaturali foetu liberaretur.

Nulla igitur alia matronae sese liberandi restabat via, quam ut brachium ex articulatione tolleretur, quo fieret, ut caput secundum ordinem & leges naturae primum egrederetur, & adeo mortuam prolem eniteretur.

At quamvis mater omnibus viribus niteretur foetum edere, ille tamen nullatenus prodiit. Tandem obstetricem hanc ineptam infelix cogitatio subiit, partes chirurgi suscipere, & partum instrumentis promovere. Antequam ad opus aggressa est, instrumentum ipsa confecerat. Magnam longamque furcam bina instructam cuspide paraverat, eamque inflexerat in extremitate in formam duplicis unci. Hoc lethale instrumentum intulit utero, idque in prominentes partes applicuit, omnino sperans, se prolem hoc modo in lucem productaram. At quam primum cuspides seu unci carni viventis prolis infigerentur, illa tanta vi se retraxit, ut ictus, quo proles in basin uteri regressa est, matri vehemens deliquium causaretur. Quo facto attonita a proposito destitit, probe intelligens, & matri, & foetui esse pereundum.

Post aliquod tempus vires mater recuperaverat suas, ubi uno alterove dolore exagitata, prolem vivam, quamvis fessam pauxillum, absque dextro brachio facillime & celerrime enixa est, non sine exigua adstantium admiratione.

In scapula prolis natae clare vestigia videbantur uncorum impressorum; vulnus ex avulso brachio more provinciae tractatum est, eodem modo, quo tractari solent vulnera a tartaricis populis, nempe ope laridi, dum penitus concresceret, nullo interveniente chirurgo, utpote, quemadmodum opinantur, non necessario.

Remedium profecto tale, quod sanguinem magis elicere, quam illius profusionem cohibere poterat, cum laridum

res

res emolliens, & neutiquam adstringens sit, & tamen factum est, ut nihil sanguinis amplius ex disruptis arteriis promanaret. At ratio hujus maxime patet, quod remedium hoc usurpatum exiguam relationem ad motum elasticum vasorum habuerit; satis enim, abundeque experientia docemur, vasa divulsa parum, aut plane nihil cruoris emittere, cum vi elastica omnes fibrae arteriarum valde se retrahant, & aperturam obstruant, quod vero non accidit, si vas abscindatur, cum fibrae circulares longitudinalibus resistant, ubi vero dilacerantur, tum circulares ex parte pereunt, & adeo longitudinalibus non resistunt.

Conabor in alia dissertatione hanc propositionem celeberrimae societati uberius ante oculos ponere, in qua nempe de dilaceratione funiculi umbilicalis seorsim agam.

Iam pauca de situ prolis. Videtur sub initium situm hujus fuisse naturalem, tandem manum in elapsu praecessisse, & sic partum naturalem impediviſſe. Ipse partus hanc suspicionem movet, dubium isthoc non inane est; nam quamvis mater adhuc vivat, qui tamen partus processus fuerit, non recordatur amplius. Nullus dubito, quin quamprimum matrona manum senserat, tam rudis mulier, quae obstetricis vices agebat, defuerit, quo minus eam ad se retraheret, ita, ut partus laboriosus in praeternaturalem verteretur; itaque inepta foemina in simplicitate sua elaboraverat, partem prominentem, & partum impedientem amovere, ut partum ipsum faciliorem redderet; at opinio illam & spes fefellit; quare eo deducta est, ut descripto superius instrumento iterum uteretur, quod effectu suo non caruit, quamquam contrario fini, ex quo adhibitum est. In his enim circumstantiis instrumentum longe alios effectus produxit; avulso enim brachio saltem, ut natura ferebat, & ut eventus exhibuit, caput in sinistra parte pelvis jacere debuit, quandoquidem facies contra os sacrum versa erat.

Cum furca applicaretur, ejusque graves unci viventi proli dolores, sicut superius dixi, adferrent, illa se magna vi ad basim uteri retrahebat, quo factum est, ut mater grave deliquium pateretur, nec sine gravi periculo, cum facile contingere posset, ut basis uteri disrumperetur. Interea cum proles ita se retraheret, caput naturaliter pelvim ingressum est, unde partus naturalis & felix secutus est.

Hoc casu commotus, saepe & multum cogitare mecum coeperam, annon optabilius, & e re humana sit magis, si necessitas urgeat, ut brachium avellatur, & facies prolis versus tergum matris conversa sit, & adhuc dolores adsint; an, inquam, non optabilius, an non e re humana magis, & rationi conformius sit, caput exigua trunci elevatione dirigere & adjuvare? judico enim fieri posse, ut, dummodo caput non sit nimis magnum, & diameter pelvis cum eo in naturali proportione stet, partus saepe citius absolvatur, quam inversione prolis in utero materno plena doloribus, quae interdum non cum exiguo periculo conjuncta est?

Hanc dissertationem cum scriberem, contigit, ut ipsa nocte, quae diem 22. Ianuarii 1777. praecedit, ad mulierem rusticam, quae jam mater 6. filiorum erat, evocarer. Haec infelix mulier 19. ejusdem mensis noctu parturire coeperat. Liquor amnii praefluit illico, post dextra manus prolapsa est. Cum vero ab urbe haec mater trium horarum spatio distaret, ut ruri apud nos mos fert, proxima ex vicinitate mulier, quae vices obstetricis ageret, accersitur. In quibus circumstantiis partus infausta obstetrix tam diu in extrahendo brachio incassum elaboravit, donec tandem exarticulatum & semivulsum fuerit Proles jam perdita & mater non procul ab interitu suo distare videbatur. Die igitur 21. quidam in urbem mittebatur, qui obstetricem accerseret, at cum nullam habere posset, unam ex iis foeminis, quae obstetricibus adjunguntur, secum adduxit, quae & malum matris non minus, quam prolis statum agnoscens, & probe intelligens, se huic operi parem non esse,

esse, nihil moliri ausa, dabat consilium, ut mulier trahae imposita in urbem ad me deportaretur, ubi foetu suo liberari possit. Advecta est etiam ad nos die 22. elapsis duabus horis a media nocte valde misero statu, ut facile conjici potest. Brachium prolis ex vagina uteri semi dependebat, adhaerens adhuc parti integumentorum communium. Quamvis vasa brachii jam in vico semiavulsa fuerint, proles tamen mutilata, usque dum medium prope iter urbem versus teneret mater, vixerat. Ad matrem adductus deprehendi eam valde defatigatam, partes pudendas excessive, ob ineptam & malam obstetricis tractationem intumuisse, & intus pendens brachium; idque non deformatum uni duntaxat cutis parti plus adhaerens. Cum in illo nullum expertus sum vitae vestigium, id penitus depromebam. Alterum quod eodem modo non erat adeo remotum, tactu consecutus sum, quod me certum esse jusserat, mortuam jam esse prolem.

Uterus cum valde esset exsiccatus, & mater absque doloribus, & summopere debilis, extemplo incommodam valde inversionem prolis in utero materno perfeci, simulque in prole observavi, illam adhuc ante breve tempus in vivis fuisse. Absoluto partu crebra deliquia mater passa est, quae quidem & ante jam experta est. Haec deliquia secutum est ingens frigus; arteriae pulsus erat debilis & tenuissimus, quibus perspectis mulieri esse pereundum censui. Extemplo ei juscula copiose porrigi jussi, quibus simul sumptis duas uncias vini ordinarii admiscui; id quod illius arteriae pulsum sensim iterum pleniorem reddidit, ita, ut hora 12. in meridie oppressionem aliquam pectoris persentisceret, ubi octo uncias sanguinis per venae sectionem emittere, & mixturam antiphlogisticam adhibere coactus fui; partes pudendae aptis fomentationibus tractatae sunt.

Hora sexta vesperi deprehendi arteriae pulsum aequaliter plenum, cui magni dolores dextrorsum in matrice accesserunt, quam valde induratam, maximisque doloribus exacer-

batam, & proinde inflammatam conspexi; itaque repeti venae sectionem, & antiphlogisticam mixturam continuari jussi.

Singultu spasmodico jam laborabat, cum in urbem deportaretur, qui nunc vehementior evaserat; die 23. mane arteriae pulsus magis adhuc erat suppressus, & dolores in parte inflammata in eodem gradu vehementes, quare meo consilio repetebatur tertio venae sectio, at hora 3. a meridie desiit dolor; aderat igitur illud punctum temporis, quo uterus gangraena corripi debuisset, cui accedebat diarrhoea, & incontinentia urinae, quam gelidus sudor comitabatur.

Quis jam tibi sensus, amice lector! in hoc casu? quae cogitatio? an non una mecum senties, hanc matrem certam mortis victimam, paulo post futuram pronuntiabis? at elusit illa nostram mortis sententiam, fefellit cogitationes nostras, id, quod firmis naturae & corporis sui viribus in acceptis referat potius est necesse, quam nobis aut omni arti nostrae. Cum ab ea die 23. discederem, demandaveram adstantibus, ut viro nuntiarent, eam proxima adhuc nocte obituram. Altera die inquirebam, quanam hora extremum vitae spiritum emiserit? at cum quidam meorum discipulorum insperatum mihi nuntium afferret, eam vivere adhuc, & melius vivere; quanta cum admiratione, & laetitia devolabam ad aegrotam, de cujus longiori vita & salute desperaveram. Adverti arteriae pulsum esse emendatum & pleniorem, attamen adhuc febricitantem, die enim 24. frigoris vim maximam sustinuit; diarrhoea aberat, lochia suo ordine aderant, uterus mollis, & sensilis, verbo, omnia meliori jam erant loco. Ad haec usum mixturae antiphlogisticae inserto cortice peruviano continuari jusseram.

Hic confitear necesse est, quemadmodum ex prioribus patet, me inique judicasse; concluси quidem ex signis diagnosticis, ast in eo erraveram, quod vesperi, cum vehementiores dolores desinerent, uterum non iterum extrinsecus manu exploraverim, & lochia non observarim. Contigit enim sine dubio ex eo tempore magna evacuatio ex utero, quae exigen-

gente sic natura dolores sustulit. Nisi nunciatum mihi esset, dolores momento desiisse, aliter forte judicassem, at vix mihi persuadeo, factum fuisse, ut omnia reliqua mala signa opinionem, quam habui, mihi ademissent.

Noctu 24. bis frigore corripiebatur, & cum eam altero die mane hora 9. invisserem, iterum pejus sese habebat; arteriae pulsus suppressus erat & celer, lochia cessaverant, & uterum rursus induratum & tumidum deprehendi, & cum per quartam horae partem apud illam commorarer, denuo frigore correpta est. Mixtura cum cortice, & cum borace & cum decocto emolliente continuabatur. Eadem die vesperi illam eodem modo affectam deprehendi, liberam tamen frigore. Enemata nequaquam omissa sunt. Causam non facile detegere hujus velocis & malae immutationis poteram, usque dum a circumstantibus intelligerem, adfuisse maritum, qui eam, ut erat, semimortuam devecturus erat, quod miseram & infelicem matrem in eum terrorem conjecit, ut eam illico vehementissimum frigus cum spasmis occuparet. Desiit admiratio, qua ob repentinam isthanc immutationem perculsus eram, & omnis in id conversa est, quod illa non extemplo has inter injurias exspirarit. 50. enim observatio IV. Voluminis ex litterarum monumentis celeberrimae societatis, quae refertur a Ioanne Sebastiano Albrechto, a me ipso per 15 annorum praxim comprobata est, quae est, paulo post obiisse puerperam quamdam, cum illi acerba res nuntiaretur.

Ab hoc tempore insensibilitas quaedam totum sinistrum latus occupaverat, quae aliquam immobilitatem in sinistrum brachium, pedemque induxerat. Interea hoc incommodum & in caeteris, qui praeceffere, partubus experta est; 27. infirmam in sat commodo valetudinis statu reliqueram si animi pathemata demas, quae patiebatur frequentius. Mater illius & maritus eodem die vesperi verbis, & minis acriter in illam invehebantur, quo factum est, ut denuo convulsionibus corriperetur, & ultimo die Ianuarii animam efflaret; uterus ab

omni gangraena immunis erat, neque lochia malum odorem spargebant. Sectionem anatomicam instituere mihi non licuit.

At revertamur rursus ad propositum nostrum, unde aliquantum aberravit oratio mea. Proles, de qua nobis sermo, amisso brachio unum annum, & duos menses vivens complevit, & tandem ex malignis variolis mortua est. In vita multum ingenii & rationis ostendit. Argumentum iterum, quod, quo parcius succus nerveus in alias corporis partes diffluat, eo plus ingenio accedat. Argumenta in rhachiticis ubi totum corpus consumptum est, & caput tantum accrescit.

Labaco Onoldum
missa Calendis Martii 1777.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. BALTHASARIS HACQVET

De

Lacte contagioso & lethifero nutricis morbo venereo affectae per Anatomen instituta.

Nobilis Domini, & Carniolae Provincialis de Schiferstein uxor, nobilibus & ipsa orta natalibus, optatissimo eventu, quemadmodum anno 1774. ita & mense Ianuario anni 1776. prolem peperit masculam, non minus elegantem, quam bene valentem. De firma, eaque in plures annos duratura parentum hujus prolis ejusdemque avi & aviae maternae valetudine constat inter omnes. Quid quod & eorum vivendi ratio non modo ab omni seu licentiae, seu alterius criminis suspicione remota & libera, sed honesta etiam, omnique decoro apprime consentiens sit. His enim in acceptis referri oportere arbitror, quod eadem mater paucis abhinc mensibus prolem iterum enixa fuerit & vegetam & firmam. In his ter-

terris, nescio, quonam fato, infelix mos obtinet, ut parentes, quorum vel conditio vel res meliori sunt loco, nutrices conducant, quae proles lacte alant, & iisdem non raro cum lacte vitiorum semina instillent; quasi vero vererentur, ne quid dignitati suae detraheretur, si ipsae matres prolibus suis lac, quod iis a natura hunc in usum datum fuisse videtur, subministrarent. Hae enim matres aut suo immodico fastu, aut pessimis aliarum ejusdem conditionis & fortunae matrum exemplis inductae autumant, in eo non ultimam praerogativarum suarum partem consistere, ut se hac consuetudine tam iniqua prolibus tam etiam naturae legibus adversa a vulgo, & ceteris, qui inferiori habentur loco, secernant. Quae quamquam ita se habeant, quemadmodum dixi, nolim tamen, quis existimet, me tam acrem infausti hujus moris impugnatorem esse, ut illum ex humano genere penitus eliminatum cupiam: possunt enim, non ignoro, eae circumstantiae emergere, in quibus non solum proficuum, sed etiam necessarium est, ut nutrices prolibus lacte alendis conducantur: sic inter cetera gracilitas matris, aut debilitas non raro obstant, immo prohibent etiam, quo minus ejusmodi mater prolem suam proprio alat lacte, viresque suas non sine vitae propriae discrimine consumat. Id quod & hujus prolis, de qua in praesentiarum agimus, matrem impulit maxime, ut ei de nutrice prospiceret. Id unum velim, parentes, qui in ejusmodi redacti angustias coguntur prolibus suis de nutricibus providere, sibi persuadeant, se negotium tractare adeo grave, adeo plenum periculis, ut nunquam satis eorum curae & cogitationes in hac electione evigilare possint. Quod quam certum sit, tristissimo omnibusque parentibus metuendo exemplo demonstrabo; cui observationem adnectam, quam de lacte contagioso & lethifero nutricis morbo venereo affectae per Anatomen instituti.

Praedicta mater vel propter corporis gracilitatem lactando impar meretricem, si quis illius externam formam, & constitu-

ſtitutionem corporis conſideravit, ſanam & bene valentem rure accerſivit, quae, quemadmodum primo genitam prolem anno abhinc elapſo lacte aluit, ita & hanc alteram aleret. Utinam tam felici etiam eventu! Illud hic praeterire non poſſum, primogenitae quoque prolis corpuſculum ſcabie, leprae ſimili, multisque bubonibus obductum fuiſſe, verum per multiplicia purificantia factum eſt, ut ſcabie hac liberata in vivis conſervaretur. Utraque proles, quam haec enixa eſt meretrix, mortua eſt; me latet an una & altera ex lepra interierit. Infelix hujus prolis, de qua nobis ſermo eſt, mater cum ſcabiem, ſeu lepram in primogenita prole non a contagioſo lacte meretricis extitiſſe ſuſpicaretur, nullo modo dubitavit, quin hanc denuo rure accerſeret, ut & ſecundo genitam aleret.

Primo ſtatim menſe, quo haec ſecundo genita hujus lac ſugeret, per diem ſaepius vomere coepit; id, cum nil mali de nutricis lacte quis opinaretur, onerato nimium ventriculo tribuebatur primum, dein vero, cum vomitus in dies continuo ſingulos, & ſaepius contingeret, omnis hujus morbi culpa in ignoti alicujus mali vim, quo ventriculi nervis magna irritabilitas accederet, conjecta eſt. Ad haec ſe manifeſtavit teterrima ſcabies, quae ſucceſſive totum caput, vultumque occupaverat, attamen huic nil analogi cum cruſta lactea fuit. Communis erat omnium ſenſus & opinio, hanc ſcabiem nil aliud, quam periculoſiſſimam impetiginem eſſe; cui illico ordinarius Poliater per evacuantia occurrendum eſſe putavit, quamquam fine ſenſibili fructu; infirma enim proles omnem medicinam, quam ſumpſerat, illico evomuit; & licet doſis eſſet exigua admodum, aut etiam involventia adhiberentur, tamen valde raro contigit, ut ventriculus quidpiam irritantium retineret.

His non obſtantibus proles per ſex prope menſes valetudine utebatur utcunque commoda, & ad ſpeciem bona; poſt hoc tempus in dextra illius auricula parotis protuberabat, quae tamen paullo poſt, nullo adhibito medicamine, evanuit: mox

tumor

tumor sub maxilla inferiori comparuit, qui in suppurationem abiit ante, quam induratio, quae aderat, per suppurantia & resolventia tolli potuerit. Hujus ulceris suppuratio usque ad finem vitae jam major, jam minor fuit.

Haec inter cum septimum proles vitae suae compleviſſet mensem, repente scabies disparere videbatur, quae post breve tempus copiosius, quam antehac, egressa est, ad quam copiosus humorum concursus in naribus accessit. Ubi crebra ulcera in membrana pituitaria exorta sunt, veramque narium ozaenam formaverunt, quae ad ultimum usque vitae diem perstitit: non aberat ab his foetor, qui ulcera venerea comitari solet; demum etiam in reliquo corpusculo hinc inde tumores varii prodierunt.

Inter hos corpusculi cruciatus, postquam infelix puerulus primum vitae suae annum emensus est, me primo accersere parentibus placuit. Quam misera fuerit jam aegrotae prolis conditio memoratum est: adverti praeterea, totum pueruli caput vultumque valde crassa crusta obductum, tumoremillum sub maxilla inferiori vehementer induratum, manus impetigine infectas; deprehendi quoque bubonem in sinistro brachio, & alium sub genu dextri pedis, & tres similes in cetero corpusculo; duo ex his in suppurationem abierunt.

Hi omnes speciem bubonum venereorum, ut supra descripta impetigo speciem scabiei venereae prae se ferebant. Reliqui bubones, qui jam disparuerunt, reliquerunt maculas nigricantes, & quasi violaceas; quae omnia non mediocrem mihi suspicionem illico moverunt, puerulum forte a nutrice sua luem hausisse veneream, cui opinioni eo firmius adhaesi, quo certius intellexi, ab eadem meretrice prolem jam primogenitam lactatam, & simili prope morbo fuisse affectam. Omnes bubones, qui in suppurationem abierunt, rubras maculas reliquerunt, veluti signum, quod semper membrana adiposa per suppurationem fuerit absumpta, quemadmodum in scabie venerea plurimum accidit, cum ulcera in iis locis com-

parent, ubi membrana adipoſa exigua eſt, & cui muſculi ſubjacent. Illico meretricem amoveri, & nutricem aliam melius valentem, & honeſtiorem adduci juſſeram, quae infanti lac ſubminiſtret. De bona valetudine, & honeſtate hujus nutritricis vel ex eo certi eramus, quod prolem propriam & vegetam, & firmam, & benevalentem in vivis habuerit, eamque proprio lacte nutriverit.

Tandem humores depravatos per evacuantia, qualia ſunt: reſoluta manna, ſyrupus de cichorio cum rheo depellere tentaveram, at utut mollia haec remedia erant, & in exigua doſi adhibita, raro tamen accidit, ut non vomitus, quo omnis medicinae vis eludebatur, ſequeretur: cetera quoque remedia, quibus puerulo opitulari optaveram, fructu carebant ſuo, propterea quod tam parvulo inferri nihil potuerit, niſi per lac nutricis, quae ex meo conſilio aſſiduis decoctis ſarſaparillae, chinae nodoſae uſa eſt: cur mercurialium uſum nutrici denegandum judicaverim, primum eſt, quod ſecunda hac via depravatos jam ſuccos, & ſanguinem prolis non ſit emendatura; ſecundum eſt, quod inopportuno tempore ſanguis nimium rarefieret: ad haec quotidiana me docet experientia, mercurialia foeminis longe non eſſe tam ſalutaria, quam maribus. Indubium enim eſſe arbitror, fibras earum, ut metalli reſiſtant gravitati, non ſufficere; hinc ſaepe in hydropem incidunt, vel etiam plane partes durae emolliuntur: annon experientia item quotidiana docemur, etiam virorum corpora ex frequentiori mercurialium uſu attolli, & incraſſari? Objici quidem hic poteſt, ad hocea decocta ſaepius uſurpata, quibus in gonorrhoea maligna utimur, non parum conferre; interea tamen expertus ſum, me his non adhibitis eosdem fructes obtinuiſſe; feliciori ſemper eventu, decocta lignea, quam mercurialia apud ejusmodi aegrotos uſurpata ſunt. Atque tale decoctum ligneum eſt, quo quidam poliater noſter labi venereae medetur, & quo magnam ſibi nominis famam in orbe comparavit: in hoc ex mercurialibus nil admiſcetur. Ego idem decoctum ſaepius adhibeo

beo foeminis lue venerea affectis. Consistit vero totum decoctum, ni fallor, quamquam in arcanis duntaxat suis esse hic vir autumat, in sequentium lignorum speciebus, videlicet in radice sarsaparillae, in china nodosa, in bardana, in ligno guajaco, & sic dicto sassafras; accedit ad haec etiam antimonium crudum, quod telae lineae illigatur, dein quaedam nucis putamina, & lapis pumicis, qui quem effectum edat, ignoro, cum aqua resolvi nequeat. Haec omnia simul coquuntur. Certum est, integram compositionem rem novam neutiquam esse; hoc enim decocto, ut ingenue fatear, optimo eventu saepe jam usus sum. Quantum haec commemorata decocta lignea huic morbo emolumenti adferant, quantumque serviant, praesertim si ante mercurialia jam fuerint adhibita, celeberrimus Archiater *Fordiceus* c. 16. observat. medic. & inquisit societatis medicorum Londini *a*) comprobavit.

Sed ad nostrum aegrotum iterum redeamus: Scabies venerea hausto per aliquod tempus lacte salubriore, & variis decoctis temperato nostrae nutricis, sensim in manibus & vultu imminui videbatur. In hoc apparenter meliori, & nisi vomeret, optimo statu, ob iter quoddam botanicum, quod suscipiendum mihi erat, ad duas hebdomadas puerulum reliqui. Vomitus interea more solito, si praeter lac aliud quid hauriret, accidit. Confecto itinere prolem in eodem prope, quo eam reliqueram, valetudinis statu deprehendi; inflammatio quaedam exigua accesserat, quam in oculo sinistro animadverteram; observavi quoque in anteriori oculi camera aliquam suppurationem coepisse. Malo tam periculoso, tamque intempestivo, ne visum amitteret puerulus, omni modo occurrendum putavi. Extemplo itaque adhibui venae sectionem localem ope hirudinum, quos auri applicui.

Duae & ½ unciae sanguinis ablatae sunt, hirudinum enim gravitatem antea bilance exploraveram; similem venae sectio-

a) Medical Essays, observations and inquiries by a society of Physicians, London 1775. Tom. 1. n. 16.

nem localem post duos dies denuo fieri jussi, ubi simul adhibui evacuantia, praesertim mercurium dulcem, & in exigua dosi, sed cum puerulus plerumque iterum medicinam evomeret, optato effectu omnis mea cura caruit. Applicui quoque cervici vesicantia, quibus suppurationem promoverem, externe vero usus sum cocta florum malvarum aqua, cui aliquot guttas spiritus camphorati admiscui, observaveram hic methodum ex ophthalmici *Ianin*, *b*) qua, utut simpliciſſima sit medicina, saepissime jam non sine effectu optatissimo usus sum. Quamvis omnia, quae suppetunt, remedia adhibuerim, quibus speraveram, futurum, ut oculus non laederetur; impedire tamen nullo pacto poteram, quin suppuratio in oculo non continuo major contingeret: cum jam nulla spes supereſſet, ut resolutio suppurationis fieret, aperiendam corneam transparentem esse judicavi: at huic sententiae meae pueruli mater restitit, hinc nil aliud expectaveram, quam corneam transparentem a suppuratione exesum iri. Sensim cornea transparens intumuit; qui tumor in ulcus abiit, ita, ut tunica aquea staphyloma faceret, post aliquod tempus etiam iris egressa est. Nisi puerulum jam perditum putassem, certissime remedium supra memorati cl. *Ianin* in hoc casu adhibuissem, butyrum antimonii pluribus enim jam occasionibus expertus sum optimo haec mihi fortiora caustica usui fuisse. Si oculi incisio facta fuisset, certe staphyloma impediviſſem. Haec inter ad nos D. Hilmer quidam ex iis ophthalmiatris, qui per universum peregrinantes orbem male credulis hominibus non raro imponunt, delapsus est. Illico per domos schedae volantes distributae, quae & adventum suum nobis nuntiarent, & praeconia non modo artis suae, sed etiam liquorum, & dexteritatis suae continerent. Quanta laetitia parentes infirmae prolis accepto hoc nuntio affecti fuerint, facili negotio quisque, qui, quo animo parentes in proles suas ferantur, novit, asse-

b) Memoires, & observations anatomiques, physiologiques, & physiques sur l'oeil, par M. Jean Janin, a Lyon 1772.

assequetur. Itaque accersitur, initur, me praesente, cum illo consilium de misera oculi conditione; interrogatus, an spes aliqua superfit, ut oculus non amitteretur, pleno ore pollicetur, & eo confidentius, quo certior erat, se ultra duos dies hic loci non commoraturum esse, restituendum indubie fore oculum puerulo, si divinis, & vel ideo carissimis liquoribus, quos allaturus est, usi fuerint. Parentes, licet dissuasissem, hunc hominem de coelo missum rati, & nullis parcentes sumptibus, ambabus manibus hos liquores arripiunt, & pueruli oculo applicant; verum dum secunda vice id tentarent, jam ingeminari dolores coeperunt & inflammatio de novo exorta est. Quare factum est, ut integra lagena non sine indignatione prius abjiceretur quam ego investigare hos liquores potuerim. Quantum conjicio, nihil aliud fuit in his liquoribus quam vel saccharum saturni, vel vitriolum album resolutum. De hoc bono viro, & ophtalmico Hilmer celeberrimum *Zachariam Vogel*, in suis observationibus *c*) (p. 332. & sequentibus) rate sensisse comperi; idem enim omnino est, qui fuit.

Interea, cum ego evacuantia puerulo adhiberem, saepe me subiit cogitatio, an non frequens hic vomitus mercurio dulci tribui possit, quamvis & idem aliis medicaminibus acceptis, quibus mercurialium nil admixtum erat, contingeret.

In hanc itaque cogitationem intentus sedulo eadem medicamina aliis aegrotis prolibus adhibui, & nunquam hunc sinistrum effectum observavi. Et quamquam de accurata praeparatione, qua pharmaciae nostrae medicamina conficiunt, satis certus essem, attamen, cum in praedicta medicina conficienda singularis cautela adhiberi debeat, & vel minima inadvertentia medicaminis vim immutet, ipse hanc medicinam praeparare constitui; jam fieri cum saepissime viderem, ut, quamvis sublimatum cum hydrargyro nativo satiaretur per re-

c) *Anatomische, Chirurgische und Medicinische Beobachtungen und Untersuchungen von Zacharias Vogel Rostock.* 1759.

petitas sublimationes, illa pars, quae primum ascendit, rara magis & alba fiat, ac gustata vehementer urat, esse igitur acidum salis marini non satis satiatum in comperto est, cui magna vis corrosiva relicta sit, omnis enim corrosiva vis sublimati consistit in copia commemorati acidi salini. Id quod primo accidit, si in praeparatione sequens provida diligentia non observetur. Nam postquam certissimus, nos desideratam copiam mercurii sublimato appositisse, satisque illud satiatum esse, tum hoc mixtum iterum in porphiro in tenuem pulverem redigi debet. Ad haec cura quoque nostra sit, ut prima illa alba & rarefacta pars a reliquo sejungatur, ubi initio sublimationis albus pulvis in superficiem assurgit, qui nihil est aliud quam mixtum ex sublimato & mercurio dulci, consequenter valde periculosum aegro, si quidquam ex hoc medicinae, quam accipit, admixtum sit. Quare, ut & omni solicitudine & suspicione me liberarem, & securior essem, meis hanc medicinam ipse manibus confeci.

Verum ubi, licet diligenti & provida cura omnia acta fuerint, velim tamen tota praeparatio ad sequens examen revocetur. Confecta aquila alba, si certus esse cupis, nil amplius corrosivi adesse; tota massa in pulverem redigatur, cui aqua calida pro quantitate necessaria affundatur, tum fiet, ut sublimatum illico resolvatur, & mercurius dulcis solus, & purissimus remaneat. Dein aqua calida effundatur, & reliqua siccentur. Atque tali modo praeparatus mercurius dulcis absque ullo periculo ab aegroto sumi potest, & non sine fructu. Illud cave, ne aqua superfusa diutius retineatur in vase, quam necessarium sit, ut ea abluantur. Alioquin enim timendum esset, ne quid ex reliquis cum tempore resolveretur. Et quamquam omnes cogitationes meae & curae in eo totae evigilaverint, ut aegroto medelam aliquam afferrem; nullo tamen pacto vomitum, qui in dies, & vehementior, & frequentior exstitit, & cui consumtio etiam accessit, impedire & mitigare poteram. Ultimis duobus vitae mensibus, & frequentior, & vehe-

vehementior vomitus nocturno tempore accidit, quam diurno. Abjecta tandem omni spe venenum lacte haustum e tenero corpusculo expellendi anodyna adhibui, quibus factum est, ut vomitus aliquantum levaretur.

Cum viderem, ad vomitum consumtionem accessisse, facile cl. Viri *Mollinelli d*) auctoritas me in hanc potissimum sententiam impulit, ut existimarem ingentem & induratum tumorem, qui intestinum duodenum occluderet penitus, adesse oportere. Ex hoc enim non solum difficillimus, & tanto tempore continuans vomitus, sed etiam externa consumtio, & flavescens, qui se prodit, color facili negotio derivari potest.

Etsi vomitus & consumtio aegrotae corpusculum prolis depascebant, nunquam tamen in eo vel vestigium flavescentis coloris apparuit. Post mortem quoque per anatomen comperi, ventriculum, & situm naturalem, & formam retinuisse. Quamdiu proles vixerat, adhaesi magis sententiae per experimentum comprobatae praedicti cl. viri *Mollinelli*, quam aliorum, quamquam symptomata ea erant, ex quibus & alias morbi causas conjicere licuisset, quae mihi ignotae non erant. Ego tamen nullus dubitaveram, quin, quemadmodum glandulae externae, ita & meseraicae obstructae sint, id quod consumtionem non mediocriter promovet.

Dum aegrotus ad ultimos vitae dies deduceretur, vomitus cessaverat; sed ultimis tribus diebus, quibus jam proles nutrimenti quidpiam suscipere recusaverat, coepit acutioribus torqueri doloribus, & ita agi misere in omnem partem, volvique, quemadmodum ii solent, qui mortiferam hausere potionem. Atque hoc erat, quod concipere non poteram. In his gravissimis cruciatibus proles animam creatori suo die 15. Mensis Iunii anni 1776. reddidit.

Non facile ego ullam occasionem, novi quid videndi, tanto ardore arripui atque hanc ipsam, quae mihi visa est tam nova, & insolita, ut omni facultatis medicae attentione dignam

d) Bononienses de scient. & art. instit. atque acad. commentarii Tom. II. p. I.

gnam censeam; ante alia accipiebam cognoscere, an in hoc casu recte sententiae *Mollinelli* adhaeserim, an vero in judicio meo aberraverim.

Sectio anatomica in praesentia ordinarii Poliatri & Chirurgi & aliorum a me instituta est, omnes avidi praestolabamur, quidnam id fuerit, quod proli ultimis praecipue diebus tam graves cruciatus attulerit. Aperto abdomine vehementer mirabar intestina extrinsecus bile conspersa, & infecta, eaque jam in gangraenam degenerare coepisse. Nos suspicabamur, vesicam bileam aliquam extraordinariam & contra ordinem & leges naturae aperturam habere debere, unde bilis in corpusculum egrederetur, & hac ratione absolute lethalem bilis extravasationem accidisse. Examinaveram mox vesicam felleam summa adhibita cautela, ne illa cultro ulla in parte laederetur, verum illam ea forma, eoque loco esse, quam naturae lex & ordo exigit, & continentem adhuc aliquam bilis portionem deprehendi. Tum progressus sum ad ductus biliferos; ductus hepaticus, cysticus, & cholidochus omni defectu caruerunt, & multo minus aperturam extraordinariam & naturae adversam habuerunt. Iecur quoque naturae legibus conformabatur. His perspectis investigaveram ventriculum; antequam cultellum apponerem, illum paululum intumuisse adverti, id quod putredini inchoatae adscripseram. Igitur manum lentissime per concavitatem costae spuriae sinistrorsum extendi, ut eum deprimerem. Vix attigeram, auditus est sibilus aliquis, qui nos omnes, ut conjici potest, attonitos reddidit. Ventriculus illico concidit. Haec apertura extraordinaria in ea accidebat parte, qua vasa brevia continentur. Stomachum excepturus inveni, plus eum, quam aequum est, accrevisse lieni; ita quidem, ut rugam formare videretur. Quamvis haec extraordinaria & parva inflexio particularem faceret concavitatem, nihil tamen intus deprehendi, nisi parumper nigri humoris, quemadmodum in reliqua parte. Hac summa cura, & maxima cautela usus sum, dum ven-

ventriculum e corpusculo tollerem, ut criminationi occurrerem, quae *Mediaviae* facta est, cujus celeberrimus auctor *Morgagni*, *e)* Libro I. de morbis ventris Epist. Anatomico-Medica, art. 14. ubi de quadam anu adfert, mentionem facit, ad quam is die quodam stomachum attulit, quem perforatum quidem ulcere deprehenderat, quin tamen detegeret, majorem quandam effusionem in abdomine contigisse. Neque in hac infirma prole non ulla alia nisi bilis effusio facta est, quae vehementi contractione abdominis e vesica per duodenum & ventriculum in corpus egressa fuit. Cum dein dextram illius partem, quam lues adhuc non infecerat, aperirem, inveni unciam adhuc atri humoris, qui valde fuit gelatinosus, simillimusque illi, qui continebatur adhuc in vesica bilea, foetorem tamen nullum exhalabat hic humor; quemadmodum & reliqua in hac corpusculi parte, licet summo tunc temporis aestu torqueremur. Dicit *Hippocrates* in suo Aphorismo *f)*: cujus extemplo sub initium morbi nigra bilis aut vomitu, aut sede animadvertitur, hunc certa mors manet. Eadem, ut judico, effusio nostram prolem & tam crudeliter excruciavit, & vitae dies breviores reddidit.

Eodem die, quo mortua est, 6. horis ante finem vitae suae per vomitum ejecerat humorem similem illi, ut ex tela cognovi, in quam effusus est, qui in stomacho subin deprehendebatur. Id, quod experientia confirmatur, ad quam vir magni ingenii *Budaeus* *g)* in celeberrimis actis provocat, ubi dicit: „vesicam bileam majorem ex hoc eodem atro humore „intumuisse, quem aegroti per vomitum ejicerent„. Postquam jam illaesam ventriculi partem sufficienter aperuissem, & contentum nigricantem humorem effudissem, deprehendi non modo aperturam extraordinariam, & praeternaturalem, sed etiam circa

e) De sedibus & causis morborum per anatomen indagatis. Patavii 1765.
f) Aur. Corn. Celsi de Medicina Libro octavo.
g) Ephemerides nat. cur. 1. & 2. Cent. obs. 105.

circa eandem partem basim versus tria magna ulcera, cujus superficies seu crusta non adeo indurata fuit. Hac parte luci objecta animadverti, quaedam ex his ulceribus latius se extendisse, graviusque grassata fuisse, quam reliqua; in ea praesertim parte, qua tenue foramen patet, per trium, aut quatuor linearum diametrum nil, praeter membranam communem reperiebatur; nec aderat amplius tunica villosa nervea, nec muscularis; eodem modo deerant hae tres membranae duobus aliis ulceribus, quorum diameter sex prope linearum fuit.

Tertium quod non adeo increverat, carebat membrana solum villosa & nervea denudata circumjacebat. His cognitis planissime visum est, primo ulcera haec diversis orta fuisse temporibus, 2do illa hausto veneno extitisse, ex venereo scilicet lacte; 3tio perceptionem doloris ea proportione fuisse jam majorem, jam minorem, qua nempe jam major, jam minor pars tunicae nerveae denudata fuit; sub initium vero inflammationem esse exortam indubie patebat ex eo, quod ventriculus insolito modo lieni accreverit. In hoc casu, quod rarissimum, & admirandum maxime videbatur, est, quod haec adhaesio adjaceret aperturae & ulceribus. Hoc comperto sensi me vehementer erraſſe adstipulando opinioni cl. *Mollinelli*, quando quidem illam circumstantiam, quam ex simili praedicti viri exemplo adesse arbitrabar, non deprehenderam. Cum vero mesenterium inquirerem, inveniebam glandulas ejus, ut arbitratus sum, fere omnes obduratas.

Hae obdurationes necessario consumtionem promoverunt, quemadmodum exiguus nutrimenti usus.

Sed ad laesum ventriculum redeamus; nullum ulcus erat gangraenosum & in sua extremitate vix induratum, si illud demas, quod praeternaturali aperturae, & extraordinariae adjacebat, attamen in illo, cui nihil praeter membranam villosam deerat, nihil horum deteximus. Obvium erat omnium oculis ventriculum lienem versus tenuiorem fuisse, quam in ullo

ullo alio loco. *Valsalva* idem obſervavit in ſectione cadaveris juvenis viri, qui ſaepius de ventriculi doloribus queſtus eſt, & repente exſpiravit. Legatur Epiſtola 25, art. 2. immortalis *Morgagni*, ubi hiſtoria viri hujus accurate notata eſt. At ego in meo aegroto nec deformatum lienem, nec rubras maculas in ventriculo, quae notata ſunt in viro juveni, deprehendi.

Cum e ſtomacho omnia ejicerem, intentus eram maxime, an non & lumbrici adeſſent, memor bubulci, cujus *Morgagni* Epiſtola 43. art. 22, mentionem facit; ſuſpicabar vehementer forte & ventriculum ab his animalculis laeſum eſſe; obſervaveram enim hoc jam pridem, ipſemet in ſectione cadaveris cujusdam, & optimae aetatis militis, anno 1762. in magno caeſareo-regio noſocomio militari Pragae in Bohemia, ubi proſectoris Anatomiae munere fungebar; in illius ventriculo quinque magnos inveni lumbricos, & in ventriculi baſi conſumptam membranam villoſam ad groſſi unius latitudinem. Hic miles usque ad ſuum vitae finem vomebat vehementiſſime, ut mihi chirurgus hujus noſocomii narraverat, quin tamen unquam egredientes ex ſuo corpore lumbricos adverterit; verum ego in ventriculo, & in toto inteſtinorum canali ne veſtigium quidem horum animalculorum deprehendi; & qui fieri potuiſſet, cum proles tantum ſaepe mercurii dulcis hauſerit, ut ei ſaepius exonerationem per alvum promoveret. Quamvis *Scopoli b)* opinetur, mercurium, niſi, quemadmodum ego illum adhibui, vel alio modo praeparatum, non eſſe remedium ſpecificum contra haec animalcula. Quantum a vero aberret hujus viri opinio, alia occaſione demonſtrare conabor; nam in eodem loco, in quo has obſervationes inſtituere licet, ſimul morabamur & laborabamus.

Plurimorum teſtimonio auctorum & ſcriptorum patet, multas etiam & alias cauſas eſſe poſſe, quibus extraordinaria haec, & praeternaturalis ventriculi apertura tribuatur. *Boer-*

b) I. A. Scopoli de Hydrargyro Idrienſi. Tentamen 3 pag. 93. Venetiis 1761.

haave i) observat, ventriculum ob multa vasa sanguinea, quae intus sunt, eodem modo inflammationi, quam alias quaslibet corporis partes, esse obnoxium; hinc ait. in 951. aphorismo: ut reliquae, ita quoque stomachus vera inflammatione corripi potest. Et in aphor. 955. si suppuratum abit, multa mala, nausea, vomitus, dolor succedunt, quae saepe mirabilia apparent, ignorata causa raro curantur.

Humores quidem, etsi salutares sint, magna tum, ubi in stagnationem degenerant, incommoda adferunt, attamen indubium est, certos humores in corpore humano etiam sine stagnatione naturam veneni acerbissimi induere. Bilis hos inter principem sibi locum vendicare videtur; quae ventriculum irritare, & forsan laedere posset: de illius tamen malignitate nullum mihi fortius est exemplum, quam id, quod *Morgagni* Epistola 59. art. 18. adducit, spectans juvenem Ridolfi; ubi dicit, quae ut ventriculus quoque multam continebat aeruginosam bilem, cujus attactu scalpellum violaceo colore inficiebatur; idem scalpellum, eadem bile stillans in carnem unius, & alterius columbae cum leviter impressisset, sic quidem, ut bilis intra vulnus remaneret, haud multo post uterque tremens & convulsus periit: quin etiam mica panis illa admista bile a gallo gallinaceo devorata, hic quoque parem habuit exitum. Si tamen bilis ventriculum corroderet, idem omnino intestino contingere deberet.

Praeter bilem nullum est fluidum, quod malignitate sua ventriculo tantopere obesset, ac sputum hominis in ore cancrosis, & venereis ulceribus infecti, si sputum continuo deglutiat. Ego *Vesaliae*, quae ad exercitum gallicum inferioris Rheni pertinet, anno 1758. commorabar in nosocomio venerea lue infectorum, ubi interdum 400. facile, & etiam 500. curabantur. Hic mihi optima saepe occasio oblata est, qua & usus sum, singulares observationes instituendi.

Inter

i) G. L. B. van Swieten, Commentaria in Hermanni Boerhaave aphorismos de cognoscendis & curandis morbis. T. 3. p. 144.

Inter alios duo erant, qui in ore corrosiva ulcera habebant; hi si sputum deglutiverunt, semper acerbissimos dolores senserunt, ita, ut vomere inciperent. Haec symptomata non in his tantum, sed & alio tempore in aliis observavi. Atque hinc fieri existimo, cur ii, qui hac lue infecti sunt, plerumque hac maligna perceptione, licet ad eam non advertant, adacti venenatum suum sputum ejiciant. Quid obstat, quo minus judicari possit, illam rusticanam & pauperem mulierculam, cujus meminit Ill. *Morgagni* Epistola 29. art. 20. sputum ejusmodi noxium deglutivisse, quando quidem diligentissimus vir, ventriculum ejus, & oesophagum corrosum deprehenderat, quin ullum, vel minimum veneni vestigium in ventriculo detexisset, quod tamen detegi debuisset, cum & consumptio recens & ventriculus semiplenus fuerit.

Hae solum causae verae, propriae & internae esse mihi videntur, quae laedere ventriculum possent. Quae praeterea super veneno contagioso dici possunt, huc non pertinent. Interea pauca magni momenti opera, quae de laeso ex causis internis ventriculo agerent, exstant. Aspiciantur acta clarissimarum societatum, *k) Foresti*, *l) Liceti*, *m) Weckeri*, *n) Halleri o)*. At lac nutricis lue venerea infectae adeo esse contagiosum, ut in primis viis corrosiva & lethalia ulcera producat, non memini me in his operibus animadversa legisse, quemadmodum adnotatum deprehendi luem veneream per secundas vias vel innocenti proli a meretricibus communicatam fuisse.

Atque ut hoc in casu nostro de puerulo suspicarer, id me maxime impulit, quod primis suae vitae mensibus vehemen-

k) Ephem. nat. Cur. Mem. del'acad. des scienc. 1716. p. 183. & 312. & Philos. Trans. 1750. n. 495. & 406-371.

l) Obs. 33. de ventriculi ulcere.

m) De his, qui diu vivunt sine alimento.

n) Differt. de virgine ventriculum &c. 1735.

o) Element. Phys. T. V. p. 171.

tissime saepe vomeret. In lumbricos causam mali conjicere non ausus sum, siquidem ii tam brevi tempore generari non poterant, & ulterior experientia me docuit, aegrotum semper iis caruisse. Id ut insigniori inflammationi adscriberem, non mihi probabile visum est, quando quidem tenellus puerulus stante tali inflammatione tam diu vivere non potuisset.

Etsi ventriculus solito plus lienem versus porrectus fuerit, non tamen in eo loco ubi ulcera protuberabant contiguus erat. Interea non negavero, corrosivum & venereum humorem lactis sub initium exiguam inflammationem eamque localem excitasse, atque hinc ulcus exstitisse; verum tam exiguam cum illa, quae ex stagnatione sanguinis in vasis capillaribus ortum duxit, comparari non debere arbitror. Memini quidem superius, quod bilis vim corrosivam adquirere possit, hic tamen loci de ea hoc demonstrari nequit, quoniam intestinum quoque duodenum ulceribus infectum esse debuisset. Etiam succus pancreaticus fieri potest corrosivus, uti ego aperiens cadaver anus expertus sum, dum in amphitheatro anatomico genitales partes exponerem: pancreas hujus vetulae erat admodum magnum, & durum, pars illius erat cancrosa, in qua ubi scalpello incisionem feci, id statim violaceo imbutum est colore, quod mihi non vanum argumentum visum est, acerrimum salem alcali adesse. Attamen communem ductum sanum & non obstructum inveni.

Iam quaeri ex me possit, cur venereum lac non prius os, ejusque partes quam ventriculum infecerit? fateor, hoc contingere potuisse, & interdum etiam contigit, ut in ore ulcera exstiterint, quae tamen non adeo magni momenti indicia habuerunt, & quae aphthis similia erant, proindeque culpa lacti tribuebatur. Cur autem venenatum lac vim corrosivam in ventriculo exsereret, non adeo mihi difficile demonstratu videtur. Venereum lac non raro abhinc multis annis in corpore circumfertur, quin vim suam malignam exserat; ratio hujus est, quod sufficiens adhuc vehiculum habeat, quo fit, ut

ut acrimonia impediatur, ne firmas & compactas magis partes aggrediatur. Annon experientia quotidiana docemur, crassitudinem & pinguedinem corporis esse praeservativum contra hujusmodi vim? jam vero proles, quae sugit, lac brevissimo tempore in ore & fauce retinet, unde fit, ut lac prius in ventriculum defluat, quam se resolvere, & venenum se a suis implicitis crassis partibus expedire possit.

At vero in ventriculo receptum lac & plus temporis nanciscitur se resolvendi, simul innumerae aliae adsunt causae, quibus partes substantiales separantur: deestne forte nobis quotidiana item experientia? an non hac didicimus, cibos quoque recentissimos, quibus vescebamur, post longius quoddam tempus rancidos fuisse factos?

Dum de ventriculo parvuli superius agerem, commemoravi, in ea parte, cui solito plus adhaerebat, parvam inflexionem formasse, eamque singularem. An non in hac parte lac, quod sugeret puerulus, aliquo tempore consistere potuisset, usque dum venenum dissolveretur, aptumque redderetur, ventriculi tunicae arrodendae? Hinc mihi verisimile videtur, alterna semper exorta fuisse ulcera, quorum igitur primum fuisse id, quod aperturam habebat, est existimandum, atque haec apertura extremis primo diebus exstitit.

Dubium praeterea non est, quin aegroti dolores eo fuerint auctiores, quanto pluris tunicae nerveae patuerit. Quam acriter infans lue venerea fuerit infectus, exinde colligi potest. Vix ac nutricem recentem nactus est, elapsis duobus mensibus, ac ejus lacte vescebatur, omnes contagionis casus cognosci poterant. Mammas, quibus puer lac sugebat, deformabant venerea ulcera, & ea quidem copiosa, quibus infelix mulier praesentissimo periculo perdendi papillas exposita erat. Post prolis obitum legitime erat a lue venerea curanda. Postquam totam corporis inferiorem partem examinassem, nihilque invenissem, quod legibus ordinique naturae adversaretur, aggressus sum examinare cor pueruli. Quo

aperto

aperto deprehendi ambos lobos cum tenuibus fibris, quae a communi tegmine pulmonum protendebantur, & porrecti pleurae adhaerebant; caeterum hinc inde vehementer erant indurati, quamquam puerulus, dum viveret nunquam gravem respirationem duxerit. Praeterea nihil in corpore occurrit, quod ordini aut naturae legibus adversaretur. Caput per anatomen examinare non mihi integrum fuit, non dubito, quin si haec mihi potestas facta fuisset, in superiore saltem faucis parte plurima deprehendissem ulcera, forte & sinus frontales iis non caruissent, cum, ut dictum est, puerulus ad finem usque vitae suae veram ozaenam habuerit.

Cum noster hic casus, quem exposui, non satis notus sit, & quandam novitatis speciem prae se ferre videatur, cum res prope inaudita sit, ventriculum prolis ab hausto venereo lacte laesum fuisse, quid vetat, quin hanc ventriculi laesionem corrosivo sputo adscribamus, quanquam similes casus proferre non possimus? At quam parum diligenter adhuc de venereis morbis tractetur, & inquiratur, docet *Morgagni*, ex cujus divino opere superius laudato coronidis loco sequens exemplum adduco in rem forte meam aptissimum. Praefatus auctor L. V. Epistola Anatomico-Medica 65. sic habet:

Ad plerosque attinet ventris morbos, art. 3. Vir annos natus 44. cum a patria abesset, in montosis & incultis locis mul„ta adversus levissimam gonorrhoeam virulentam ex argento „vivo remedia sumpsit, qualia habere potuit, perperam for„tasse, & praeparata, & servata. Quibus dum uteretur, ven„triculus non modo irritabatur, verum etiam vomere coge„batur. Ab eo tempore, quaecunque comederet, aut bibe„ret, coepit fere omnia rejicere, ni rejiceret, ventriculi an„gore, quo semper propemodum, sed leviter afficiebatur, „multo magis torqueri, & singultu quoque, & postquam re„jecerat, si nova sumeret alimenta, haec saepius retinere. „Multam eamque crassam & pravi saporis exspuebat salivam.

Pigra

„Pigra alvus, lacte injecto nihil, nisi duros excremento„um globulos reddebat. Et quamvis pulsus necdum quidquam „haberent, quod ab naturae modo recederet; macies tamen „non erat levis. Plura, & varia adversus hunc in usum tra„cta sunt auxilia, sed incassum omnia, ut denique homini mo„riendum fuerit. Ventriculus pylorum angustum habuit, & „praedurum, & prope ulcusculum, in reliqua autem interiore „facie multas quasi glandulas passim disjectas.

Hæc si historia non est integre analogica meae, habet tamen, quo similis ei esse videtur. Primo vir, cujus *Morgagni* meminit, non potuit esse in summo gradu venereus? Id unum doleo, quod illius & partes genitales, & fauces non fuerint inspectae, hoc si factum fuisset, probabilius in fauce ulcera quaedam maligna deprehensa fuissent, quae salivae tam tetrum foetorem tribuebant. Quid? non eadem venenata saliva id efficere potuit, quod in nostro puerulo lac effecit? saltem quod minimum est, eodem modo vomebat, & stomachus iisdem erat infectus ulceribus. Etiam obstructio mei aegroti erat creberrima, sicut ea viri superius commemorati; uterque aegrotus pariter laborabat consumptione. Ego quidem omnia haec conjectura ita fieri arbitror, nec quo probem, habeo, illustrabitur autem haec materia obscura si diligenti attentione & frequentius cadavera ejusmodi venereorum per anatomen examinanda fuerint. Ut colligo, videtur *Morgagni* culpam male praeparatis, & forte pejus conservatis mercurialibus attribuere, quae huic lethalem morbum attulerunt. Miror ego tantum virum, qui summam semper attentionem & diligentiam in cadaveribus investigandis adhibuerat, glandulas mesaraicas intactas fuisse; dicit quidem: in reliqua autem interiore facie multas quasi glandulas fuisse induratas; quodsi etiam ulcera remediis corrosivis adscriberentur, iis tamen non indurationem tribuero, vel saltem hujus effectus causa nos latet.

Labaco Onoldum missa d. 15. *Martii* 1777.

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. CHRISTOPHORI GOTTLIEB BONZ

De

Cauſis quibusdam morborum, mortisque non ita praeviſis ſectione in tribus cadaveribus detectis.

Improvidus juvenis viginti annorum terram arans ab equo calcitrante tempore matutino in medio abdomine feritur. Humi proſtratus doloribus illico affligitur acerbiſſimis, ſurgens autem, domumque non procul diſſitam redux lecto ſe commiſit. Ad cruciatus abdominis mitigandos & inflammationem inteſtinorum praecavendam vena ſecatur ter. Clyſteres aliquot quoque infunduntur: quorum autem ulterior injectio ob dolorem in inteſtino recto inde excitatum intermiſſa fuit. Exterius, ubi cutis nullo modo laeſa, ſaltem leviſſime inflammata erat, applicabantur facculi, ſpeciebus ſic dictis cephalicis pleni, vinoque calente intincti. Inflammatio externa mox diſparuit; dolores vero inteſtinorum ceſſare recuſabant, jungebantur vomitus, & altero die ſub veſperam aeger moritur.

Abdomen poſt mortem intumuit ſine ulla ſugillationis, livoris, aliusque laeſionis nota, illoque aperto prorumpebant flatus copioſi, fluidumque flavedine tinctum peſſime haud olens octo decemve librarum pondo. Inteſtina neque faecibus, neque flatibus multum referta erant; colon autem apparuit gangraena affectum, & hinc inde in jejuno, ileo tractus offendebantur ſumme inflammati, rectum ſpectabatur totum inflammatum, hinc infuſio clyſterum dolorifica fuit. Curatius tandem in fontem effuſi liquoris inquirenti exhibet ſe in regione hypogaſtrica portio inteſtini ilei, inflictu ungulae equinae, ſolea ferrea munitae penitus usque ad meſenterium disrupta, cujus extremitates ad aliquot unciarum latitudinem ſphacelo erant corruptae. Patuit hinc juſcula, aquam, caeteraque liquida, quae aeger ſitibundus ingurgitavit

vit per aperturam inteſtini effluxiſſe, cavumque abdominis repleviſſe. Scybala inteſtino egreſſa non reperi. Omentum putridum, hepar & lienem in ſtatu naturali, ventriculum potulentis refertum deprehendi.

Conferatur omnino memorabilis caſus a cl. ALBRECHTO in horum Actorum Vol. X. p. VIII. ſeqq. deſcriptus, ubi & celeb. WEPFERI obſervationes huc ſpectantes citatas invenies.

II. Cachecticus juvenis XVIII. annorum tuſſi laborabat chronica variis medicamentis diu incaſſum impugnata. Tandem in latere dextro palmum a ſpina dorſi & ſcapula diſtans enaſcitur tumor, quo aperto pus effluit copioſum. Adhibentur injectiones vulnerariae; puris effluxio ex abſceſſu, cujus tractus ſinuoſi usque ad dorſualem ſpinam tendunt, continuat, rejiciuntur ſubinde ſputa purulenta; gibboſus aeger fit, & accedente febri hectica, anno, a formato apoſtemate, elapſo diem ſupremum obiit.

Suſpicabar pus ex ſuppuratis pulmonibus in thoracis cavum defluxiſſe, exitumque per abſceſſum externum ſibi paraſſe, qualia exempla recenſent recentiſſime Ill. HAEN *a*) & Clariſſ. GESNER *b*). Verum ſub ſectione pulmones deprehendebantur ſaniſſimi, reliquaque viſcera integerrima. Mediae dorſi vertebrae erant carioſae, modico pure in pectoris cavitate, in quam abſceſſus externus ultimis ſaltem vitae diebus hiaſſe videtur, perfuſae. Sputa purulenta a reſorpto in venas bibulas pure deduco, uti haud ita pridem ſputa bilioſa in febri cholerica a bile ad pulmones delata obſervavi.

III. Vir XL. annorum poſt gonorrhoeam ab empirico procul dubio adſtringentibus ſuppreſſam ſenſim ſenſimque imas dorſi vertebras protuberantes perſentit, paulo poſt ſpina dorſi coepit incurvari, coſtis utriusque lateris dextrorſum vergentibus. Quae ſpinae dorſi affectio non potuit non in deterius labi, dum vir, olim robuſtus plauſtrum ſegmentis ligneis oneratum ſubjecto dorſo levare nititur. Iungitur pedum im-

a) Rat. medendi T. V. p. 195.

b) *Sammlungen von Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit*, 2. *Band. Seite* 31.

becillitas a preſſione medullae ſpinalis, hinc ingreſſus difficilis; flatulentus aeger evadit; tota regio hypogaſtrica mirum in modum induratur, mollior autem redditur aegro ſupino jacente: cujus rei rationem in meſenterio haud parvis ſcirrhoſis tumoribus obſeſſo poſui. Liquor mercurialis Plenckii per tres ſeptimanas propinatur, balneis praemiſſis, junctisque variis ex arte chirurgica petitis praeſidiis, ſed incaſſum. Tandem poſt anni intervallum ſuperveniens hydrops aſcites debili ac emaciato aegro vitam eripuit.

In cadaveris ſectione reperiebantur ſequentia: nimirum in abdomine ſerum extravaſatum ponderis aliquot librarum; in hepatis caeteroquin non male conſtituti parte concava hydatis ſeri libram continens; lien ſolito major, & a figura ordinaria abludens; meſenterium vitii expers; imae vertebrae dorſi extrorſum motae; colon, & ex parte ileon, nec non jejunum valde flatibus diſtenta. Cum vertebrae denique lumborum omnes introrſum flexae fuerint, abdominis cavum inde redditum eſt juſto anguſtius; hinc in nimis arcto ſpatio contenta inteſtina flatibus turgida in ſtatu aegroti erecto duritiem illam in ventre extrinſecus perceptam produxerunt. Mollius autem reddebatur abdomen reſupinato aegro, ubi inteſtinis ſurſum recedentibus majus paratum fuit ſpatium. In thoracis viſceribus nil vidi, quod notatu dignum eſſet.

Eſſlinga Onoldum
miſſa die 21. *Martii* 1777.

OBSERVATIO LXVI.

Dn. D. LAVRENTII MONTIN

De

Lepidio Bidentato.

Quanta incrementa noviſſimis temporibus ceperit ſcientia botanica, nemini latere poteſt, niſi qui ignoraverit, quot

quot antea incognitas plantas detexerit *Banks* & *Solander* in Promontorio Cap Horn dicto, insulisque adiacentibus; immo in Otaheite, nova Zelandia & nova Hollandia, *Mutis* in Mexico, *Commercon* in Madagascar & alibi, *Koenig* in Malabaria, *Thunberg* & *Sparmann* in Capite bonae spei, nec non *Forsteri* utrique cum *Sparmanno* in insulis maris pacifici. Ope horum peregrinatorum maximae Florae gazae inventae sunt, cujus, ut reliqua taceam, luculentissimum praebet testimonium vel sola Flora Capensis, sedula *Thunbergii* nostratis industria plus triginta generibus & prope nongentis speciebus aucta, sed etiam plantae e remotissimis terris adlatae, vigent fructumque in nostris regionibus ferunt. Inter illas, quae ex seminibus a Doctore *Sparmanno* Sueco in insulis oceani meridionalis collectis, & e Capite bonae spei ad me missis, exortae sunt, herba est, autumno praeteriti anni, immo per totam hyemem in olla, sub modico caloris gradu, florens & semina perficiens, cujus descriptionem & figuram heic subiungo.

Radix annua, vel forte biennis, fibrosa. Caulis herbaceus, erectus, teres, foliaceus, laevis, glaber, notatus punctis minutissimis, albescentibus, densis, ornatis pilis brevissimis, simplex, dichotomus, fere fastigiatus, pedalis. Ramis alternis paulo divaricatis, laxis, cauli similibus.

Folia caulina, digitalia, alterna, remota, horizontalia, saepe dependentia, sessilia, lanceolata, sensim adtenuata ad basin, prope apicem utrinque dente vel serratura unica, rarissime altera in medio notata, praeterea integerrima, obtuso cum acumine, utraque pagina pube minutissima, & fere inconspicua tecta, glabra, nitida, praesertim superne, subnervosa, latiori parte plana, angustiori concava, carinata. Ramea dimidio minora omnino integerrima, praeterea caulinis similia.

Stipulae nullae.

Flores terminales, racemosi, racemis erectis nudis: pedicellis duas lineas longis, teretibus, aspersis pilis parvis canescentibus, apice crassioribus.

Calix: Perianthium tetraphyllum, erectum, apice connivens dimidiae lineae longitudine: foliolis lanceolatis, concavis, margine membranacea alba cinctis, acutis, intus coloratis albis, extus in medio viridibus, villosis.

Corolla tetrapetala, calice parum longior, cruciformis, alba: petalis obovatis integerrimis, concaviusculis, desinentibus in ungues paulo angustiores, longos, superne in medio canaliculatos.

Stamina: filamenta quatuor, interdum tria vel tantummodo duo, receptaculo inserta, foliis calicinis incumbentia, illis longitudine aequalia, subulata alba, nitida. Ubi duo solum filamenta, desunt quae margini germinis opposita essent. *Antherae* ovatae, flavae, supra trisulcatae, in medio adfixae apici filamentorum.

Pistillum germen superum, longitudine staminum, ovatum, compressum, emarginatum, in medio utriusque lateris sulco longitudinali exaratum, ad basin supra insertionem petalorum glandulis quatuor melliferis, minutis, viridibus instructum. *Stilus* brevissimus, summitates emarginaturae germinis superans, cylindricus, pallide viridis. *Stigma* albescens, truncatum, coronatum glandulis minutissimis, cylindricis, humidum secernentibus.

Pericarpium: silicula compressa, ovata, emarginata, stilo in emarginatura huic longitudine aequali persistente, biloculari, dissepimento transverso, lanceolato, albo pellucido, margine elevato triplo crassiore, valvulis cymbiformibus, extus venosis.

Semen unicum in quolibet loculamento, dissepimento prope apicem adfixum, ovatum, compressum, longitudinaliter bisulcatum, glabrum, brunneum, margine angustissimo, fere membranaceo cinctum.

Licet

Licet in nova hac ſpecie non ultra quatuor ſtamina inveniantur, ſilicula praeterea ſit manifeſte ovata non cordata, diſperma minime polyſperma; in caeteris tamen omnibus ex aſſe convenit cum genere lepidii, ideoque illuc referri debet, cujus differentia ſpecifica erit:

Lepidium bidentatum foliis ſubtetrandiis, foliis caulinis lanceolatis, ad apicem utrinque dentatis, ſiliculis diſpermis. Habitat in maritimis inſularum maris pacifici. Uſus: ut antiſcorbuticum loco acetariorum a D. D. *Sparmanno* & *Forſteris* & nautis Anglis comedebatur.

Tabulae V. a. Fig. 1. ſiſtit plantam magnitudine naturali. Fig. 2. florem, & Fig. 3. ſiliculam magnitudine multoties auctam.

OBSERVATIO LXVII.

Dn. PETRI OSBECK

De

Larva & Phalaena Boleti.

Larva alba laevis, capite & punctis plurimis nigris. Quatuor puncta dorſi nigra unicujusque articuli, fere in quadratum poſita, & tria puncta nigra laterum ad pedes, in unoquoque articulo, in triangulum poſita; primo & ſecundo articulo ad caput, ut & proximo caudae exceptis, quorum puncta lineas transverſales formant. Caput & pars articuli proximi nigra. Pedum primorum tria paria fuſca; poſteriorum quatuor paria alba breviora. Habitat in boleto fagi, edit corticem lignumque fagi, arbore adhuc viva, hieme, vere & fere per totum annum has larvas obſervavi. Exit autumno per boletum, in quo pupam formavit tempore verno, menſe Maii. Exeuntem vidi phalaenam menſe Auguſti jam depictam Tab. V. b. Fig. 1. 2.

Pha-

Phalaena *Boleti* (Tinea) fuſca, linea communi dorſali lata ſubbidentata faſciaque poſtica albida, pedibus poſticis lanatis.

Magnitudo Phryganeae grandis.

Corpus albidum longitudine fere dimidii alae.

Caput albidum fuſco contaminatum.

Antennae filiformes fuſcae, albo variegatae, longitudine dimidii corporis.

Oculi nigri.

Palparum interior articulus barbatus, exterior laevis tenuis acutus.

Thorax colore capitis.

Pedes albidi, anteriores laeves, poſteriores lanati, ſpinoſi.

Alae glabrae deflexae, corpore multo longiores.

Primariae ſupra fuſcae albo contaminatae linea lata communi alarum dorſali faſciaque ad apicem alae albida fuſco irrorata. Maculae fuſcae apicis alae ſeptem. Subtus ſubfuſcae.

Inferiores fuſco albidae.

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. CAROLI PETRI THVNBERG

ſiſtens

Craſſulae Generis XXVIII. Novas Species in Capite bonae ſpei detectas & deſcriptas.

Agmen ducunt *Foliis petiolatis*

1. *Cordata*: foliis cordatis; floribus ſolitariis.
2. *Spatulata*: foliis cordatis; corymbo decompoſito.

Sequuntur *Foliis ſeſſilibus connatis.*

α. Scapo ſubnudo.

3. *Tecta*: foliis ovatis, obtuſis, laminuloſo-cinereis, floribus aggregatis.

4.

4. *Hemiſphaerica*: foliis orbiculatis, ciliatis; thyrſo compoſito.
5. *Montana*: foliis ovatis, acutis, ciliatis; floribus capitatis.
6. *Barbata*: foliis orbiculatis, barbatis; floribus verticillatis.
7. *Cotyledonis*: foliis oblongis, tomentoſis, ciliatis; floribus corymboſis.
8. *Tomentoſa*: foliis ſublanceolatis, villoſis, ciliatis; floribus verticillatis.
9. *Cephalophora*: foliis linearibus, obtuſis; capitulis pedunculatis.
10. *Spicata*: foliis lineari-ſubulatis; obtuſis; floribus verticillatis.

β. Caule foliis imbricatis tecto.

11. *Deltoidea*: foliis deltoidibus acutis; floribus corymboſis.
12. *Corallina*: foliis deltoidibus, obtuſis; floribus umbellatis.
13. *Veſtita*: foliis deltoidibus, obtuſis; floribus capitatis.
14. *Columnaris*: foliis orbiculatis; floribus capitatis.
15. *Pyramidalis*: foliis ovatis, quadrifariis, obtuſis, integris; capitulis ſeſſilibus.
16. *Alpeſtris*: foliis ovatis, acutis, quadrifariis, integris; capitulis pedunculatis.
17. *Turrita*: foliis ovato-oblongis, acutis, quadrifariis, ciliatis.
18. *Rupeſtris*: foliis ovatis, integris, glabris; corymbo decompoſito.
19. *Argentea*: foliis ovatis, integris, argenteis; corymbo decompoſito.

γ. Caule foliis ſparſis remotioribus.

a. foliis planis.

20. *Retroflexa*: foliis oblongis; caule ſimplici; floribus cymoſis.
21. *Perforata*: foliis perforatis, ovatis, ciliatis; caule erecto.
22. *Thyrſiflora*: foliis ovatis, acutis, ciliatis; thyrſo ſpicato.

23. *Capitella*: foliis oblongis, acutis, ciliatis; floribus verticillatis.
24. *Crenulata*: foliis lanceolatis, obtuſis, crenatis, corymbo compoſito.

b. Foliis teretibus vel triquetris.

25. *Pubeſcens*: foliis ovato-triquetris, villoſis integris.
26. *Mollis*: foliis triquetro-ſubulatis, integris, mollibus.
27. *Ramoſa*: foliis tereti-ſubulatis, integris; caule erecto, fruticoſo.
28. *Adſcendens*: foliis triquetro-ſubulatis, integris; caule decumbente.

Obſervatio: Craſſulae omnes habent folia oppoſita.

1. Craſſula *cordata*: foliis petiolatis, cordatis, floribus ſolitariis.

Creſcit prope Swartkopps Zoutpan, in ſilvula.
Floret Novembri, Decembri.
Radix annua.
Caules herbacei, debiles, ſenſim tenuiores, inferne folioſi, ſuperne ramoſi, carnoſi, teretes, incarnati, erectiuſculi, palmares.
Rami in caulis ſupremo oppoſiti, capillares, patenti-erecti, glabri.
Folia caulina faſtigiatim oppoſita, petiolata, cordata, rotunda, integra, reflexo-patentia, craſſa, carnoſa, viridia, margine punctisque rufis, frequentia unguicularia; *ramea* ſimilia, ſed multoties minora & tenuiora, viridia circulo punctorum intra marginem.
Petioli ſemiunguiculares.
Flores terminales, ſolitarii, pedunculati.
Pedunculi capillares lineam longi.

2. Craſſula *ſpatulata*, foliis petiolatis, ſpatulatis, crenatis; corymbo decompoſito, trichotomo.

Creſcit in ſilvula juxta exitum Zeekorivier.
Floret Ianuario.

Ra-

Radix perennans.
Caulis herbaceus, tetragonus, laxus, procumbens, glaber, ramoſus, ſpithameus vel ultra.
Rami alterni, ſimplices, faſtigiati, diffuſi, cauli ſimiles.
Folia oppoſita, petiolata, cordato-ſpatulata, ſubcucullata, obtuſa, patentia, crenata, glabra, internodiis breviora, ſubunguicularia.
Petioli ſenſim dilatati, ſubreflexi, foliis breviores.
Flores corymboſi.
Corymbus ſupradecompoſitus, trichotomus.
Pedunculi & pedicelli divaricati, glabri.
Bractea ſub ſingulo pedicello ſubulata, breviſſima.
3. Craſſula *tecta*, foliis connatis, ovatis, obtuſis, laminuloſo-cinereis; ſcapo nudo; floribus ſeſſilibus.
Creſcit in Carro, trans Hartequas Kloof.
Floret Decembri.
Caulis ſubnullus.
Folia ſubradicalia, oppoſita, connata, frequentiſſima, imbricata, ovata, obtuſa, ſubtus convexa, ſupra concava, craſſo-carnoſa, pulvere cinereo (inſtar ſquamarum Lepidopterorum) tecta, baſi nuda, cartilagineo-ciliato-unguicularia; ſuperiora minora.
Scapus erectus, filiformis, pollicaris.
Flores in capitulum collecti, plures, ſeſſiles, minuti.
4. Craſſula *hemiſphaerica*, foliis connatis, ſubrotundis, ciliatis, hemiſphaerice imbricatis; caule nudo, thyrſifloro.
Creſcit in montibus Roggefeld, in Carro juxta Olyfants rivier orientalem, & prope ejusdem rivuli thermas.
Floret Decembri.
Radix fibroſa annua.
Folia radicalia, plurima, alternatim oppoſita, connata, ſubrotunda, mollia, cartilagineo-ciliata, hemiſphaerice imbricata, deorſum, carnoſa, tenuia, pollicaria, ſuperioribus ſenſim minoribus, pallida, rufo-punctata.

Scapus e centro foliorum, ſimplex, carnoſus, aphyllus, albidus, palmaris.
Flores ſpicato-paniculati.
Thyrſus compoſitus.

5. Craſſula *montana*, foliis connatis, ovatis, acutis, ciliatis, caule ſubnudo; floribus capitato-aggregatis.

Creſcit in ſummo monte Bockland.
Floret Octobri, Novembri.
Folia radicalia connata, ovata, acuta, concava, tenuia, ciliata, frequentiſſima, patula, glabra, vix ſemiunguicularia, viridi purpuraſcentia; caulina trium circiter parium, conſimilia, ſed minora remota.
Caulis filiformis, erectus, digitalis, purpuraſcens.
Flores capitati, ſeſſiles.
Capitula plerumque ſolitaria, raro duo lateralia ſimul.

6. Craſſula *barbata*, foliis connatis, orbiculatis, barbatis, hemiſphaerice imbricatis; caule ſubnudo; floribus verticillatis.

Creſcit in rupibus montium Hantum prope villam Grootrivier, in Roggefeld.
Floret Octobri, Novembri.
Radix fibroſa, biennis.
Folia radicalia plurima, aggregata, hemiſphaerice imbricata, connata, ſuborbiculata, tenuia, glabra, margine faſciculato-piloſa, ſubpollicaria; *caulina* duorum parium, conſimilia, ſed longe minora remota.
Caulis ſubangulatus, erectus, glaber, ſpithameus, craſſitie fere calami.
Flores verticillati.

7. Craſſula *Cotyledonis*, foliis connatis, oblongis, tomentoſis, ciliatis; caule ſubnudo; floribus corymboſis aggregatis.

Creſcit prope Swartkopps Zoutpan in ſilva.
Floret Decembri.

Cau-

Caulis ſimplex, erectus, herbaceus, ſubtetragonus, aphyllus, tomentoſus, craſſitie pennae, pedalis.

Folia radicalia, plura faſtigiatim oppoſita, confertiſſima, connata, ovalia, obtuſa, carnoſa, ſupra plana, ſubtus convexa, integra, tenuiſſime ciliata, ſubtomentoſo-mollia, pollicem lata, digitalia, erecta; *caulina* trium parium minora.

Bracteae in pedunculis faſtigiatim oppoſitae, connato-vaginantes, ovatae, obtuſae, appreſſae, lineam longae, tomentoſae.

Flores albi, corymboſi, pedicellati.

Pedunculi trichotomi.

Corymbus decompoſitus.

8. Craſſula *tomentoſa*, foliis connatis, lanceolatis, villoſis, ciliatis; caule ſubnudo; floribus verticillatis.

Creſcit in Hantum.

Floret Octobri, Novembri.

Folia radicalia oblongo-lanceolata, obtuſiuſcula, connata, hirſuta, ciliata, imbricata, pollicaria; *caulina* trium parium, minora.

Caulis angulatus, erectus, villoſus, pedalis.

Flores verticillati.

9. Craſſula *cephalophora*, foliis connatis, lineari-oblongis, obtuſis, integris, capitulis lateralibus, pedunculatis.

Folia radicalia connata, linearia, obtuſa, erecta, ſubtomentoſa, digitalia; *caulina* nulla.

Caulis teres, erectus, ſubtomentoſus, ſpithameus.

Flores capitati.

Capitula oppoſita, pedunculata, magnitudine piſi.

10. Craſſula *ſpicata* foliis connatis, lineari-ſubulatis; ſcapo ſubnudo; floribus verticillatis.

Creſcit in Carro.

Floret Decembri, Ianuario.

Folia radicalia fastigiatim opposita, connata, lineari-subulata, erecta, supra concava, subtus convexa, glabra, digitalia, confertissima; *caulina* opposita, minora.
Caulis teres, herbaceus, erectus, glaber, spithameus.
Flores verticillati.
Verticilli approximati, sessiles, multiflori.
11. Crassula *deltoidea*, foliis connatis deltoidibus; caule tecto; floribus corymbosis.
Hottentottis: Kata Kiso.
Crescit in Carro prope Olyfantsrivier, Hantum.
Floret Decembri.
Caulis herbaceus, carnosus, teres, erectus, semidigitalis, inferne nudus, superne foliosus, ramosus.
Folia alternatim opposita, connata, deltoidea, terminalia, imbricata, apice patula, integra, pulverulento-glauca, semiunguicularia.
Flores terminales, corymbosi.
Corymbus compositus subfastigiatus.
12. Crassula *corallina* foliis connatis, deltoidibus, obtusis, caule tecto; floribus umbellatis.
Crescit in campis siccis Hantum inter Daunis & Roggefeldsberg.
Floret Novembri.
Radix fusiformis, fibrosa, perennis.
Caules radicales, plures, filiformes, dichotome-ramosi, erecti, pollicares.
Rami alterni, erecti, ramulosi, fastigiati.
Folia in ramis & ramulis fastigiatim opposita, sessilia, distincta, suborbiculata, carnosa, apice incrassata, integra, basi viridia, apice pulverulento, alba, punctis virentibus impressis quadrifariam exstantia, frequentia, internodiis longiora, lineam longa.
Flores ex apicibus ramulorum, plurimi, terminales, erecti, pedunculati.

Pe-

Pedunculi filiformes, glabri, uniflori, foliis vix longiores.
Planta corallinam marinam refert, ſed major.
13. Craſſula *veſtita*, foliis connatis, deltoidibus, obtuſis; caule tecto; floribus terminalibus capitatis.
Creſcit in Onderſte Roggefeld locis lapidoſis ſicciſſimis.
Floret Novembri, Decembri.
Radix fuſiformis, fibroſa, repens, perennis.
Caulis erectiuſculus, ramoſus, palmaris, baſi nudus.
Rami & ramuli alternatim ſparſi, foliis tecti, pollicares.
Folia alternatim oppoſita, connato-perfoliata, deltoidea ſeu ovata, ſubtus valde gibba, obtuſiuſcula, integerrima; ſuperiora frequentiſſima, pulverulento-alba, punctis minutis viridibus; inferiora emarcida; quadrifariam imbricata.
Flores in ramis terminales, aggregati, ſeſſiles, flavi.
Capitulum florum caule cum foliis vix grandius.
14. Craſſula *columnaris*, foliis connatis, orbiculatis, ciliatis, hemiſphaerice imbricatis, caule erecto; floribus capitatis.
Euphorbium aphyllum, rotundum, ſquamis craſſis, imbricatis, florum coma multiplici. *Burm.* Dec. Afr. p. 19. Tab. XI. fig. 2.
Creſcit in Onderſte Roggefeld in Bockland.
Radix fibroſa.
Caulis teres, glaber, pollicaris, totus foliis tectus.
Folia connata, orbiculata, glabra, ciliata, haemiſphaerice imbricata, unguicularia.
Flores terminales, capitati, copioſiſſimi, albi.
Capitulum hemiſphaericum.
15. Craſſula *pyramidalis*, foliis connatis, quadrifariam imbricatis, ovatis, obtuſis integris; capitulis ſeſſilibus. Tab. V.b. fig. 3.
Creſcit juxta Olyfantsrivier orientalem prope thermas.
Floret Octobri.
Radix perennis.
Caulis flexuoſo-erectus, ramoſus, totus foliis tectus, palmaris.
Rami alterni.

Fo-

Folia connata, quadrifariam imbricata, ovata, obtusa, integra, marginata, lineam longa, glabra.

Flores in ramis terminales, capitati.

Capitula solitaria, sessilia, piso majora, globosa.

Similis Crassulae muscosae; sed differt

α) Caule crassiori.

β) Floribus capitatis.

16. Crassula *alpestris*, foliis connatis, ovatis, acutis, integris, quadrifariam imbricatis, capitulis pedunculatis. Tab. V. b. fig. 4.

Crescit in rupibus koude Bockefeld, Boeckland, Roggefeld.

Floret Octobri.

Radix fibrosa.

Caulis teres, glaber, erectus, inferne ramosus, ante florescentiam totus foliis tectus, dein excrescens, palmaris, purpurascens.

Rami radicales, unus vel duo, breves.

Folia connata, ovata, acuminata, concava, integra, imbricata, unguicularia, viridi purpurascentia.

Flores terminales, capitati.

Capitula plura, pedunculata, piso majora.

Pedunculi semiunguiculares, purpurascentes.

Valde similis Crassulae montanae, differt autem

α) Foliis magis acuminatis, nec ciliatis.

β) Caule crassiore, foliis tecto.

γ) Capitulis & floribus majoribus.

17. Crassula *turrita*, foliis connatis, quadrifariam imbricatis, ovato-oblongis, acutis, ciliatis.

Crescit in Carro prope Olyfantsrivier.

Radix fibrosa, annua.

Caulis herbaceus, debilis, erectus, teres, articulatus, foliis tectus, glaber, palmaris.

Rami, si ulli, axillares, brevissimi.

Fo-

Folia alternatim oppoſita, connata, quadrifariam imbricata, carnoſa, cartilagineo-ciliata, craſſa, acuta, glabra, rubra; iuferiora oblonga, ſupra concava, ſubtus convexa, pollicaria; ſuperiora ovata, ſupra plana, ſubtus convexa, ſemiunguicularia; ſuprema ſenſim minora & magis approximata.

Flores nunquam vidi.

18. Craſſula *rupeſtris*, foliis connatis, ovatis, integris, glabris; caule tecto; corymbo ſupradecompoſito.

Creſcit in rupibus Onderſte, Roggefeld, fronte montis Bockland, montibus Hexrivier.

Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Radix perennis, fibroſa, ramoſa.

Caulis teres ramoſus, erectus, palmaris & ultra.

Folia alternatim oppoſita, connata, ovata, acuta, integerrima, glabra, ſupra plano-concaviuſcula, ſubtus convexo-carinata, approximata, internodiis longiora, ſubunguicularia, viridia, margine rufeſcente, erecto-patula.

Flores corymboſi.

Corymbus ſupradecompoſitus, trichotomus, faſtigiatus.

Pedunculi & pedicelli glabri, albo-purpurei.

Bractea ſub ſingulo pedicello ovata, minuta, alba.

19. Craſſula *argentea*, foliis connatis, ovatis, integris, argenteis; caule tecto; corymbo ſupradecompoſito.

Creſcit culta in hortis Societatis ad Cap & Rondeboſch.

Floret Auguſto.

Radix perennis.

Caulis fruticoſus, ramoſus, pedalis et ultra.

Rami teretes glabri.

Folia oppoſita, ovata, ſuborbiculata, patenti erecta, carnoſa, craſſa, integra, glabra, ſeſſilia, obtuſa cum acumine, margine acuto, pollicaria.

Flores terminales, corymbosi.
Corymbus supradecompositus, ovatus.

20. Crassula *retroflexa*, foliis connatis, oblongis, remotis; caule simplici; cyma composita, pedicellis retrofractis.

Crescit in Swartland, Saldan, anabay, regionibus St. Helenaebay, prope Bergrivier, in Rode Sand montibus, prope Winterhuck.
Floret Septembri, Octobri.
Radix fibrosa, annua.
Caulis filiformis, flexuoso-erectus, digitalis, glaber, purpurascens.
Folia caulina, duo vel quatuor, connata, ovato-lanceolata, obtusa, patentia, integra, semiunguicularia.
Flores cymosi, erecti.
Cyma decomposita, subdichotoma.
Pedunculi & pedicelli retrofracti, capillares.
Bracteae sub pedunculis & pedicellis, oppositae, foliis similes, sed minores.
Varietas triplex:
α) Floribus aurantiacis, major.
β) Floribus luteis, mediocris.
γ) Floribus albis, minor & tenerior.

21. Crassula *perforata*, foliis connato-perfoliatis, ovatis, ciliatis, remotis, caule erecto, thyrsifloro.

Crescit in silva prope Swartkopps Zoutpann.
Floret Decembri.
Caulis teres, articulatus, erectus, sensim attenuatus, folioſus, glaber, pedalis.
Folia fastigiatim opposita, connato-perforata, ovata, acuta, carnosa, cartilagineo-ciliata, patentia, unguicularia, longitudine internodiorum, viridia, subtus margineque supra rufescentia.
Flores spicato-paniculati, seu thyrsoidei.

Thyr-

Thyrſus interruptus, ſpithameus, compoſitus, ſubſecundus, incurvus.
Pedunculi & pedicelli filiformes.

22. Craſſula *thyrſiflora*, foliis perfoliatis, ovatis, ciliatis, patulis; corymbo compoſito, ſpicato.
Creſcit inter Soendags & Viſchrivier.
Caulis teres, herbaceus, erectus, ſpithameus, glaber.
Folia connata, ovata, obtuſa, ciliata, erecto-patula, internodiis breviora, glabra, ſemiunguicularia.
Flores thyrſoidei, albi.
Thyrſus ſenſim attenuatus, decompoſitus, palmaris.
Bracteae ſub pedunculis & pedicellis oppoſitae, foliis ſimiles, ſed minores.

23. Craſſula *capitella*, foliis connatis, oblongis, cartilagineo-ciliatis, patulis, floribus verticillato-capitatis.
Creſcit in Carro inter Cannaland & Olyfantsrivier.
Floret Decembri, Ianuario.
Radix fibroſa.
Caulis teres, glaber, erectus, ſpithameus, craſſitie calami, ſuperne interdum ramoſus.
Folia connata, oblongo-lanceolata, acuta, ciliata, remota, internodiis longiora, pollicaria, glabra.
Flores verticillati, albi.
Verticilli ſeſſiles, multiflori, approximati.

24. Craſſula *crenulata*, foliis connatis, lanceolatis, punctato crenulatis, remotis; corymbo decompoſito.
Creſcit prope Lurisrivier.
Floret Decembri.
Caulis herbaceus, erectus, teres, folioſus, articulatus, glaber, viridis lineolis albis variegatus, craſſitie pennae, pedalis.
Folia faſtigiatim oppoſita, ſeſſilia, ſubconnata, lineari lanceolata, obtuſa, ſupra concava, ſubtus convexa, ſerie punctorum intra marginem crenulata, carnoſa, glabra, internodiis lon-

giora, digitalia, erecta, apice patula; superiora sensim minora & remotiora.
Flores corymbosi albi.
Corymbus decompositus, trichotomus, fastigiatus.
Bracteae duae, oppositae, sub singulo pedicello, minutae.
Pedunculi pollicares.
Pedicelli sensim breviores.

25. Crassula *pubescens*, foliis connatis, ovato-subulatis, villosis; caule ramoso; floribus corymbosis.
Crescit in Carro prope Cannaland.
Floret Novembri, Decembri.
Radix perennis.
Caulis filiformis, frutescens, ramosus, erectus, ruber, glaber, spithameus.
Rami subverticillato-terni, ramulosi, pubescentes.
Folia connata, tereti subulata, carnosa, crassa, villosa, patentia, longitudine internodiorum, lineam longa, supra planiuscula, subtus gibba,
Flores corymbosi.
Corymbus compositus, trichotomus.

26. Crassula *mollis*, foliis connatis, tereti triquetris, glabris, mollibus, remotis; caule erecto, simplici; corymbo trichotomo, supradecompositio.
Crescit juxta introitum in Cannaland ad Lange Kloof.
Floret Ianuario.
Radix perennis.
Caulis frutescens, angulatus, rufescens, tenuissime tomentosus, articulatus, calami fere crassitie, pedalis.
Folia connata, subtriquetra, acuta, glabra, vel tenuissime subtomentosa, mollia, patula, unguicularia; inferiora magis approximata; superiora remotiora.
Flores corymbosi.
Corymbus decompositus, trichotomus, subfastigiatus.

Pedun-

Pedunculi pollicares.
Pedicelli ſenſim breviores.
Bracteae ſub pedunculis & pedicellis duae oppoſitae, foliis ſimiles, ſed minores.
27. Craſſula *ramoſa*, foliis connatis, tereti-ſubulatis, integris, remotis; caule fruteſcente, ramoſo, erecto, corymbo compoſito.
Creſcit in Carro prope Swartskopps rivier; alibi.
Floret Decembri.
Radix perennis.
Caulis fruteſcens, filiformis, inferne ramoſus, folioſus, glaber, pedalis.
Rami alterni, longi, ſenſim attenuati, glabri, rufeſcentes.
Folia faſtigiatim oppoſita, tereti-ſubulata, internodiis longiora, unguicularia, integra, glabra, patula; ſuperiora ſenſim minora.
Flores corymboſi.
Corymbus coarctatus, compoſitus.
28. Craſſula *adſcendens*, foliis connatis, triquetris, integris, patulis; caule procumbente; ramis erectis, ſuperne filiformibus, ſubnudis; corymbo compoſito.
Creſcit in Carro prope Swartkoppsrivier; alibi.
Floret Decembri.
Radix perennis.
Caulis ſuffruticeſcens, decumbens, teres, ramoſus, glaber.
Rami alterni, cauli ſimiles, erecti; apice elongati, nudi, filiformes.
Folia in caule & inferiore parte ramorum connata, triquetra, glabra, integra, patula, acuta, internodiis longiora, unguicularia, approximata.
Flores terminales, corymboſi.
Corymbus decompoſitus, faſtigiatus.

Berolino Onoldum
miſſae d. 20. *Auguſti* 1777.

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. GEORGII FLORENTII HENRICI BRÜNING

circa

Uſum Camphorae externum in Variolis.

Superſunt in arte Machaonia permulta adhuc, ſi vel morbos conſideres, iisque medendi methodum, ſive remedia ſpectes diverſa, diverſis morbis, diverſo tempore, diverſa doſi, diverſa ratione adhibenda, quarum integrior cognitio anteceſſores noſtros in arte latuit; latuit hucusque nos ipſos.

Ratiocinium, ipſaque theoria ſaepe fallax obſervatur, fallax non rarius experientia, fallax item experimentum. Latet ſaepe in corpore ipſo, latet in medicamento, latet in ejus applicatione, latet in ſexcentis aliis lynceo ſubinde oculo inviſibilibus minutiis, realibus tamen; latet in obſervatore, in obſervatione ipſa, junctisque huic ſaepe fortuitis circumſtantiis totius fallaciae natique inde in praxi medica erroris fundamentum.

Medici cordati intereſt, tam ad promovendam utilitatem publicam, quam ad ſtabiliendam firmius, quam profitetur artem, cauſas has rimari, repetere capta experimenta, repetere quam poteſt accuratiſſime, notare fideliter, quae vidit phaenomena, ſicque gradatim ad poſſibilem certitudinem promovere divinam ſoteriam artem.

Diſputatum ante aliquod tempus inter celebrem Sereniſſimi Epiſcopi Monaſterienſis Archiatrum HOFFMANNUM & Clivenſium poliatrum ill. SCHUTTE fuit, de uſu opii & camphorae in morbis varioloſis. Noſtrum omnino non eſt inter hos tantas componere lites. Sententiam ſaepe numero in theſi veram, in hypotheſi falſam ſcimus. Diſputata in utramque partem diu jam fuerat haec materia. Multum jam lucis huic affuderat cl. TRALLES, qui paradoxon illud ſenſibus, Cam-

pho-

phoram refrigerare, irrefragabilibus fundamentis demonstravit, reddiditque opio, quas quorundam praejudicium illi subtraxerat debitas laudes.

Habemus hercle, quæ summi numinis benignitas est, habemus medicamenta, quorum notitiam antiquitas multis talentis redemisset. Mercurium habemus pessimæ venereae luis, multorumque aliorum, qui glandulas occupare solent, morborum atrocissimorum quam maxime rebellium debellatorem. Chinae corticem habemus, febrium intermittentium omnis ordinis & classis, & quod plus est putredinis & gangraenae victorem invictum. Habemus camphoram multifariis non infimæ classis morbis quam appropriatissimam. Habemus opium, pluraque alia primæ activitatis probatissimæque virtutis remedia. Verum enim vero, si (prout fieri hucusque a vulgo medicorum hoc consuevit) medicamenta hæc, nulla habita ratione casus præsentis, ægri ipsius, morbi, ejusque stadii, causae vel symptomatum, posthabita insuper de remedii ipsius requisita præparatione, forma, dosi, applicatione, omni necessaria cura, si denique non propriis suis, quibus conveniunt morbis, sed omnibus aeque, quos prioribus similes reputamus, indiscriminatim adhibentur, non potest, quin optimorum sic remediorum fama turpiter inquinetur. Fuit hoc mercurii, chinae, camphorae, opii, fatum; ut nata ex incauto eorundem & minus tempestivo usu damna, medicamento exhibito, latentique in illo nocivae alicui qualitati occultae imputarentur. Alia huic scopulo opposita non minus damnosa syrtis est illa, ubi a succedente semel prospere morbi gravioris cura, adhibito bonis avibus remedio major adscribitur vis medicatrix, quam quidem a natura illi indita est. Hujus farinae sunt magneticae illae depraedicatae nuper nimis levato supercilio curae venditaque plurima (non omnia) venenatarum herbarum extracta: quorum laudi, si dimidium demseris, superabit satis. Ridiculum profecto foret, ex viso semel vel prospero vel sinistro applicati cujusdam remedii successu, vir-

virtutes ejus velle determinare. Non ita: repetendum pluries experimentum, repetendum sub iisdem circumstantiis, tentandum sub aliis; tunc demum apparebit, quousque vires ejus medicatrices pertingant.

Morbi varioloſi difficilis hiſtoriam deſcribere molior, quemque adhibita medicamenta in hoc ſortita ſunt eventum.

Puerulus triennis, praenobilis, cetera ſanus & vegetus, a parentibus vegetis & ſanis progenitus, lacte materno (non tamen ex illuſtriſſimae matris culpa ſed ex lactis defectu) nunquam nutritus, nullo unquam morbo alicujus momenti affectus, quem excellentiſſimi parentes adeo exquiſitam ſervare diaetam juſſerant, ut nunquam adhuc carnis vel piſcium tantillum deguſtaverit, hic poſt leviora incommoda, appetitum depravatum, inſomnia, oculorum dolores, febri corripitur, cum vertigine, cephalalgia, lumbagine, membrorumque omnium externorum laſſitudine & difficultate ſumma, tanta, ut lectulo ſeſe committere cogeretur. Sitis ad haec magna urgebat, accedensque inquietudo ſumma cuſtodibus inſigne faceſſebat negotium. Prima haec morbi dies reputanda.

Poſt inſomnem, continuisque jactitationibus conſumtam pavoribusque intermixtis notatam noctem poſtera dies malum in pejus ruere oſtendit, inquietudo augebatur, accedebat nauſea, ſingultus, ad vomitum conatus, diu inanis, dein vomitus ipſe, opplebatur caput, ſuffundebantur inſigni rubedine oculi, ſequebantur veri & violenti in externos quoque artus propagati motus convulſivi. Compertum hodie in arce habebatur, graſſari per viciniam variolas, commoratosque in vicino pago ſaepius ſervos domeſticos, qui ſine dubio contagium domicello communicaverint. Variolas itaque ſub his phaenomenis deliteſcere cum non improbabile videretur, ſtatim quae tam ſublevando quam curando inſtanti morbo indicabantur apta, ſine mora vocabantur quoque in uſum. Aeſtui ſanguinis nimio potiunculam refrigerantem ex gelatina fructuum horaeorum acidorum, ſegniorique alvo clysma familiare

are ex decocto hordei cum melle oppoſuit praeſens tunc temporis ibi perilluſtris Comitiſſa de P. jam ante meum adventum. Accedens interim & ego hypocauſtum inſuper ſpatioſum, aeri ſi lubuerit pervium, altum parari curavi. Lectulus ſola ſubjecta maſtruca ſternebatur, remotis omnibus pulvinaribus plumeis, corpusque aegroti ſolo panno cotoneo leviſſima lana duplo obtegebatur. Cibus hodie poma acida malivia cocta, ceraſa acida condita; ſolutaque, ut jam monui, ex ribeſiis gelatina, potus fuit. Sub veſperam febris exarſit magis, redierunt convulſivi artuum motus ſecutaque eſt inquietiſſima nox, pendente qua hic illicque per artus papillae protrudebantur copioſae futurarum variolarum prodromi. Genus itaque morbi jam apparebat; praecoxque altera jam morbi die facta materiae adhuc crudae & immaturae varioloſae determinatio ad corporis perimetrum, non ſolum veneni hujus ſ. fermenti varioloſi malignitatem, ſed inſignem quoque abundantiam indicabat.

N. En jam L. B. phaenomenon theoriae medicae contrarium! aegrotum hic conſpicis varioloſum, peſſimis variolis laboraturum, cujus illuſtriſſimus parens variolis admodum benignis olim decubuerat, nullasque inde tulerat cicatrices. Illuſtriſſima vero mater poſt editum demum in lucem hunc filiolum, variolas per inſitionem excitatas primis ſolum, ut ita dicam, labiis guſtaverat. Aegrotum a prima nativitate ſanum, laudabiliſſima diaeta a teneris altum, nullis vel carnibus vel piſcibus, vel aliis alcaleſcentibus, aut ſuccos corporis alcaleſcenti natura impraegnantibus cibis unquam nutritum: hunc in morbi progreſſu profecto miraberis, inſuperabilem fere ſuccorum univerſalem in alcaleſcentiam & putredinem niſum videns. *Nihil ergo emolumenti in hoc morbo attulit ſollicita ciborum electio.* Firmo quidem talo ſtat illa ſententia: alcaleſcere & putreſcere citius carnes & piſces, quam quidem vegetabilia: dubia vero haec quaeſtio eſt, num cibi ex regno animali hauſti hunc ſuum ad alcaleſcentiam niſum

„ſum in corpore ſano vivo retineant, ſuccisque reliquis cor-
„poris humani coimpertiant? videtur ſane, quod non. Vi-
„demus quippe putreſcere aeque cito bubulum ſanguinem, ani-
„malis phytophagi, quam humanum; qui carnibus aliisque
„alcaleſcentibus, ſaepe alcalibus nutrimur. Militat porro
„pro nobis cl. HAENII experientia, qui hominis calculoſi ſan-
„guinem poſt aſſumtas ſeptendecim libras ſaponis veneti, hau-
„ſtasque mille quingentas aquae calcis libras invenit ſaniſſi-
„mum, nulla alcalina labe omnino infectum: quum tamen
„ante captum hoc experimentum univerſa medicorum cohors
„a cura tali male ſana maxime depravatum iri ſanguinem reli-
„quosque omnes corporis vivi ſuccos uno ore clamitaſſet.

„Quid ergo, inquies, ad praecavendos morbos putridos,
„quid ad praeparationem corporum pro inſitione variolarum
„abſtinentia ab eſu alcaleſcentium? - jure rogas. - Dubitave-
„runt jam plures. Exceptionem interponi ſolitam ab ani-
„malibus rapacibus ſolis carnibus vel piſcibus veſcentibus, qui
„ſanguinem admodum alcaleſcentem habent, hic non exſpe-
„cto: ſanguinis horum animalium in alcaleſcentiam niſus non
„niſi a vita, quam vivunt ſemper operoſa & activa, fera; non
„a victu ſolo proficiſcitur. Bovis arantis carnes alcaleſcenti-
„am non minorem monſtrant, quam carnes animalis ſarcopha-
„gi. Succi hominis mercenarii, pane ſicco & aqua lacteque
„acidulo congrumato veſcentis, ad putredinem magis proni
„hercle ſunt, & alcaleſcentes, quam ſucci in otio verſantis,
„carnibus quotidie vel piſcibus, iisdemque ſubinde ſemipu-
„tridis nutriti divitis. Nullius ergo uſus illa praeparationis
„ad variolas pars eſt, quae ſolum aceſcentium eſum imperat.

„Ergo & indifferens alcaleſcentium uſus in morbis? —
„Nequaquam: — ſi vis coctrix organorum digeſtioni ſacro-
„rum debilitata adeo fuerit, ut ſubigere ingeſtos cibos vel po-
„tus non valeat, manet in illis alcaleſcens natura, quin & in-
„quilini corporis humores, quibus fermentum hoc admiſcetur,
„tranſeunt in eandem diatheſin. Sin autem organorum dige-

ren-

„rentium naturale ſanumque robur praevaluerit, ſuccis inqui-
„linis ſanis; & male ſana quoque ingeſta aſſimilantur. Co-
„mitem ſic novi ab O*** qui, incredibile dictu! ſolo fere ſac-
„charo & pinguedine animali veſcitur, idque per longos jam
„annos, ſine vel minimo viſibili ſanitatis diſpendio. Haec in
„tranſitu.

Tertia jam illuceſcebat morbi dies. Haec expulſarum praecedente nocte papillarum varioloſarum numerum per totum faciei artuumque ſuperiorum ambitum inſigniter augebat ſimulque reliqua dierum praecedentium ſymptomata; quibus & oculorum inflammatio admodum moleſta & dolorifica accedebat, quae tanto magis formidabatur, quum ſub meridiem in oculo ſiniſtro geminae apparerent in cornea tunica variolae; quarum ſi ſuppuratio praeveniri non potuiſſet, certo certius oculi illius jactura fuiſſet metuenda. Ex collatis his phaenomenis ſponte fluebat de futuro morbo judicium: interim tamen omnia, quae praeſenti rerum ſtatui accommodatiſſima judicabantur, adhibebantur. Abdomen a clysmate heſterno clauſum, elevatum & nonnihil tenſum enema emolliens bene aperuit, oculis lotio, refrigerans, camphorata, adhibebatur ſaepius, ſimileque refrigerium, ex aceto camphorato, ſpongiis excepto, volis manuum applicatum, aeſtum eorundem commode reprimebat. Quae interne dabatur medicina, emulſio erat refrigerans, antifebrilis, camphorata. Potus ex ſero lactis tamarindinato paratus, gulae non admodum gratus, cum decocto vel infuſo potius panis fermentati bene citrato, & infuſo theae citrato alternative largiter hauriebatur.

Die morbi ſequente quarta, expoſitae per totam corporis ſuperficiem variolae quoad numerum increverant quam maxime, absque quod, quae pridie eruperant papulae, ſe notabiliter elevaverint. Hinc quum tam de inſigni varioloſi fermenti in corpuſculo hoc praeſentis copia, quam de genio variolarum ipſarum, quae ex minorum & confluentium peſſimarum claſſe fore judicabantur, ſumme probabile jam ferri poſſet

prognosticon, apertum magis abdomen, alvumque laxiorem servare, tam per hausta ore medicamenta, & victum, quam per injecta ano clysmata instituí. Prius ex tinctura aquosa florum papaveris rhoeados cum camphora & pauxillo nitri maritata adjecto simul ex eodem papavere syrupo & pulpa tamarindorum parabatur; potus ex aqua communi cum syrupo ribesiorum & spiritu vitrioli mixta fiebat. Clysmatibus ex emollientium classe paratis, camphorae in vitello ovi solutae drachma adjiciebatur: simulque, ut promtior & copiosior variolosae materiae exitus parari posset, ipsaque haec materia a superioribus & nobilioribus partibus ad inferiores develleretur, praecipue quum firmo adhuc talo in laevi oculo haererent emersae ibidem heri variolae, cantharidum pulverem cum emplastro de hyosciamo subegi, & surae utrique appositi; & quod plus est, totum abdomen linimento ex unciis duabus cum dimidia camphorae in vitello ovi subactae parato involvi, unde per horam unam alteramque aliqualis symptomatum remissio impetrata, sic, ut somnus quoque insequeretur satis placidus. Inquieta tamen erat quae ex post sequebatur noctis pars & insomnis, magisque adhucdum adaugebatur variolarum copia, dum interim exanthemata primae eruptionis aliquantulum ichoris colligerent, acquirerentque superficiem planam cum centro inciduo concavo.

Sequenti mane, (erat quinta morbi dies) quum augeri totius corporis tumorem simulque reliqua symptomata ad oculum crescere viderem, ex collatis insuper omnibus hujus morbi phaenomenis manifestam ejus malignitatem satis dignoscerem, quem die praecedente multo suasu illustrissimarum tunc tempore praesentium in arce convivarum inchoaveram camphorae largiorem externum usum repetii, aegrumque tribus unciis camphorae in vitello ovi subactis involvi usumque medicamentorum pridie adhibitorum sedulo continuavi. Aerem praeter haec in cubiculo saepe mutavi, idque totum, quod aeris clementia permittebat, adapertis fenestris perflabile ven-

to

to feci, quinimo aegrum ipsum, qui summo incendio uri videbatur, subinde lectulo suo eximi & circumferri per hypocaustum jussi. Injiciebatur bis in die memoratum jam enema, quaeque insuris creata fuerant artificiosa ulcera, unguento digestivo deligabantur. Pulsus tota hac die, quamquam citatissimus, constans tamen erat & aequalis. Potus lac ebutyratum erat & hydrogala. Sub vesperam febris maximopere augebatur, accedebatque sopor, quem dentium continui stridores frequentesque pavores interstrepebant. Utrumque tamen post novam camphorae applicationem, quae sera vespera fiebat, minuebatur ad visum, ipsa vero nox insomnis ducebatur & inquieta.

Postridie summo mane memoratum jam aliquoties linimentum ex tribus camphorae unciis imponebatur denuo, augebatur nihilominus corporis totius tumor, praesertim faciei, sic, ut uterque jam clauderetur oculus. Variolae ne hilum elevabantur, desinebant omnes in planum concavum stigmate depressiori in sui medio notatum, nec quicquam hucusque, si pauxillum liquoris tenuis aquosi exceperis, collegerant puris. Vacua a variolis loca ubiquaque scarlatinum exanthema occupabat, sicque omnino imperspirabilis jam reddebatur universus corporis cortex. Pectus hodie opprimebatur. Alvum tertium saltem enema aperuit, inflatumque abdomen statui naturali reddidit. Urinae difficultatem superimpositum pubis regioni chaerefolium in lacte dulci decoctum fugavit. Medicamento interim refrigerante camphorato, potu ex aceto rubi idaei & soluto in aqua roob ribesiorum cum acido Dippelii utebatur largiter. Quod ad erosa a vesicatoriis loca attinet; haec, quum adhibitum digestivum ex vitello ovorum & terebinthina cum melle rosaceo ob firmiorem cum cute subjecta cohaesionem aegre admodum ferrent; cum solo unguento basilico jam curabantur: sed neque tum quidem minimam puris guttulam prodebant. Appetitus omnino languebat, continuusque dolor artus divexabat acutus. Sub vesperam tribus

iterum camphorae unciis involvebatur aegrotus. Vigilia prima nonnihil tranquilla, reliqua vero nox inquieta & omnino insomnis erat.

Pulsa hac, involucrum ex tribus camphorae unciis repetii sine vel minimo apparente ex adhibito hoc remedio generoso fructu; pulsum potius molliorem, citatiorem & fere undosum deprehendi. Variolarum ne unica elevabatur, colligebant omnes serum acre; exsiccabatur pergameni instar summa cutis & depressam pustulae omnes superficiem monstrare pergebant. Post meridiem diei hujus septimi pulsus velocitas augebatur quam maxime, quin remittebat interdum. In ala nasi, (qui locus ante susceptum morbum laesus forte fuerat) variolae atro purpureo liquore replebantur, recedente quoque circumfusa illis usque huc area rubra, quae in lividam transibat. Veritus ego ne in gangraenam abirent & reliquae pustulae, ut putredinem instantem & praevisam ex violenta hac febre humorum solutionem & depravationem omnimodam caverem, vires corporis deficientes roborarem, meliusque, si fieri posset, pus obtinerem; decoctum saturatum ex cortice peruviano parari, amygdalasque dulces cum seminibus frigidis & papaveris albi semine in hoc emulgeri, hocque nitro & camphora muniri jussi: ex quo omni bihorio unciam unam hausit paratissimus ad omnia, & cuivis praecepto obedientissimus puerulus. Potus hodie acidum Dippelii fuit paratumque ex rubis idaeis acetum, cum aqua remixtum. Alvum clysma emolliens & refrigerans cum camphora servavit lubricam. Ulcera a vesicatoriis creata, cantharidum pulvere quamvis lacessita, nullam fundebant puris vel suspicionem, sicque propugnatam illam a sciolis quibusdam nimis temere sententiam: „quod prolectum in variolis benignioribus can„tharidum ope pus, vera materia varioloſa non sit, sed solum „simplex vi operatricis naturae in deglubito loco genitum, „cum materia morbi non relativum sterile pus, morbum „ipsum non levans, materiamque varioloſam in corpore nec minu-

„minuens, nec ex corpore educens, experientia manifeste redarguebat. In substrato quippe casu, ubi totum suppurationis variolarum opus supprimebatur, pustulaeque ipsae non nisi ichorem quendam acrem erodentem colligebant, eadem prorsus materia fere caustica, non pus, per haec loca eliminabatur. Sub vesperam febris incendebatur ardens, quae tamen post camphorae externam applicationem nonnihil remittebat. Post mediam autem noctem nova denuo incrementa capiebat, ad diluculum usque non interrupta saevitie pergens, donec summo mane, superimposita recens corpori camphora inducias quasdam denuo conciliaret. Aegrotulum ipsum hodie valde debilitatum inveni (octava erat morbi dies). Nox perquam dolorifica, insomnis omnino et propter abolitum visum inquietissima fuerat. Maxima, quae interdiu et nocte adhibita fuerat cura, refrigerium corporis & oculorum spectans, horumque fere continua lotio ex collyrio praementionato camphorato, incommodum hoc praevertere non potuerat, nec impedire, quo minus in diversis locis gangraena corriperentur singulae variolae, colorem inducrent violaceum atrum, amitterent rubellam sibi circumjectam hucusque zonam, & collaberentur omnino. Quid consilii? Fovi corticis decocto calido semivinoso fatalia haec loca; perrexi in interno corticis peruviani decocti usu, tam strenue, ut intra nycthemeron sesquiuncia chinae a puero hoc trienni in decocto assumeretur. Hoc autem non obstante in variis partium extremarum locis, quin & in ipso jam per aliquot continuos dies foto & camphora condito abdomine, maculae prodibant violaceae, subbrunae, spatia a variolis inania occupantes. Et has quoque decocto corticis jam memorato foveri continuo suasi. Quo factum quidem est, ut proserpens hoc crudele malum interciperetur ejusque propagatio ulterior inhiberetur; verum elevatio ulterior variolarum laudatiorisque puris ex ichore hoc generatio, quam tamen cortex peruvianus alias effi-

efficere quotidie observatur, frustra sperabatur, depressae sedebant omnes & relabebantur.

Animum jam lente subiit suspicio, *Camphoram*, quam precibus armatis victus sub hac forma, & hoc respectu prima vice externe adhibueram, *praepedire materiae varioloſae in corpore actu praesentis crudae fermentationem*, evolutionem, coctionemque necessariam, & non nisi ex his prospere succedentibus procedentem suppurationem. Suadere hoc videbatur notum illud phaenomenon: non suppurare vulnusculum materia varioloſa imbutum, si vel tantillum camphorae linteolis fermento varioloſo madidis adspergatur. Accedebat observatio alia: *Conciliare camphoram*, hac methodo *externe adhibitam*, *corpori*, *cui applicatur*, *manifestum* ad horrorem saepe accedens *refrigerium*, mediante quo constricta corporis externa superficies, non solum admittendae materiae hujus criticae incapax omnino redderetur ad tempus; sed ipsa etiam vi actuosae naturae propulsa ad perimetrum materia exanthematica reprimeretur, reliquoque humorum latici communicaretur exaltata, & mutata in pejus; hinc praesentissimo periculo exponeret aegrum. Maxime in casibus illis, ubi, ut hic, de existentia fermenti hujusmodi varioloſi, crudi, immutati, aperta indicia prostant.

Nova enim hac octava morbi die facta variolarum eruptio ultra fidem larga, me, mecumque omnes, qui aegrotulo saepe aderant, illustres coobservatores uberrime convincebat, circumfluere adhuc aegri corpusculum fermento crudo varioloſo *a camphora neque victo, neque debilitato*. Ut igitur hac de re certior fierem; ante camphorae applicationem aegri pulsum tetigi, numeravique ad indicem horologii valde accurati, anglici, minuta secunda monstrantis centum quinquaginta & octo pulsus intra horae minutum; eundemque post horae dimidium denuo explorans, non nisi, centum & quadraginta novem notavi. Potus hodie partim ex tamarindis fuerat, partim ex acido Dippelii cum syrupo ribesiorum.

Alvus

Alvus post geminum larga camphora maritatum enema tandem respondit. Vesicatoriis notata loca puris omnino nihil, merum potius, qui sub variolis quoque latitabat, ichorem plorabant. Nox insequens tota inquieta, intercurrensque somnus continuis pavoribus interpolatus, nec naturalis nec reficiens fuit. Crescebat summopere aestus internus, sine notabili pulsuum augmento. Sitis, quae urgebat intensa, potu aquoso, spiritu vitrioli & syrupo ribesiorum copioso restinguebatur. Sub diluculum arteria, quam in carpo tangebam, centies trigesies bis intra horae minutum vibrabat. Post applicationem solitam camphorae autem ad centum viginti & sex pulsus descendebat, qui tamen circa meridiem ad 131. post meridiem vero intra similia temporis bihoriaria intervalla ad 134-140. 147. ad centum quinquaginta novem usque exaltabantur.

Hora octava matutina diei morbi decimi pulsuum vibrationes ad horologium computatae accurate centum triginta tres intra minutum explebant, quae tamen hora nona matutina, una post camphorae applicationem, ad 125. diminuebantur, absque quod alia refrigerans medicina interim sumta fuerit. Subsequentibus autem horis sensim ejus celeritas ita rursum increscebat, ut circa meridiem ad 130. iterum ascenderet. Hora pomeridiana prima pulsus contrahebatur & intermittebat subinde ad tertium pulsum semel, aliquoties autem bis. Praevio horrore frigebant externa; obpallescebat rubella pustulas varioloſas circumambiens zona; intercipiebatur respiratio; delirabat aeger, dum interim maximo incendio urerentur praecordia. Paroxysmus hic valde atrox erat, & plenus periculi. Spasmodice externum corporis corticem hic contrahi, nec credo injuste, putabam. Festinatur malum; veloxque expetebat auxilium praesentissimum, quod instabat vitae periculum. Sciebam, opium in minori dosi exhibitum partium extremarum praeprimis vasorum minimorum spasticas constrictiones perbelle solvere, auctoque in his humorum motu ner-

vulos vasis his circumjectos grato reficere stimulo. Sciebam, spurios in parturientibus dolores a spasmo oriundos subprimi, verosque ad partum dolores dictu citius promoveri. Neque adeo diu est, quod pertinacissimas a spasmo natas alvi obstructiones laudani ope solverim alvumque laxam medicamenti hujus alias constipantis ope restituerim. Urgente itaque morbo opium statim ad SYDENHAMI methodum sub forma liquida exhibere non dubitavi; & sesqui forte unciam infusi theae aquosi calide sorbillandam simul propinavi. Effectus voto respondit: reficiebatur tenellus, liberior fiebat respiratio, reddebatur externis membris naturalis calor & color, sequebaturque post sedes binas, graveolentissimas, somnus bonus, tranquillus & reficiens; sub quo larga iterum variolarum seges tam in brachiis & femoribus, quam in abdomine ipso, ipsissimisque in locis, qui cum camphora in immediato contactu fuerant, erupit. Elevabantur quoque, quae octava morbi die prodierant pustulae magis ac ante, naturamque benigniorem monstrabant quam fraterculi primae eruptionis. Continuatus toto die fuit decocti corticis c. amygdalis emulsi usus, tempore autem intermedio, ad fallendam sitim, aqua communis decocta, cum acido vitriolico & syrupo ribesiorum remixta, aliquando vero tamarindorum decoctum porrigebatur. Alvus enemate aperiebatur. Ceterum aegrotus noster hodie admodum male habuit. Variolae prorsus immutatae stabant, absque vel minimo suppurationis aliqualis indicio. Ulcera a cantharidibus nata, exsiccabantur. Crescebat de hora in horam sitis, febrisque post meridiem gradatim ita augebatur, ut hora sexta vespertina, quum centum quinquaginta & novem vibrationes intra minutum faceret in carpo arteria, leve quoddam accederet delirium, simulque omnis periret perceptae hucusque sitis sensatio. Adhaec urinae nascebatur difficultas, intercurrensque singultus; quae omnia utpote spasmorum genere futurorum hujus classis graviorum symptomatum praecursores fore verebar. Plantis itaque pedum epispastica ex fermento, aceto & sapone applicavi;

quae

quae quum saepe renovarentur, tam dysuriam, quam delirium depulerunt. Permultum tamen simul praestitit injectum emolliens enema, quod, alvum bis aperiens, insignem graveolentissimae materiae copiam eduxit. Post camphorae externam applicationem, quae octava vespertina fiebat, pulsus, qui ante centies & sexagesies intra horae minutum pulsaverat, jam post pauca minuta ad centum quinquaginta quinque redigebatur.

Nox insequens tota, omnino insomnis, jactitando consumebatur, brevisque intercurrens somnus insomniis terribilibus, pavoribus & deliriis interpellabatur. Tandem descendente ad 142. circa horam tertiam matutinam pulsuum numero, somnus insequebatur placidus cum semiadapertis oculis.

Quae sequebatur undecima ancipitis hujus morbi dies, sub symptomatibus satis levibus (praeteritorum ratione habita) transiit, excipe, quod respiratio, propter clausum nasum, difficilis aliquando fuerit. Accedebat singularis quaedam aegrotulo veniens idea, ut sub qualibet inspiratione, summa vi tantam aëris copiam in pulmones attraheret, quantum pectus capere poterat; hanc saepe per quinque & plura minuta secunda retineret, tandemque illum eadem plane vi, qua hauserat, rursum exspiraret; & hoc omne sine ulla detegenda causa. Nec omnibus adhibitis precibus, adulationibus, promissis vel minis, ut ab hac respirandi methodo abstineret, potui impetrare: tandem vero aliis rebus intentus, a malo hoc consilio, fortassis deliro, destitit sponte, somnumque ad unam alteramque horulam cepit.

Hora circiter octava vespertina abdomen sine apparente ulla causa (nam pomeridianis horis alvum bis & copiose satis exoneraverat) insigniter tumere, tympanique instar inflari coepit sic, ut leviſſima quibus amictus erat obtegumenta suffocationis metu solvi debuerint: intermittebat pulsus, deficiebat cum animo quoque ratio, sentire videbatur nihil solisque suspiriis passiones suas indicabat. Nascebantur convulsivi motus

tus interni ad artus externos jam jam propagandi. Verbo; prognosticon, quod in instanti ferre poteram, acerbum erat. Nullam accusare poteram varioloſae materiae retropulsionem: Variolae ipsae immutatae stabant ut ante. Solam fermenti varioloſi crudi in corpore hoc praesentis, & indies aucti, insignem copiam, pro parte fortassis ad nobiliores internas quasdam partes depositam, paroxysmi hujus unicam credebam causam. Facile fieri potuisse argumentabar, quod materia haec varioloſa ad externas corporis partes (quae in hoc morbi stadio, ubi siccari variolae incipiebant, imperspirabiles maxime, & admittendae hujusmodi materiae criticae propter ariditatem cutis & praeternaturalem organorum ejus se & excretoriorum constitutionem incapaces esse solent) deponi prohibita, jam ad tubum intestinalem, commune illud materiei cujuslibet exanthematicae cuti destinatae diversorium, fuerit delata, ibique cum hospitantibus hic loci succis inquilinis, jam non minus morbosis, fermentationis speciem subierit, generatoque sic aëre copioso, valde elastico, intestina, & cum his abdomen totum in prodigiosum hoc volumen intra pauca minuta elevaverit. Haec supponens, ad compescendum, quod manu abdomini applicata satis percipi poterat, internum incendium simulque ad condensandam rarefactam hanc in intestinali tubo auram, camphoram solito modo in vitello ovi solutam quam potui frigidissimam abdomini applicabam, totumque apparatum linteis frigidis madidis obtegi jubebam simulque binis intra breve tempus injectis clysteribus eluere corpus ipsamque hanc materiam promte educere institui. Utrumque succesſu non caruit. Subsedit venter, rediit in semitam pulsus, iterumque post violentum hunc paroxysmum, plus bis centum variolae novae, per totum corpus, maxime autem in illa rursum abdominis superficie prodibant, quae per octo jam continuos dies nocte & interdiu camphora involuta jacuerat. Spuriae hae variolae non erant. Non magis quam priores. Patebit hoc ex ulteriori morbi progressu.

Quæ

Quae octava morbi die eruperant, similes per omnia jam illis variolis hodie erant, quae tertia morbi die prodierunt, quaeque decima morbi die fuerant exclusae, has promtius germinare & elevari videbamus.

„Hoc itaque fermentum varioloſum a camphora, quam „ego huc usque verum variolarum antidotum credideram, cu„jusque partim interne partim externe viginti forte unciae „jam fuerant adhibitae, non solum non subactum vel exstin„ctum; sed ne quidem infirmatum adeo fuerat, quin satis acti„vum maneret, ut tres, satis notabili intervallo abs se invi„cem distantes eruptiones largas producere potuisset. Inte„rim tamen in usu camphorae rogatus perstiti, simulque tamen „decoctum corticis chinae saturatius cum seminibus frigidis „emulsum, quod uncias duas corticis capiebat, intra nycthe„meron sumendum addidi.

Nox reliqua, ratione morbi habita, satis tranquilla erat, pulsus pacatior esse, somnusque placidus obrepere coepit, qui tamen interdum brevibus deliriis cedebat, vigili quoque accedentibus.

Sequenti itaque duodecima morbi die, epispastica pedibus iterum admovi, materiam inimicam ad encephalon forte abituram per admotum hunc stimulum ad inferiora allecturus. Haec post paucarum horarum ibi moram serenitatem animi rationemque bonam reduxerunt, sed breves hae induciae erant. Hora enim post meridiem secunda & dimidia, tumere denuo coepit & inflari insigniter abdomen: hinc quum pridie veram materiae fermentantis putridae in intestinis praesentiam monstraverit eventus, brevissima via hanc ejicere constitui. Factum hoc injecto clysmate, exhibitoque simul rhabarbaro cum tartari cremore mixto. Unita haec remedia magnam materiae puris, actu fermentantis educebant, afferebantque praesens levamen. Novum ejusdem commatis paroxysmum, nocte redeuntem, injectum idem clysma solvit; reversurum, potus ex tamarindis, alvum solutiorem servans,

praevenit; sequebantur tres sedes, excernebatur cum urina ingens crudi puris copia, somnusque succedebat tranquillus.

Sequitur decima tertia morbi dies. — Expergefacto circiter circa sextam matutinam aegroto, rhabarbarum cum tartari cremore mixtum exhibebatur, quod grandem graveolentissimae putrilaginis copiam cum maximo tenelli levamine tribus repetitis vicibus exturbabat, neque tamen ad naturalem statum tumens abdomen reducebat: pergebatur interdiu in usu decocti corticis peruviani saturati, in quo, propter aspredinem gutturis accusatam, gummi arabicum solveram.

Arefieri jam pergebant hic illic per faciem & brachia variolae, appetitus exiguus erat, sitis major, febris vix diminuta; dormientem pavores adhuc suscitabant; quin &, qui pendente somno obtinere visi fuerant dentium stridores, pergebant. Seriorum eruptionum variolae elevabantur cito, materiaque tenui aquosa, uti priores implebantur. Par incrementum ceperant illae, quas camphora externe applicata immediate texerat. Quod reliquum, oculi hodie recluſi, apertus que, post emollitas ope olei amygdalini & sublatas crustas varioloſas, nasus internus, majorem ægrotulohilaritatem conciliaverat. Respiratio liberior erat; urina hesternæ similis, purulenta, excernebatur. Sub vesperam enema carminativum laxans imperavi, quod post applicationem externam camphoræ (cujus jam non nisi sesquiuncia utebar) flatus copiosissimos eduxit cum tenelli euphoria.

Victam sic quidem morbi vehementiam subinde cogitabam; mox autem de ultimo fine sollicitus adhuc, de possibilitate materiam hanc varioloſam, crudam, malignam, nec subactam, nec mutatam, in corpusculo hoc praesentem, copiosissimam, mutandi, coquendi, & ex corpore hoc summe debilitato, infantili, educendi, antequam irreparabile aliquod damnum produxerit, valde dubitabam.

Die

Die decima quarta; post applicationem camphoræ externam (cujus hodie solum unciam pro qualibet dosi adhibebam) simul cum prima decocti corticis febrifugi saturati portione, tincturam rhabarbari aquosam addidi ad gtt. XLV. unde sex insecutæ sunt & copiosæ sedes. Pulsus quidem minus frequens quam diebus præcedentibus; sed tamen febrilis, durus, parvus, esse pergebat. Aegrotus tamen ipse manifeste alacrior post captum somnum videbatur, quamquam summopere debilis. Prandium sumsit ex jusculo avenaceo, succo citri nupto, pauculoque de pomis acidis frixis, roobque ribesiorum, permisique ut pauxillum vini Rhenani generosi (quod peramabat ægrotulus) cum pane biscocto saccharato adderet. Post prandium somno sese commisit puerulus, subque somno florere & rubellum magis colorem induere tota corporis vacua a variolis cutis visa est. Factum hoc revera post paucas horas distinctius videbam, simulque detexi, non rosea solum zona circumdari denuo variolas, sed mutari jam quadantenus in laudabile pus collectam in variolis, die octava undecima & duodecima protrusis materiam aquosam; quæ post consumtam placido somno noctem fere omnino cocta, pinguis & flavescens deprehendebatur. Urina, uti & diebus præcedentibus, sedimentum copiosum purulentum statim post missum lotium subsidens demisit. Pulsus ipse frequens quidem; plenior tamen & aperte mollior esse coepit. Phaenomenon hoc inexspectatum maxime mihi fuit; magis tamen miratus sum sequenti die ego, mecumque obstupuerunt omnes, qui circa ægrotulum erant fidi cujuslibet symptomatis observatores socii, cum viderent: decima quinta morbi hujus varioloſi die, decima tertia post primam factam eruptionem, & tertia post coeptam primarum exsiccationem, ipsissimas has primæ generationis variolas, vix non totas siccas, de novo per totum earundem ambitum inflammari, tumere, elevari bonumque sub istis crustis jam aridis colligi & coctum pus. Implebat hoc omnes seriorum eruptionum papulas, materia serosa, limpida, acri, roden-

rodente, usque huc plenas; redibat totius corporis tumor, claudebantur denuo oculi, tantaque hodie erat suppurationis vis, ut guttatim defluueret per faciem collectum sub exaridis jam crustis pus. Oculorum nunc sortem timui, cum tanto jam impetu agere simul & semel incipiebat, quam omnino infirmatam putaveram natura, veritus, ne & illæ, quas in morbi principio hic detexeram pustulæ, in suppurationis commune fatum raperentur. Alvus hodie quinquies & quidem sponte solvebatur; collabebatur omnino & statui naturali reddebatur elevatum ante & tensum abdomen; pulsus naturali fere similis erat: sed mente alienabatur æger, fortasis a cita hac nimis mutatione & producta hinc meningum quoque aliquali tensione. Pedum plantis itaque sinapismum apposui, strenueque in usu peruviani corticis perrexi, cui fructuum horæorum acidorum gelatina interponebatur. — Exhalationes ægri hodie tantam acquisiverant graveolentiam, ut ipsam camphoram odore superarent. Urina pus copiosum continere pergebat, æger continuo sopore sepultus placide recubabat; expergefactus alacrior videbatur, bene prandebat, multumque emulsionis amygdalarum dulcium bibit.

Post transactam tranquillo somno noctem, bene satis habuit ægrotus, variolæ ulterius non elevabantur, plenae tamen boni puris laete florebant. Nonnullæ primi thori pustulæ, sed paucæ, pure non repletæ, exarescere pergebant, & cadebant passim. Serioris generationis variolae omnes ex voto valebant perfectamque pollicebantur brevi futuram sanationem. Sedes, die hac decima sexta morbi, sponte sequebantur sex; sine ullo ægri vel incommodo vel debilitatione. Amygdala emulsa jam pro potu elegerat aeger, pranderat cum appetitu, postque prandium pauxillum rursus vini cum pane biscocto sumserat; quoad reliqua, rem suam agebat optime. Sopor uti heri per totum reliquum diem invaluit, absque quod expergefacto vel minima hebetudinis suspicio superfuerit.

Quae

Quae decimum septimum morbi diem praecedebat nox, tota fere placido somno consumebatur, si intercalaria illa momenta exceperis, in quibus vel urgentem sitim restinguere aridum guttur jubebat, vel, quod bis fiebat, naturae alvum moventi satisfacere oporteret. Pulsus matutinis horis naturali quam proximus erat, pergebat & hodie sopor, coeptaque solito tramite suppuratio. Succedebant sic omnia ex voto, nisi, quod lacrumanti aegroto rupta fuerit, quae totam faciem instar larvae obtegebat, crusta varioloſa, ibique deformem maxime produxerit hiatum, ab ore ad utramque aurem fere desinentem. Palpebrae insimul denuo inflammabantur & suppurabant; defluebant quae illarum margines vestiunt cilia, ipsique oculi tumore insigni rigebant, dum interim pus glutenque varioloſum palpebras ipsas coadunaverat. Pergebatur interim in usu corticis peruviani, potus emulsio amygdalina erat, omnisque adhibebatur cura, ut copiosissimo ubique sub crassis his crustis varioloſis haerenti puri celer conciliaretur exitus. Variolas itaque ipsas pure cocto plenas ubique incidere, detergere, collectam ibi purulentam materiam, ipsasque jam exaridas crustas, sub quibus nidulari jam pus & acrefieri incipiebat, ope unguenti ex oleo amygdalarum dulcium recentissimo, oleo ovorum & ol. papaveris albi āā unc. ß. ex spermate ceti recenti dr. j. cera alba dr. ß. & semiuncia aquae naphae parati, emollire, emollitas dein sine adhibita vi auferre jussi. Appetitus & alacritas hodie languebant, crescebatque post meridiem iterum celeritas & frequentia pulsus. Alvus sua sponte quater solvebatur. Inquietior quoque solito insequens nox erat, sitis itidem major, continuaque diarrhoea vires infantis insuper labefactabat. Iunxi itaque postridie solito corticis chinae decocto rhabarbarum parca manu, simulque hydrogalam emulsioni amygdalinae pro potu substitui. Quae incisae heri & a pure suo liberatae fuerant variolae novam denuo collegerant materiam; quin & in illis

locis, ubi cruſtae ipſae ſolutae & ablatae fuerant, ſub tenui regenerata pellicula puris ingens copia confluxerat. Repetebatur igitur inciſio variolarum; oculi autem, quicquid egerim, manebant clauſi. Nutricem itaque, cui praecipua aegroti cura demandata erat, rogavi ſedulo, ut, ſi poſſet, lamberet conglutinatas palpebras, ſicque oculos ipſos inſpiciendi, iisque, ſi neceſſitas id poſtularet, ſubveniendi faceret poteſtatem; praecipue quum imminutus jam externus quoque tumor & inflammatio recluſionem oculorum permitteret. Praevenerat jam conſilium meum tacite officioſa muliercula, opusque hoc caritatis plenum averſionis, caro ſuo jam praeſtiterat; monita autem, nunc magis aſſidua coeptum opus continuabat, illo eventu, ut ante veſperam voti ſui in tantum compos facta fuerit, ut ſaltem per rimulam aperiri incipientium palpebrarum, globum oculi illaeſum & ſanum videre liceret. Auxit hoc mire hilaritatem pueruli, qui intueri rurſus quemcunque, dignoſcere praeſentes & videre propoſita crepundia & bellaria laetus poterat. Alvum & hodie quater depoſuit. Cadebant ſponte hic illic primae eruptionis variolae illae, quae non ſuppuraverant, vigebat magis appetitus, imminutaque valde videbatur, quae pridie invaluerat, febricula.

Decimam nonam morbi diem antecedens nox placidiſſimo ſomno tranſibat. Summoque jam mane expergefactus aeger veniam vitellum ovi ſorbilis comedendi rogabat. Febris decreverat magis, exſiccabantur lente ſine vel minimo incommodo variolae, aperiebantur omnino oculi, viſumque in utraque pupilla prorſus illaeſum monſtrabant illuſtriſſimis parentibus. Reſpondebat bis fluidior alvus, continuabatur in uſu corticis & rhabarbari, elevabatur quidem appropinquante nocte pulſus, absque tamen quod minus tranquilla nox fuerit inſecuta. Pulſa hac, optimum puerulum poſt reficientem quo uſus fuerat ſomnum valde alacrem, amoeno conſortio cum

puel-

puellis servis fruentem deprehendi. Evanuerat fere omnis febris, arescebant ex voto variolae sedesque tres moverat ante prandium medicina. Viguit optime appetitus; neque & roganti recusare potui, quo minus inter prandendum vini Rhenani aliquantulum degustaret: quin, quum sub vesperam perparum commotorum febriliter humorum detegerem, & coenanti panis martii aliquantum cum pauxillo vini concessi, unde somnus longus & reficiens. Pergebant interim siccari pedetentim & decidere variolae, si faciem exceperis; ubi cuicunque medicationum generi renitentes, enormes nectebant moras. Emolliebantur natae ibi crustae continuo, parabatur bis quotidie collectae sub crustis materiae purulentae exitus; hoc tamen non prohibuit, quo minus sub crustis istis adeo rebellibus degenerans in acrimoniam praeternaturalem pus, loca haec tenera genarum mentique eroderet. Praeter haec in ossis bregmatis regione media abscessus nascebatur, tensione sua aegroto perquam dolorificus, absque tamen quod febris inde fuerit excitata major. Continuabatur in peruviani corticis & rhabarbari usu, nascituriensque abscessus cataplasmate emolliente fovebatur. Sequenti vigesima altera die hic magis elevabatur, capitique tensivos dolores, oculis inflammationem creabat; utrumque tamen aucta rhabarbari dosis mitigavit. Ob decubitum in lecto, si non prorsus impossibilem, saltem maxime molestum, insequens nox magis insomnis fuerat. Aperui itaque postridie hunc abscessum, qui trium nyctheme-rorum tempore circiter sesquiunciam cocti puris collegerat. Silebant extemplo dolores, somnoque statim post factam deligationem sese committebat ad trihorium reconvalescens puer. Prandebat dein bene, hauriebat post prandium solitam suam vini portiunculam, utebatur ad refocillandas vires peruviano cortice, & ad educendos, qui in primis viis hospitari vel per illas ferri possent, humores pravos rhabarbaro.

Vigesima quarta morbi die novum in carpo abscessum moliebatur natura, qui, uti prior, maturatus & persanatus est.

Ab hoc tempore gradatim succrescebant vires & alacritas, quoniam autem assumtum quotidie rheum nausеare incipiebat tenellus, benemeritis ipsius aliquantum quoque dare, mittere rheum ejusque in locum substituere pilulas laxantes mercuriales ad mentem cl. HOFFMANNI, archiatri Monasterienfis, paratas constitui. Hae bis quotidie alvum movebant. Alia pone aures nata puris collectio non nisi indicatam postulavit medendi methodum. Voluminosus magis erat, magisque incommodus abscessus ille, qui octavo & vigesimo morbi die nates occupabat, sedenti & cubanti interdiu nocteque molestissimus. Aperiri & hic post triduum debuit, ingentemque fudit collecti puris copiam.

Clausit hic totius morbi scenam, coepitque ab hac die illustris puerulus restaurare ad visum deperditas vires, & recuperare solitum animi corporisque vigorem.

Tanta autem fuerat virium quam fecerat jactura, ut quadragesima demum a susceptо morbo die, manu saltem ductus incedere potuerit.

Essena Onoldum
missa die 30. *Augusti* 1777.

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. CHRISTIANI RVDOLPHI HANNES

De

Victo moschi virtute spasmo abdominali.

Diris nocte aliqua ventris torminibus prehenditur praesidii Vesalienfis succenturio, viginti quatuor natus annos. Vocatur chirurgus legionarius Dominus Lüdeke. Morbo hic statim

statim opponit potiones leniter laxantes, clysteres emollientes, oleosos, fomentationesque ventris calidas. Nihil haec juvant. Increscit morbi saevities. Ob vasorum plenitudinem & ad praecavendam, quae timebatur, inflammationem, secatur vena brachii. Repetitur venaesectio. Balnea adhibentur calida, non neglectis simul aliis, quae spasmo mederi solent, auxiliis. Sed & his non obedit morbus. Alvus, quae erat obstructa, manet talis. Dolores augentur. Ope fistulae, huic rei optime adaptatae, ano immittitur fumus tabaci. Intumescit magis tumidum jam tensumque, retracto umbilico, abdomen. Vomitu redduntur porrecta aegroto alimenta & medicamenta. Pulsus, naturali citior, debilis fit, interdumque intermittit. Vires corporis vacillant. Accedit, ob constrictos etiam per spasmum ductus biliferos, aurigo. Novi, magnos esse clysteris illius tabacini laudatores *Borrichium, Sydenhamum, Heisterum, Dekkerum, Ettmüllerum, Haenium, Stisserum* aliosque, atque ad fumum tabaci ano impellendum machinas excogitavisse, antea inventis aptiores, Abbatem *Massie*, teste *Haenio, Schaefferum, Gaubium & Stegmannum*. Ut tamen, limitandas ejus laudes esse, cum *Brüningio & Richtero* credam, mea ipsius me experientia jubet. Saepe ab eo augetur spasmus. Inflammatio, nondum praesens, haud raro proritatur. Nisi statim operetur clyster ille, abstineatur ab illo; inflammationem minante morbo omnino vitetur. Laudandae sunt cautelae, quas narrat, placito Praeceptoris sui *Richteri* imbutus, *Suadicani*. Amicus meus, de vita aegroti sui sollicitus, narrat mihi illum, qui aliquot jam dies duraverat, morbonae furorem. Tentata erant, quae praecipit ars. Nondum vero in usum vocatus moschus. Licet plus semel in doloribus cardialgicis moschum frustra adhibuissem, ut tamen, quid nunc valeret, experirctur, amicum rogo. Praebet ejus grana octo, juncta saccharo. Non evomit moschum aegrotus. Elapsis nondum duabus horis pacatur anxius aegroti animus; pacantur corporis turbae. Repetitur eadem dosis eodem die bis, & nunc non minus salutaris moschi effectus. Me-

lius operantur, revocata in usum, enemata emollientia. Sequuntur aliquot desurrectiones, quibus magna materiae foetidae copia excernitur. Cessant enormes vomitus ventrisque dolores & speratum effectum edunt, quae ad reddendam aegroto pristinam sanitatem, quae omnino secuta est, adhibentur remedia alia.

Non novum esse moschi usum medicum, ostendit acutissimus ille epidemiae olim Neapolitanae observator *Sarconius*, citans *Averroem, Serapium, Mesuem & Lucam Schroeckium*, quo teste *Crato, Schobrius, Sennertus, Hoechstetterus, Unzerus* aliique illum adhibuerunt in morbis. Quum in praecedenti horum Actorum tomo moschi virtutem antepilepticam, in proprio filiolo observatam, testarer, ex illis, qui moschum in affectionibus morbosis, praesertim motibus naturae exacerbatis, salutarem observarunt, nominavi *Meadium, Hoffmannum, Swietenium, Rosensteinium, Galeatium, Wallium, Medicum, Morgensternium & Iosephum Massam;* praeter quos viros *Whytius, Morandus, Pringlius, Baldingerus, Crellius, Sebastiani, Brookius, Zanetti, Lentinus, Huxhamus, Haartmannus, Williams, Owenus, Parsonus, Quarinus* & alii ejus vim medicatricem sunt experti. Quibus accedunt ea, quae de illo ut specifico antidoto novo adversus effectus morsus rabidi canis, febres malignas, pesti proximas, exanthematicas varias, inflammationes singultui junctas, manias & melancholias differuit olim, Anglorum experientiis fultus, *Gmelinus.*

Ubi impuritates in ventriculo & intestinis haerent, moschi usum dissuadet *Tissotus. Sarconius* e contrario magnas ejus doses intrepida manu convulsionibus oppossuit, ex viscerum infarctu ortis, scatentibus adhuc saburra primis viis. Nonnulli ἄνω, alii κάτω ex ejus usu purgati sunt aegri. Nondum a sordibus liberatae erant hae viae in succenturione illo, quum illi praeberetur moschus. Profuit tamen ille.

Vesalia Onoldum
missa d. 29. Septembris 1777.

OBSER-

OBSERVATIO LXXI.

Dn. CAROLI GOTTLOB STEDING
De
Ebore Foſſili Spirenſi.

Complures equidem rerum naturalium celeberrimi ſcriptores varia tradiderunt eboris foſſilis documenta tam calamo, quam aere dilucide expreſſa; ſpicilegium tamen poſt meſſem reaſſumere, & inventis aliquid addere mihi licebit. Iam pridem Helvetiorum Plinius Conr. Gesnerus de Lap. Figurat. pag. 254. memoriae prodidit, non procul a Spira effodi ebur foſſile, cujus copiam ante aliquot annos mihi fecit benevolam Pharmacopoeus ejusdem civitatis Schwanckhardt, fama meritisque conſpicuus, & meam collectionem liberaliter auxit. Solum, quod recondidit haec oſſium fragmenta, arenoſum eſt, unde parum terreo-lapideae materiei adſciverant, diuturna tamen incluſione in terrae gremio mutationem aliquam, praeſertim calcinationem ſubierunt. Gradu autem differt iſte calcinandi modus: quaedam enim adeo friabilia exiſtunt, ut facile manibus conteri queant, pro loci diverſitate, ubi effluvia ſalino ſulphurea copioſe tranſpirant. Longe aliter ſe habent petrificata vegetabilis & animalis proſapiae, ſtratis lapideis, marmoreis & argillaceis ſepulta, quorum corpora ita receſſerunt de ſtatu ſuo naturali, ut in aliquibus ſuis affectionibus, loco, extenſione, conſiſtentia, pondere, colore alterata ſint, relictis nihilominus quibusdam evidentibus, ſi non materiae, at ſaltem formae priſtinae characteribus & notis. Taceo incruſtationem in ſuperficie telluris ab aquis mineralibus factam, & ſubterraneam a topho, vel pyrite adornatam.

Prodeat ergo in lucem *Dens molaris elephantinus*, in profundo quatuor pedum perfecte calcinatus.

Naturalem ejus magnitudinem ſiſtit Tab. V. c. ponderis trium librarum cum dimidia. Lit. A. indicat defectum duarum mar-

marginum, quae fossorum incuria perierunt. In cavitate dentis superficiali comparent sulci lati & circulares.

Cortex dentis est praedurus, egregie undulatus, albus, radices internae eodem candore nitescunt; duplex ibi cortex prostat, tenuis, qui interiori arcte adhaeret, alter vero ab eodem separatus notabilem habet crassitiem, & colorem gerit spadiceum, interior vero flavescentem.

Proxime adjectus erat *Dens incurvus mutilatus*, ponderis quatuor librarum, albicans, manifesto indicio, si comparatio cum molari minoris moduli instituatur, animal nondum absolvisse incrementum, id quod vel ideo raris accenseri meretur observatis.

Neque tali ossilegio carent confinia Moeni. Integrum elephanti caput prope Francofurtum e terra fabulosa erutum asservat Seplasiarius ibidem Dn. *Ettling*, ceu insigne promptuarii ornamentum. Longitudo ab occipite usque ad maxillae superioris terminum quatuor pedes complet; dens molaris alveolo extractus, & physiotameio *Kisneriano* illatus ponderat sex libras cum dimidia; & ejusmodi molis definiuntur plerique ab Oryctographis.

Crebra passim fit mentio in *Ephemeridibus Academiae Imperialis Naturae Curiosorum* eboris fossilis, eleganter & enucleate propositа, quoniam vero nullibi extat delineatio partium singularium, hoc, quicquid est supplementi, adjungere haud supervacuum duxi. Amplissimus sese offert numerus Auctorum, quibus indagatio atque inventio veri curae cordique fuit, quos inter recentiores nominasse sufficiat:

Comitem Ferd. Ludov. Marsigli, *Equitem Hanns Sloane*, *Io. Iac. Scheuchzerum*, *Io. Boeclerum*, *Fridr. Hoffmannum*, *Io. Christ. Kundmannum*, *& Io. Ern. Imm. Walchium*, Viros eruditionis laude ac meritorum magnitudine fulgentissimos.

Norimberga Onoldum
missa die 6. Octobris 1777.

APPEN-

APPENDIX

AD

TOMUM SEXTUM

NOVORUM ACTORUM

MEDICO-PHYSICORUM

ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO - CAROLINAE

NATURAE CURIOSORUM IN GERMANIA.

CONTENTA APPENDICIS.

I. D. *Ioannis Iacobi* RITTERI Morbona, Pars II. pag. 1. ſeqq.

II. D. *Chriſtophori Andreae de* MELLE Demonſtratio anatomica foetus bicipitis & bicorporei. pag. 129. ſeqq.

III. D. *Georgii Chriſtiani* ARNOLD Obſervatio anatomico-phyſiologica de foetu bicipite ad anteriora connato. pag. 159. ſeqq.

IV. D. *Ioannis Frid.* GMELIN Hiſtoria venenorum vegetabilium Sueviae indigenorum. pag. 201. ſeqq.

V. D. *Caroli Godofredi* HAGEN Diatribe chemica vitriariorum magneſiam ejusque partem terream alcalinam conſiderans. pag. 329. ſeqq.

VI. D. *Eberhardi* GMELIN Experimenta & obſervationes ſepticorum & antiſepticorum indolem illuſtrantia. pag. 354.

VII. *Ioannis Chriſtiani* WIEGLEB Disquiſitio chemica de ſilice. pag. 397. ſeqq.

VIII. Memoria D. *Ioannis Baptiſtae* MORGAGNI. pag. 413. ſeqq.

IX. Memoria D. *Ioannis Sebaſtiani* ALBRECHT. pag. 435. ſeqq.

MORBONA

SEU

ENUMERATIO

MORBORUM

SPONTANEORUM

QUOS

QUINQUAGINTA ANNORUM INTERVALLO

PERPESSUS

est

D. IO. IACOBUS RITTER

HELVETIO-BERNAS.

Pars altera.

MORBI PUSTULARIS MULTIFORMIS

HISTORIA.

*) Species quaevis seorsim ordine chronologico.

§. 178. PUSTULAE MILIARES, minimae, *sparsae*, fixae, lymphaticae, albicantes, pellucidae, *circulo rubro* cinctae, seu *basi rubra* latissima irregulari, prurientes, pressioni resistentes (elasticae), vi apertae lympham tenuem cum dolore plorantes, purulentae nunquam. Sponte siccatis epidermis dato intervallo in squamulas minutissimas albicantes pulverulentas secedens.

Efflorescentiae rubellae.	
EXANTHEMATA *miliaria rubra* (a) lymphatica.	Auctorum omnium.
PURPURA *scorbutica?*	
PURPURA *rubra spuria?*	quibusdam.
PURPURA *calida?*	

Apices Vasorum (a) lymphaticorum *seorsim* obstructi? INFLAMMATIO LYMPHATICIS *solitariis* VASCULIS? Epidermidis laesae species prima. Integumentorum superficiariae laesionis *Modus primus.*

§. 179. PEYLAVIAE. Eod. XII. Aprilis pedilavium veſpertinum ſquamoſis cruribus detergendis (§. 175) reconvaleſcenti a podagra (§. 157-177) tepidum. Paucis poſt diebus circa veſperam cruribus horripilatio, dolor artubus gravativus, corpori inertia, os mucidum (§. 170). HAEMORRHOIDES die 16. ſemel veſperi: Inde exanthemata hariolanti modo definita (§. pr.). Die XXI. prima vice: Brachiis, pedibus rubra, tibiis, rubris mixta alba, femoribus, oſſi humeri, abdomini modo rubra ſucceſſive prodibant. Facie ſemper, manibus per intervalla liberis. Dolores rheumatici artubus inferioribus vagi toto menſe eruptione eorum minime diminuti: an reliquiae Arthritidis (§. 157-172)?

*) Exanthemata ſymptomatica potius quam critica? quantum ſalubritati talis purpurae credendum? forte ſymptomatica quaevis PURPURA?

§. 180. Maji initio idem ſtatus exanthematicus veſperi pruriendo moleſtus, ad pectus, abdomen ſenſim extenſus, coelum hucusque temperatum tranquillum, circa dies vero 7. 8. 9. 10. calor aeſtivus, quo adlicitus, ſuperficie anteriori corporis, manibus exceptis, cancri elixi ad inſtar rubente exanthematibus, veſtes hybernas praeceps cum aeſtivis tenuioribus incaute mutanti dolores acutiores rheumatici humero intermittentes, cruribus fixi, greſſus dolorificus, veſperi exacerbati.

Menſis ej. die XI. calida grataque tempeſtas ſubito in frigidam, pluvioſam, procelloſam mutata: Iter in LUSATIAM ſuperiorem (Sileſia frigidiorem?) Exanthematibus rubris toto corpore conſperſis (§. pr.) leviter veſtito ſuſceptum: quovis itineris die aura frigidior. Die XIV. ej. Veſperi, itineris termino ad arcem Bertholdsdorf rheda deſcenſum, ſtadium pedibus emetientem (Zephyro-Boreas) vehemens adflans horrore ſubitaneo ac ea ſenſatione, quaſi nudo in gelidam demerſo, penetravit. Nocte dolores rheumatici aucti, ſomnus inquietus, tranſpiratio matutina deficiens. EXAN-

THEMA-

THEMATA mane florida quatuor hebdomadum intervallo hoſpitio degenti, corpus licet, hypocauſtis calidis ſqualens, Boreae aperto alterne exponenti minime unquam retrocedentia: multis retro annis huic alternationi adſueto (§. 31.)?

*) Forte purpurae verae frigore ſubitaneo major quam ſpuriae in retroceſſionem propenſio? Unde tanta ejus formido? nonne fallacia ſubinde obſervatis?

Dolores rheumatici vagi (§. pr.) ad nucham, fixi nunc, ut et humeris, itineribus frequentibus licet exercitato, toto hoc tempore immobilibus, continui, adpetitus acrior, lingua mucida, ſiticuloſitas, animus depreſſus. Somnus per intervalla ſine refectione. Exanthematicus toto rubens corpore, ſine desquamationis ſigno, rheumaticus ſimul initio Junii coelo mitiori redux in Sileſiam, qualis ea egreſſus. PEYLAVIAE d. IX. desquamatio brachiis primo eruptionis loco (§. 179); reliquo corpore exanthematibus floridis.

§. 181. d. XX. Junii. Horrore prurituque praegreſſis manuum dorſo, excepta cicatrice vulneris ſiniſtrae (§. 99); MACULAE RUBRAE rotundae prurientes denarii area, cujus medio octo horarum intervallo PAPULA cuti concolor, (α) *ſolitariae:* puſtulae varioloſae minori diſcretae haud abſimilis; lympha pellucida, ſpatio nycthemeri in pus abeunte, turgens milio major: (β) *adgregatae:* contiguae digitorum articulationibus externis; quibus ſero in pus mutato abſceſſuli dolentes mole aucti; pus eorum ſibi relictum, octiduo ſiccatum, cum epidermide in ſquamas coaleſcebat flaveſcentes deciduas, baſi rubella ſenſibili: manibus ſenſim puritas.

PUSTULAE *fixae purulentae* minores { diſcretae. contiguae.

Puſtularum miliarium (§. 178.) varietas major? an ECTEMATA veterum ante notas variolas? ZWINGER. Theatr. Prax. P. I. p. 25. b.

*) Ob auctorum diſſenſum deſcribere ſatius, quam denominare exanthemata.

§. 182. Corporis hucusque exanthematis nulla remedia nec diaetae cura (§. 180), sed Jun. XXII. dorsi manuum solitariis pustulis (§. pr. α) mixtura ex aceti lithargyrii cum aquae calidae partibus aequalibus linteis ebriis imposita. Pruritus dulcis pro caloris gradu: nulla exsiccatio. XXIII. ej. adgregatis (§. pr. β), aceti lithargyrii cum aquae vulnerariae Gallorum vinosae et aquae calidae partes aequales tepide adplicatae; pruritus diminutus quidem, sed non sublatus (§. 101).

*) D. XXIII. Haemorrhoidum fluxus.

§. 183. Pedum extremitatibus tumor levis, vesperi auctus, mane diminutus. Cruribus ardor pruritusque vespertinus. Perpendicularibus de die gravativus quasi tumoris sensus absque tumore (*). Exanthemata non mutata: plurium successive forte pedilaviorum (§. 179.) effectus? uti manibus olim seri immersione herpes (§. 95.*).

*) Symptoma hypochondriacis? quibus anima falso percipit? ex falsa perceptione sedem mali indicat falsam? non modo aegris, imo sanis quoque perceptio toties talis (§. 177. * 2.)?

Die XI. ej. Brachiis, dorso manuum, articulis digitorum denuo pustulae solitariae (α §. 181.) purulentae, cum pruritu insigni, absque remediis desquamatae. Decembris VII. manuum dorso denuo quaedam ardentes; d. XVI. desquamatio.

*) Cutis crurum hoc tempore post desquamationem tensa, sensibilis, tactu modico dolens, forti ardens, debili dulcis pruritus etc. fibras longitudinales dense juxta se positas, ut et transversas sistebat oculis irradiata praecipue.

§. 184. Pustulae miliares *adgregatae*, basi rubra latissima irregulari, apice purulento sibi relicto, cum epidermide coalito, in squamulas flavescentes dato tempore abeunte, majusculas.

Exanthemata *miliaria* rubra (b) *purulenta*?
Purpura *spuria purulenta*?
Vasorum cuti lymphaticorum suppuratione destructio.
Abscessuli apici vasorum exhalantium: Varietas purulenta exanthematum (§. 178.)?

Die

Die XII. Julii. Regioni hypogaſtricae, praegreſſo per aliquot dies pruritu matutino ſolito majore, dolore aciculis quaſi pungitivo, puſtulae modo definitae. De initio earum, cum jam adultae demum in conſpectum prodierint, inſpicienti abdomen nil certi ſtatuendum. Pure expreſſo craſſiuſculo albido pruritus amaro-dulcis, a reliquo (§. 182.) diverſus. Baſi poſtea magis inflammata, magis rubente. Die XXI. ej. Aet. 43. Collapſae puſtulae expreſſae novo pure turgidae iterum prurientes (differentia ſpecifica inter §. 178. et 181?) D. XXIII. HAEMORRHOIDES §. 182. *). Desquamatio ſibi relictis die Auguſti XI. Sic ſpatio trium hebdomadum ſucceſſive brachiis, cruribus, ſuris. M. Novembri femoribus; ſub Decembris medio dorſo manuum. Exanthematibus hucusque deſcriptis ſerpentibus ſynchrona quaedam nova ſe ſociabant ſparſa, baſi magis rubente, pruritu majore, pure cito, loco peculiari diſtinctae. Aceto lithargyrii linteis tepide purulentis adplicato dolor pruritusque aucti: forte pure turgidis tenſisque vaſculis minus confert? Aqua vulneraria, ardoris pruritusque moderamen, nulla vero abſceſſulis exſiccatio.

*) An ob effectus epithematum Ectematis (§. 181.) communes analogia adfinitas iis? Auguſti initio Unguent. ſequens: Recipe; Cerae virgin. Drachm. unam. Unguenti pomat. offic.; Mucilag. ſemin. cydonior. c. aq. roſar. extract. ana unciam ſemis. Camphor. Drachmam unam. M. cruribus tepide per plures dies illinitum absque euphoria.

Auguſti primo effloreſcentiae brachiis novae rubrae prurientes. Status earum ſeptem dierum, poſtea desquamationis initium. Dorſum eodem pruriens futuras indicabat. Die III. febricula catarrhalis c. coryza ex refrigerio ne minimum levaminis pruritui oriundarum papularum etc.

Die XX. FISSURAE SURIS cruentae (RHAGADES?) ſquamulis abraſis ſcalpendo cutis ſanguinolenta innumerabilibus rubra punctulis, cum immani ardore ab Empl. e ceruſſa tantillum ſopito.

§. 185.

§. 185. Septembri XXIV. Cruribus prurientibus, cute levi ad oculum, exanthematibus tamen albis vix visibilibus praesto. Unguentum sulphuratum mane et vesperi per plures inunctum dies sequens : R. Unguent. pomat. offic. unciam unam semis. Rad. Enulae pulveris. drachmas duas. Frixis invicem, expressis adde flor. sulphur. drachm. semis. Camphor. pulv. grana octo. Olei d. Bergamotte gutt. viginti. M. Lenimen a decem inunctionibus; ulterioribus nullum. Ob foetorem sulphureum ingratum flores sulphuris ad scrupulum diminuti.

*) Ex hoc unguento nec pustulis retrocessio, nec cuti asperitas; imo potius levitas.

§. 186. D. XXIIX. ej. Dorso malleolis utriusque pedis prurientibus emplastr. e cerussa simplex offic. (alias: *album coctum*) per plures dies tepide impositum nullam mitigationem adtulit.

*) Quo crassior cutis magisque tensa, eo major pruritus, et vice versa; hinc dorso pedum, cuti circa et supra tendinem Achillis maximus pruritus.

Octobris VIII. Exanthemata rubra surae sinistrae denuo. D. XXIV. Brachiis abdomini femorique sinistro succesiva. Dorso vero pedum, malleolo interno pedis sinistri alia rubra minima vix conspicua cum pruritu nocturno, somno inquieto.

§. 187. Exanthemata fixa *alba* lymphatica pellucida prurientia discreta absque circulo inflammatorio rubro, *basi alba*, cute concolore, in squamulas albas minimas dato tempore siccantia.

Varietas prioris (§. 178.) alba.
Exanthemata *miliaria alba.*
Purpura alba *spuria?*
Purpura *frigida?*
Historia et decursus eorum uti §. 178.

Octobris XXV. Brachiis exanthemata alba modo descripta copiosa, rubentibus parcius interspersa membris (§. pr.) iisdem, succesiva ordine eodem etc.

§. 188.

§. 188. Novembris VIII. Pruritus universalis ad minimum tactum cutis laevis sanaeque. An a lympha stagnante, pustulis albis latentibus ad solis radios aegre conspicuis? Die X. ej. Femoribus ad Musculum vastum externum, lateraque externa poplitum, tuberculum fibulae sinistrae, surae ej. medium. PUSTULAE MILIARES *densae basi rubra* (§. 178.) partim in *segmenta elliptica* adgregatae, partim ad *lineas rectas* disjunctas *parallelas* dispositae. Horripilationibus irregularibus praegressis, insomniis vividis insolitè confusis, noctibus inquietis, urina copiosa cruda, corpore minus & aegre perspirabili, sticulositate vespertina nocturnaque, sociis; Vesperi rubor suris major prurientibus, leni frictione voluptas nulli secunda; sed rudiore scalptione dolor eo acerbior. Silet ad calorem lecti pruritus, qui de die urit; secus ac modo dictae pustulae (§. 178-180), quae de die silent, noctu pruritant. An species, an varietas (§. 178.)? an SUDAMINA? an ESSERAE?

§. 189. D. XVI. ej. FISSURAE CRUENTAE seu RHAGADES secunda vice (§. 184.) Epidermidi surarum. Emplastr. e Cerussa compositum camphoratum (ideo audit, quod sebi cervini & camphorae pars quaedam admixta), tepide suris impositum, tenaciter ad menses adhaesit, inde ardoris sopitio: Fissuris consolidatio; Cuti integritas. Udor, mollities; pustulis exsiccatio lateralibus; cuti sine emplastro asperitas, siccitasque. Decembris circiter medio evanescentia exanthematum corpori, desquamando ad tempus: frigido constanter coelo: sub fine Decembris cuti toti mundities, membris vigor; adpetitus adsuetorum saporque naturalis. Somnus placidus; cito tamen menti virium exhaustio: Induciae fallentes!

§. 190. SYMPTOMATA, *exanthemata heterogenea?* §. 179-188. comitantia.

(* 1.) Morbi initio: Animo taedium, socordia, (STOICISMUS moderatus). Menti ad minimam intentionem defatigatio. (* 2.) Corpori torpor, gravitas cruribus imprimis. (§. 179. 180.). Horripilationes irregulares, circa vesperam aestus toti cuti ad tactum sensibilis. (Motus febriles symptomatici?) Nocte internus mi-

nor: jectigationes. (* 3.) Pulsus cubanti naturalis: Inflammatio vasorum minimorum forsan pulsum minus, quam majorum, mutat? incremento & statu sensus pungitivus toti superficiei quasi aciculis ad motum potumque calidum: latentium aut novorum exanthematum index? Os pultaceo-mucidum (§. 180.). Cibi & potus sapor febrilis. Decocti coffée & carnis bovinae elixae fastidium; hujus vero jusculi adpetitus. Siticulositas sine potus desiderio, aestus manibus pedibusque corporis superans reliqui (* 2.). Liquidum exhalans acetum spirans vappidum. (§. 167.) Somnus turbulentus non reficiens. Pavores subsultusque tendinum nocturni; somni momento labentis in profundum sensatio (§. 165.). (* 4.) Apruritus initio ad elevationem exanthematum miliarium (§. 178 & 186.) septem; status, desquamatio totidem requirebant dies, quaevis periodus trium septimanarum. Sic dato mensium numero cujusvis recurrentis computus facilis: cuique fere mensi eruptio nova. (* 5.) Corpus artusque nunquam eodem, sed successive exanthematibus correpta fuere. Membris quibusdam desquamantibus, aliis prodibant novae: recrudescentia ab extremis, uti primo insultui (§. 179. 181.) (* 6.) Quo prima exanthematis eruptio, ibi desquamationis quoque initium (§. cit.); desquamatione pustulis eidem loco rara cessatio plenaria, saepe sub squamulis deciduis novae jam latebant prurientes. (* 7.) Ardor, pruritus coelo pluvioso, favonio flante, temperato minor, quam sereno, calido aut borea. (* 8.) Remedia (182. 185. 186.) pustulas nec destruxêre praesentes, nec anticipare futuras, scalptio haec praestitit profunda; inde quidem ilico dolor urens (§. 187.) sed momentaneus; futurus loco scalpto pustulis novis oriundis pruritus anticipatus. Cuti integritas promota. Destructio quoque absterstone leni digitis linteo obvolutis tentata, sed fallax: recidivae enim nullus positus obex, recrudescentia hisce exanthematibus (§. 178.) inquilina? Purpuram saltem veram albam absterstone certius destructam experientia indigitavit felix.

SPECIES SECUNDA.

§. 191. Pustulae miliares (§. 178.), parvae inflammatoriae, prurientes, opacae. *Basi rubra lata* circulari seu in maculam *rotundam* floreni area adgregatae. Statu Pure diluto albido plenae. Baseos medio sicceseere incipientes, postea a margine ejus ad cutim sanam *serpentes*, pure cum epidermide dato tempore in crustulas albicantes coalito secedente deciduas. Cute vacua rubella, fissa, acerbe pruriente.

Her-

HERPES *puſtularis ruber*? ZWINGER l. c. P. I. p. 515. b.
Impetiginis ſpecies puſtuloſa? ib. P. II. p. 14. b.
Maculae ſerpiginoſae rotundae? Lichenes? ib. l. c.
Vitiligo ſerpens? Ib. P. II. p. 559. a.

Apices Vaſorum (a) lymphaticorum *adgregatim* obſtructi, ſanguiferis in conſenſum una adfectis minimis? INFLAMMATIO VASIS LYMPHATICIS *adgregatis* (§. 178.) Epidermidis laeſae ſpecies ſecunda? (§. cit.)

§. 192. Auguſt. d. XX. Suris MACULAE coccineï coloris, dein flavescentes desquamatae. D. XXIV. Ej. pedis ſiniſtri dorſo, foſſaeque inter malleolum internum & Achillis tendinem obſervatae *primo* maculae modo definitae (§. pr.), pruritu peculiari. Areae ad radios ſolis puſtulas minimas vix viſibiles. Mane ſurgenti pallidiores absque pruritu (quiete?); veſperi prurientes, rubentes (motu diurno?).

Die XXX. ej. Dorſo pedis dextri eaedem.

REMEDIA: Lintea mixturae ex Aquae Vulnerariae Gallor. vinoſae, & Calcis vivae partibus anaticis; ad ebullitionis gradum calefactae, ebria impoſita: Dolor inde pruritusque novus ineffabilis dulcedinis (§. 188.), horripilatio gratiſſima totum concutiens corpus, durante ſpleniis calore, nullum vero morbi lenimen prurituï. Mixtura, ex aquae Vulnerariae aquoſae, decocti enulae camphorati āā uncias duas. Ol: ſalis herbarum crematarum per deliquium guttas decem, mixtis invicem adplicata tepide pruritum ilico brevem gratumque excitavit, progreſſumque impedivit: nulla inde maculis puſtulisque deſtructio. Cuti ſanatae vero pruritus & rigiditas: nocuit cuti ſanae, profuit morboſae remedium idem.

§. 193. Septembris IX. Maculae ſuris. Mixtura ex Aq. Calcis viv. & Vulner. gallor. āā part. aequal. frigida linteis adplicata, pruritum tollebat, futurum intactis exanthematibus praeſcindebat. Die XV. ej. Digitis mediis, annularibusque utriusque manus maculae minores (groſſi modo area), veſpe-

ri praeſertim aeſtuantes, prurientes. Ab aqua vulner. ſpirituoſa tepida &c. lenimen, exſiccatio, desquamatio ad tempus: diverſus prioribus partibus (§. pr.) effectus. Die XX. ej. Maculis ſiccatis ad foſſam (§. 192.) epidermide ſecedente, nova, pura, puſtulis vacua renata cutis. Ibique ſanitas.

§. 194. Die XXV. Octobris iisdem digitis repullulatis, cum ſolitis ſymptomatibus macularum, prioribus epithematibus (§. 192. 193.) irritis, eorum immerſio decocto radicis enulae camphorato tepido, pruritus auctus brevis; dein lenimen, ſerpiginoſis meta puſtulis.

*) Radix Enulae raſpata butyro frixa Sileſiis domeſticum in ſcabie quacunque, variisque Exanthematibus, morbisque cutaneis remedium probatum & ſecurum.

§. 195. Die XI. Novembris. Urina limpida, copioſior diebus praegreſſis. Maculae (LICHENES?) femoribus, genubus. A mixtura enulata (§. 192.) prior effectus. Serius ob frigus desquamatione evanidae penitus. Die XXVIII. Ej. Maculis circa malleolum internum pedis ſiniſtri ad calorem lecti modice prurientibus Unguent: e lithargyrio offic. tepidum inunctum, Empl. e ceruſſa camphor. compos. (§. 189.) ſuperimpoſito veſperi. Prima vice pruritus ilico ceſſavit; ſequentibus diebus vero ad lecti introitum rediit minori gradu. Saliva dorſo pedum malleolisque demulſit illita pruritum ad tempus: Medio Decembris terminus (frigore?).

§. 196. Circa finem Novembr. inter varia variae figurae, molis, coloris, indolis innominabilia ac ignota exanthemata, CRUSTULAE quaedam *lenticulares* natibus inhaerentes tactu perceptae, quarum quaedam e regione tuberoſitatis iſchii ſiniſtri: quoties ad ſcalptionem pruritus veſpertinus urgebat, toties ad mingendum repetito excitatus fuit ſtimulus.

*) An puſtularum purulentarum α vel β. (181.) cruſtae vel ſquamae ſerotinae? An ESSERAE ſiccatae ZWINGERO l. c. P. I. p. 288. a?

(*196.) SYMPTOMATA *Exanthematibus homogeneis?* (§. 191-196.) eadem ac prioribus. (178-190.)

§. 197.

§. 197. SENSATIONES Exanthematis (§. 178-196.) ſociae ſe ſucceſſive excipientes ſequentes:

SCALA
- aſcendens:
  - Quies. Formicatio, Titillatio, Horripilatio.
  - Pruritus, Dolor (dulcis. pungens. urens.)
- descendens:
  - Ardor, Pruritus, Tremor, Horripilatio.
  - Calor naturali major. Quies.

*) Cum Senſatio ſit quantitas compoſita ex numero vibrationum, copia, & impetu liquidi a tergo in corpus ſphaericum elevatam tenſamque fibrillam premen-tis &c. **) Series praedictae ſcalae forſan numeris exprimenda theoriam pruritus conditori vegeto.

SPECIES TERTIA.

§. 198. VESICULAE SPHAERICAE (globuli ſeroſi grani piperis, imo piſi mole) ſubito, ſine praevia inflammatione aut alio indice, naſcentes, absque circulo inflammatorio, liquore tenaci flavescente turgidae; pellucidae, elaſticae; dimidia parte extra cutim eminentes, altera ei immerſae, nocturno inprimis ardore prurituque moleſtae. Sero ſponte in cruſtas ſphaericas ſquamoſas cum epidermide coalito ſiccatae deciduae.

Anevrismata: ſeu „VARICES vaſorum lymphaticorum (& ſeroſorum?) „BOERHAAVE Prael. Tom. III. p. 12. Ed. Götting.

Folliculi „cutanei, morboſa lympha (ſeroque) diſtenti „*van* SWIETEN Comment. T. III. p. 509. ad §. 1110. Ed. L. B.

PHLYCTAENAE: *Phlyctides*: ZWINGER. Th. Pr. T. II. p. 373. b.

Apices Vaſorum (b) ſeroſorum *ſeorſim* obſtructi?

INFLAMMATIO SEROSA particularis: errore loci?

Cutis laeſae ſpecies prima: ſuperficiei? Integumentorum laeſionis *modus ſecundus*. (§. 178.)

§. 199. HISTORIA: PEYLAVIAE d. XI. Julii eod. Ao. Pedum dorſo, ad tendinem Achillis pedis ſiniſtri, latusque in-

ternum hallucis ejusdem subito sensu pulicis saltantis pustulae modo definitae (§. 198.) bullulis aquae ferventis similes sphaericae, initio *cuti concolores*. (PHLYCTAENAE *frigidae?*) Dorso pedis sinistri numerosiores. Pedibus continuus de nocte vesperi jam incipiens ardor. PHLYCTAENARUM pruritus de die aut motu aut calceorum frictu auctus; noctu lecti calore vix ferendus, somnum tollens. Sibi relictae quinque dierum spatio flaccescendo collapsae siccari inchoantes; octo diebus serum in crustam induratum flavam decidebat. *Basi* excavata *rubella*. Cute sine cicatrice clausa. Laesae seu digito pressae fatiscentes serum (sanguinem nunquam) plorabant dolore dulcissimo. Incisae quaedam *verticaliter* sero lente effuso, vulnusculo ilico inflammatio, coalitus; plurium horarum intervallo aut sero, aut ichore albido, pruritu novo, priore quidem mitiore, denuo repletae: PHLYCTAENAE *ferosae (majores?)*. Resciſſae aliae *horizontaliter* forfice ad cutim usque, sero globuli forma surgente in lemam indurato, vulnusculum viginti quatuor horis arcte operiebatur hians. Crustulam recentem cumulatum denuo serum in bullulam novam elevabat toties, quoties resecabatur; pus tenuius fundentem saporis (uti serum) muriatici: forte aeris acceſſu serum in ichorem mutatum?

PHLYCTAENAE *purulentae*. Varietas?

PAPULAE SCORBUTICAE: SCABIES *scorbutica?* MARTIN. Act. Suec. Vol. XXIV. p. 238. 1763. cit. a VOGELIO nov. Bibl. Med. Vol. VI. P. IV. p. 294. 1766. 12.

Folliculi hoc modo secti hians peripheria, basisque rubra, paucis horis in circulum radiis rugosum contracta, centrum patulum rotundum aegre (uti omnia fere vulnera rotunda) & vix octiduo demum perfecte claudebatur, nova sub cute bullula, sero adcumulato, surgente: forte variolis incisis aut abscissis eadem sors? Hinc abscissione, ob pruritum pungentem patientiae victorem, instituta unice, nulla; exsiccatione sibi relicta

relicta demum ſanitas: uti variolis? PRURITUS pungens ſaltatorius peculiaris, futurarum nuncius.

§. 200. D. XII. Jul. Phlyctaenae pedis digito medio malleolo externo ſiniſtri, femori ſiniſtro, d. XXVII. brachiis exanthematibus conſperſis rubris (§. 183.) infrequentes.

Auguſti Die XIIX. Pectori, manuum volis, muſculo Thenari pollicis ſiniſtri; genu pedi dextro anteriori plures; ſuperficiei poſteriori corporis nullae; trunco pauciores artubus. Die XX. Ej. Femori, genuque dextro; ſic femori utrique earum uberior noctu quam de die proventus. Quiete ſeri facilior, quam motu, ſecretio? Septembris IX. earum cum exanthematibus miliaribus ſimul exſiccatio. Tibiis nitor puritasque. Rugae epidermidi longitudinales infinitae parvae (§. 183. ad d. XI. Jul. *) D. XVI. XVII. Ej. Pedibus pruritus, horripilatio, frigus, aeſtus, tranſpiratio veſperi; mane novae phlyctaenae, prioribus (§. 199.) vix ſiccatis. Die XX. ej. pedi dextro ponderis, congeſtionis ſenſus fallax (§. 183.); ardoris verus: d. XXI-XXIV. Ej. pedi poſt ſcarificationem & halluci ſiniſtro, (§. cit.) numerus earum auctus. Die XXV. ej. Plantae pedis, rimae hallucis ejusdem quaedam. Die XXVII. Ej. Plantae pedis dextri veſiculae majores piſi mole paucae quidem ſed greſſui moleſtae; ſymptomatibus iisdem praegreſſis. Die XXIIX. Ej. Dorſo pedis ſiniſtri ultra octoginta: quarum plurimae verticaliter abſciſſae, quatriduum ſerum craſſum glutinoſum flavum ſtillabant (§. 199.); octidui ſpatio demum conſolidatae.

Octobris die VII. Trunci dorſo pruritus ſaltatorius &c. phlyctaenas indicabat (§. pr.); Chirurgo inſpicienti tam ſeroſae, quam purulentae aderant. Initio, incremento, ſtatu, termino, ob majores dolores non obſervabilibus, (de quibus infra. §. 216.) Sub fine Octobris, & toto Novembris decurſu; Pedum dorſo, femori ſiniſtro, plantis pedum, trunci dorſo alternae oriebantur, evaneſcebant dato tempore phlyctaenae.

nae. Decembris vero medio ingruente frigore (an ejus virtute?) proventus eorum ſimul ac exanthematum miliarium (§. 178. 199.) ſubſtitit. Cute tandem mundata.

§. 201. Remedia: *externa;* Phlyctaenis quibusdam *integris;* dorſo pedis ſiniſtri tentatum Empl. e Ceruſſa ſimpl. offic. (§. 186.) octiduo, inde cuti mador, rubor, nulla vero ardoris pruritus paroxyſtici veſpertini diminutio nec exſiccatio laudibus expectata; eo itaque remoto, unguentum ſequens ex Axungia porci c. aqua roſarum lota Unc. ſemis. Cer. Virgin. drachm. una, mucilag. ſem. cydonior. Unc. ſemis. Camphor. drachm. una. M. per tempus ejusdem cum priore eventus irriti, illinitum. Aqua vulneraria vinoſa pruritui ſopitio; Epidermis in ſquamas aegre deciduas renaſcentes denuo, ſiccata. Empl. diachylo ſimplici epidermis renata madida; ſed cuti nulla firmitas.

Phlyctaenis quibusdam Dorſo pedis ſiniſtri *abſciſſis;* impoſito vulneri Empl. e Ceruſſa ſimpl. off. Macula *nigra* (uti gangraenae,) nec ſerpens, nec olens, plures cuti remanebat dies. Cutis nigra emplaſtro adhaerens fundum rubellum ſine pure octiduo reſarcibilem coalescentemque reliquit. Plurimae absque emplaſtris unguentisque phlyctaenae ſibi relictae aeque cito ac iis tectae, ſine cute nigreſcente ſphacelata, ſiccando abſumtae; an a mutato empl. e Ceruſſa camphor. gangraenae progreſſus impeditus?

§. 202. Symptomata (§. 198-201.); niſi propria, Synchrona ſaltem; prioribus ſpeciebus (§. 183-190.) & (§. 191-196.) communia?

(* 1.) Horripilatio irregularis de die aeque ac nocte cruribus. (* 2.) Tibiae locis vacuis adtactu digiti preſſorio notabilis pruritus (§. 188. ad Nov. VIII. * 3.) Tranſpiratio matutina parcior decocto calido prolecta partibus adfectis rubor major &c. pruritusque (§. 190. * 4.) (* 3.) Motu corporis omnium exacerbatio: ori ſiccitas ſine ſiti (uti podagrae §. 167.) Phlyctaenis ſibi relictis periodus quatuordecim circiter dierum. Eruptio cum ſtatu ſex; exſiccatio octo (§. 199.) reſciſſis plurium vero dierum. Cuique menſi duae circiter eruptiones; hinc dato menſium

menſium numero, periodorum liquet reditus. (* 4.) A pedibus ad reliqua membra ſucceſſive aſcendere: ſiccantibus prioribus novae naſcebantur uti exanthemata miliaria (§. 190. * 6. * 7.) phlyctaenae.

SPECIES QUARTA.

§. 203. TUBERCULUM cuti CONICUM absque dolore naſcens, rubensque; (area groſſi & ultra) cujus centro glomulus (grano piperis vel piſi mole) duriusculus elaſticus purpureus utplurimum eminens, motu, frictu aut preſſione demum dolorificus, ſponte pus purum, laceſſitus vero pus pauculo ſanguinis remixtum, aut cruoris grumulum ſphaericum ſine pure, vel ſerum eructans, vulnere rotundo utplurimum ſine cicatrice clauſo.

ABSCESSUS (a) *minores?*
FURUNCULI Auctorum.

Apices vaſorum (c) ſanguiferorum minorum *ſeorſim* deſtructi; tunica celluloſa ſimul adfecta.

INFLAMMATIO SANGUINEA partialis vera.
Cutis laeſae ſpecies ſecunda (§. 198.) (profundius n. 1.).
Integumentorum laeſionis *modus tertius.* (§. cit.).

§. 204. DESCRIPTIO ulterior. Epidermis emplaſtro quovis emollita, ſecedebat triduo. Cutis ſubjacens nuda emollita livida (ſphacelata?) ſequenti die, paucis doloribus pungitivis praegreſſis glomulus dehiſcens puris albi bene cocti impletus, folliculo adipoſo incluſus fundo tenaciter inhaerens ſe ſiſtebat, ſibi relictus biduo aut triduo pauco mixtus ſanguine emplaſtro detracto adglutinatus ſimul & ſemel ſeparabilis, vulnere paucis poſt diebus concolore cute absque cicatrice clauſo.

I. FURUNCULUS mixtus.
Capſula tunicae celluloſae laeſa?
FURUNCULUS pure glomerato ſanguine remixto.
Abſceſſuli, minus profundi, frigidi.

Varietas prima.

Inſtrumento vero laceſſitum, capſula tenuiſſima praematu-re exemtum dolor acutus & ſuppuratio aliqualis excipiebat cryptae ſphaericae. Alveoli diameter lineae. Fundus ruber, cruentus, margo mollis, conſolidatio biduo, cicatrix: MACULA, quaſi petechialis major *phoenicea* lineae diametri (STIGMA) ultra quatuordecim dies nec dolens nec pruriens ſuperſtes paulum protuberans. Cui elapſo (*), tot dierum ſpatio, nova inflammatio veſpertina, grumulique ſanguinei absque pure ſpontanea protruſio, cavitate rotunda papillis rubellis undique propullulantibus impleta, vulneri conſolidatio absque cicatrice.

(*) Uni loco duae inflammationes ſucceſſivae; diverſae? ſanguis vel grumoſus, vel fluidus per dies, hebdomadas, menſes, folliculo cutaneo incorruptus conditus. Veſiculam epidermide elevata ſanguine turgidam diluto cutis (an TERMINTHUS?) per annos ſiſtit.

II. FURUNCULUS *ſanguineus:* (calidus?)

FURUNCULUS cruoris grumulo integro, puro.

Arteriolae laeſae ſanguis crypta cutanea effuſus.

An glandula cutanea morboſa ſanguine extravaſato infarcta?

Varietas ſecunda.

§. 205. TUBERCULA alia minus elevata cuti concoloria, attamen inflammatoria. Dolor iis urens pungens acutior, cum vel ſine emplaſtro quatriduo pus bonae notae cylindraceum ſeu vermiculare per plures dies lumine perfecte rotundo, ſine ſanguine admiſto tamdiu ſponte fundebant aperto, donec omne evacuatum fuerit. Cute tum brevi ſine cicatrice aut ſtigmate reſarcita.

III. FURUNCULUS *purulentus.*

FURUNCULUS *pure vermiculari:* profundior?

FURUNCULUS proprie: TISSOT *Avis* &c. c. 30. p. 477. §. 406.* 1761. 8VO.

Abſceſſuli profundiores: calidi? muſculorum interſtitiis? apices vaſorum ſanguiferorum *adgregatim* deſtructi.

Varietas tertia: (calida).

Tumo-

Tumoribus quibusdam nulla tubercula acuminata; quorum vero centro cuti concolori macula alba lenticularis acute dolens plana ſphacelata quaſi, vicina ſine rubore cute vivida. Emplaſtro emollita aut ſponte rupta pus purum vermiculare, uti priori prodibat; dolore vero urgente inſtrumento lacerata pus idem, ſed ſanguine remixtum lumine rotundo reddebat: cui cita pure evacuato conſolidatio.

*) Formatio puris ſine praevia inflammatione. Eadem cum priore (III); ſed planior (an quarta?) varietas, (frigida?)
Abſceſſuli anomali?

§. 206. Historia. Ib. die XIII. Julii Furunculi (Var. I.) quidam, prioribus diebus, an pediluviis iteratis? (§. 183.) Extremitati pedis ſiniſtri, dein circa malleolos. D. XXVI. Sex medio tibiae ejusdem lateri interno, nec rubore, nec dolore ſociis; quorum pauci poſt glomulum purulentum, ſerum ſanguinolentum loco puris laudabilis fundebant. D. XXVII. unus in regione hypogaſtrica.

IV. Furunculus *feroſus*, frigidus?

Varietas quinta.

Die Auguſt. XXX. Furunculus ſolito major (Var. I.) Pedis ſiniſtro dorſo ſupra quartum os metatarſi. Baſi purpureus rubor floreni area; Septembris D. III. Centro glomer elaſticus. D. IV. Horripilatio veſpertina univerſalis. D. V. incrementum ejus ad piſi volumen. D. VI. veſperi cutis livida motu diurno; ſenſus molis pedi auctae (falſo cf. §. 183.) D. VII. Cute ſponte dehiſcente glomulus purulentus capſula adipoſa incluſus, D. XIII. demum ſeparatus. Dolor & moleſtia ei juncta graviora reliquis. Cavitas paucis poſt diebus nulla adhibita opera, cicatrice cuti concolore conſolidata. Epidermide ſupernaſcente. D. VII. Ej. Muſculo Thenari pollicis ſiniſtri Phlyctaena ibi (§. 200.) horizontaliter abſciſſa (*), ſub ea inflammatio profundior in furunculum (Var. I.) abiens, cui glomulus purulentus ſeparabilis: crypta d. XIIX. demum clauſa.

(*) Forte varix feroſus folliculo adipoſo contiguus? Staſis ſeri, poſtea ſanguinis. Origo, ſedes & materia phlyctaenae a furunculorum diverſa?

Die IX. ej. Utrique femori tales modico dolore: ſtadium abſolventes ſolitum. D. XV. (**) Duo (Varietatis quartae) thoraci ſiniſtro: unus in areae margine inferiore papillae ſiniſtrae; alter tres uncias ab eo diſtans ad muſculum ſerratum anteriorem. Emplaſtro diachyl. ſimpl. triduum impoſito pus cylindraceum craſſum copioſum per quinque dies eructabant. D. XXIII. Ej. clauſi cicatrice rubra; ſtigmate vero ſine nova inflammatione (uti variet. 2dae) disparente. D. XIX. ej. novus radici unguis digiti medii dextri (Varietatis quartae); forcipe (Gallis: *Pincette*,) lacerato pus fluidius prodibat: D. III. Octobris tandem conſolidatus.

(**) Circa hoc tempus anteriori corporis ſuperficiei, facie, colloque brachiis exceptis, furunculi varii ſeptendecim ſimul.

Die Octobr. VII. Saevientibus jam a primo hujus dorſo doloribus (vid. infr. §. 217.) Furunculus (Var. quartae) articulationi mediae digiti medii ſiniſtri faciei internae acerbe pungens cuti concolor. D. XII. Cuti rubor tumorque urens: ab Empl. Diach. ſimplici nullum lenimen. D. XX. Macula *alba* tumoris centro. D. XXI. forcipula dilacerata pus non ſtatim, ſed quatriduo demum elapſo doloribus continuis, craſſum, vermiculare, virideſcens, copioſius pro tumoris mole profluebat: Lumen circa finem menſis ſpecioſe clauſum, emplaſtro nudatum vero aërique commiſſum denuo dolere, pulſare, cutisque vicina inflammari coepit. Empl. rubro Stahlii impoſito irrito priore, doloribus mitigatio, nullum pus, ſpatio quatuordecim dierum cruſtula decidua cicatricem firmam ſiſtebat ultimo furunculo, ad initium usque Decembris articulo rigiditas.

Furunculorum variorum in anteriore modo corporis ſuperficie, a D. XIII. Jul. ad VII. Octobr. numerus eorum citra errorem ultra triginta incluſis ſeptendecim coetaneis M. Septembri (**).

§. 207. Furunculis 203-206. Deligandi modus.

* 1.) Semel quavis die: forte adhuc crebro nimis?

(*) Deligatione nimis frequenti, niſi eam puris abundantia, aliaque poſtulent ſymptomata, detractione rudi emplaſtrorum novus dolor, irritatio, humorum adfluxus, conſolidationis aut mora, aut abſceſſus in ulcera mutatio.

*2.)

*2.) Turundis (§. 39.) vel quocunque linteo carpto intrusis vel injectionibus nunquam vexati. Absceſſus hiſce in fiſtulas deviant. Exulare e praxi invidioſae turundae, cicatrices difformes, profundas relinquentes. Absceſſibus recens ſectis quandoque neceſſariae, v. gr. labiorum vulneris collapſum inpediendo; ſponte ruptis ſuperfluae &c. (cf. PLATTNER Chirurg. §. 639. * p. 441.)

* 3.) Luminibus linteum carptum ſiccum ſuperimpoſitum; Emplaſtro quovis (**) cuti adglutinatum.

(**) Emplaſtrum rubrum STAHLII camphoratum Empl. albo cocto aut diachylo ſimplici ſaepius inertibus, dolores citius ſopivit, partesque inflammatas in pus celerius maturavit. Eorum mutatio ſaepe proficua; delectum absceſſus ſtadium, remotionem dolor indicant, an ſuccedanea inter ſe Emplaſtra? conſtanter tepide impoſita, ſenſu gratiora prae frigidis: a quibus horripilatio?

§. 208. SYMPTOMATA §. 203-207. propria; niſi ſpeciebus forte §. 182-202. communia: ſynchrona ſaltem.

(*1.) Cruribus ſolis ab initio Auguſti ad finem Septembris, furunculis hoc tempore jam vigentibus (§. 206.) quovis die circa veſperam horripilatio, frigus extremorum, aeſtus, ardor, pro frigoris ratione; pruritus, primo circa tendinem Achillis ſiniſtrum, dorſum ejusdem pedis; dein dextri, pro lecti tepore plus minusve ferendus: trihorio, tranſpiratione parca, remiſſio ejus aliqualis. FEBRIS *cruribus* TOPICA ſymptomatica quotidiana regularis intermittens?

*) Unica paroxysmi eodem die XXIII. Septembr. duplicatio, unus hora quinta veſpertina, alter undecima, qui demum ſecunda matutina ſolutus tranſpiratione. Scarificationis quintae (§. 215. * 5.) ſaltem ſequela: niſi effectus?

REMEDIA: Auguſti medio pedes ſub horroris initio pannis laneis calefactis per horam & ultra obvoluti, aut vaſi ſtanneo fervida, aut cabo querno incluſa teſta (Gallis: *Chauffepieds*) prunis repletis impoſiti, aegre caleſcentes: Septembris ſequentis diebus, hora nona veſpertina pedes hypocauſto calefacto ante lecti introitum nudi pulvinari obtecti, ſemihoram & ultra admoti.

EFFECTUS: calore hoc artificiali primis diebus pruritus ab initio intenſior: continuato vero omnia mitiora. Pedibus hoc modo calefactis lectus frigidus absque ſequente paroxysmo petitus: nox tolerabilior; omiſſo vero, paroxysmus lectum petenti fortior, ſomnum aut morans, aut penitus arcens.

**) Quae frigoris anticipatio febri topicae, quoque intermittenti ſtatariae confert (§. 120.) (*1.) Septembris fine lecti per aliquot dies cuſtodia horripilationibus

irregularibus (§. 202. * 1. 190. * 2.) ceſſatio. Cruribus minus frequens, pedi ſiniſtro nulla exanthematum, dextro alias copioſiorum (§. 192. 200. 206.) eruptio. Tranſpiratio facilior tarda quidem; noctes vero inquietae; ſtimulo ignoto ſomnus interruptus, accitus. (* 2.) Laſſitudo mane ſurgenti major, quam veſperi; pruritu nocturno durante mens nimis activa nolenti. (* 3.) Digiti modo apice cutis tacta quovis loco horripilatio univerſalis, ſine aeſtu ſubſequente (§. 202. * 2.). Fibris cutaneis tenſio nimia, irritabilitas? (* 4.) Pus quo profundius, eo doloroſior, diuturnior inflammatio, copioſior ſuppuratio, puris craſſi ſemper tenacis cohaerentis lentior effluxus; conſolidatio tardior. (* 5.) Initium, ordo ſucceſſivus, terminus eruptionis uti phlyctaenis (§. 198-202.): ſuppurantibus priſtinis, novi aliis locis. (* 6.) Abſceſſulo cuique periodus circiter XXI. dierum, hinc dato menſium numero reditus computus. (* 7.) Furunculorum frequens nimia nudatione aërique expoſitione exacerbatio dolorum. (* 8.) Praeterea cum praecedentibus ſpeciebus (§. 178. 191. 198.) commune, quod locis obſeſſis, iisdem ſanatisque, novi propullulabant non diminutis ſymptomatibus. An folliculus, capſula adipoſa glandula cutanea eadem ſucceſſive bis adfecta? (* 9.) Hucusque butyri, pinguedinis faſtidium auctum. (* 10.) Abſceſſus minores (furunculi §. 203.) imo quivis majores ſponte rupti, cruorem nunquam fudere: ſecus inciſi (§. 203. 205); illis conſolidatio ſine cicatrice. (* 11.) Furunculi omnes a vaſis majoribus diſtabant. *) An, & qualis quatuor ſpeciebus recenſitis (§. 178. 191. 198. 203.) inter ſe adfinitas?

§. 209. REMEDIA (§. 178. 208.) hucusque adhibita GENERALIA: *Interna:* ACIDULAE *Codowenſes* vergente Julio & ſequente Auguſto mane jejuno ventriculo & veſperi receptum juxta vulgare regimen, una vice ad Uncias XX-XXX. frigidae potae. Cujus Effectus, docet morbi hucusque data Hiſtoria.

§. 210. Emulſionis Amygdalinae, additis quandoque ſeminum quatuor frigidorum majorum partibus ana cum aqua cocta (cruda enim ventriculo oneri) extractae Unciae viginti; cum nitri depur: drachm. ſemis, vel ſalis mirabilis GLAUBERI ſcrupulis duobus alterne infuſis, partitis vicibus acidularum periodo quovis die ad cubitum hauſtae, ſed irrito ſucceſſu: febris eodem tempore topicae invaſio (§. 208. * 1.) praedictarum non modo duratio, imo ſpecierum §. 184. 187. 191. 193. 200. 203. ingraveſcentia.

*) An aeſtui febrili ex morbo ſeroſo-lymphatico (§. 178-208.) haec remedia (§. 209-210.) minus quam ſanguineo conveniant? Nonne depuratio maſſae ſanguineae

neae fit exanthematibus ipſis? cui utilitati haec, oceano humorum jam depurato, prophylaxis; jam ſeparata & nulla amplius ſuſpecta materia?

§. 211. Infuſum lignorum dilutum (§. 176.) medio Septembris mane lecto per plures dies remoto eo, ex Thee *Boey* cum lacte tranſpirationem ad ſudorem promovit. Erumpente illo pruritus major toti corpori (§. 190. * 4. 202. * 2.) Exanthemata majori copia: pruriens effectus unice.

§. 212. Die XXI. Ej. hauſtu vini hungarici meraci Uncia una ſemis veſperi ſiccitas ori, frigus, aeſtus toti corpori, ardor pedibus, dextro inprimis; tranſpiratio, pulſus contractus frequens (paroxysmus febrilis?) agrypnia ad horam usque tertiam matutinam. Sequentis diei veſpera Aquae (vulgo ſic dictae ſpirituoſae) *Barbados* & Emuls. Amygdal. āā. Unciam unam mixta nox plane inſomnis, febris topica pedibus auctior: an exinde genius liquet morbi?

§. 213. *Externa*: (cf. §. 209.) a, Frictio dorſo Auguſt. XIIX. unica ſub lecti introitum pannis laneis, aeſtus tota nocte, ſomnus inquietus. Priſcis medicis tanti facta, modernis fere obſoleta! Cur?

§. 214. b, Pediluvia: Menſe Julii tepida veſperi ſucceſſiva quaedam, exanthemata (§. 179. 183), Phlyctaenas mole auxere (§. 199.), imo furunculos (§. 206.) allicere viſa. Octobr. XXIIX. alii meridie nimis calido frigida pedibus immerſis adfuſa frigus ſubitaneum corpori, veſperi cruribus horripilatio, nox ſolito inquietior. Biduo poſt coryza, febricula, pedibus pruritus major, exanthematis uberior proventus.

(*) Pedum hoc modo calefactorum linteis frigidis abſterſione, modo dicta ſymptomata? ſiccandi pedes tepefactis. Senſibilioribus ſcopo temperandi pedes tepidis immergendi pediluviis, donec ſenſus frigidiusculus oriatur. (**) Remediis (§. 209-212.) recenſitis leniminis parum: Emendatio nulla: Cujus culpa?

§. 215. c, Scarificatio: Dorſo poſt coenam horis veſpertinis, hypocauſto temperate calefacto, dorſo linteo aſpero ad calorem usque fricto prius, ſectione praeter morem receptum unica, dolorum metu.

(* 1.)

(* 1.) *Prima*: Septembris IX. Cucurbitulis vitreis ſex ante ſectionem dorſo adfixis. Inde aeſtus corpori. Sitis Mixturae ex aquae modo dictae (§. 212.) Barbados & putealis āā Uncia una ore prius detentae, extincta, nocte ſomnus placidus (cf. §. 212.) mane ſudor. Die ſequente CEPHALALGIA, pruritus pedibus anctus.

(* 2.) *Secunda*: XIII. Ej. eadem, eodem cucurbitarum ibi numero. Aeſtus. Sitis. Eodem hauſtu (* 1.) Ventriculo onus. Somnus gravis, inquietus, tranſpiratio mane parcior. Siccitas ori per plures dies.

(* 3.) *Tertia:* XVII. Ej. Cucurbitulis decem. Sitis mixturae (§. 212.) deſcriptae uncia ſemis ſedata: nulla inde moleſtia. Nox tranquillior, ſomnus levis refocillans. Tranſpiratio matutina parca. *) Scarificationes in lenimen febris topicae, artificio (§. 208. * 1.) coincidunt: cuinam horum id tribuendum? **) Qualis ejusdem liquoris ſpirituoſi actio diverſa (* 1. 2. 3.)?

(* 4.) *Quarta:* D. XX. Ej. Foſſae ad malleolum internum & Achillis tendinem ſiniſtri pedis cuti exanthematis adhuc rubente ſemi-ſanatae, ut & dorſo ejusdem pedis ſcarificatio ſine cucurbitulis praeviis * 1.) Dolor principio acutus; momento poſt pruriginoſus dulcis. Cruor effluens dilutus. Eodem die dolor ibi greſſu tenſivo-lacerans urensque, aqua vulneraria Gallorum ſecundaria calida inpoſita ſpleniis ſopitus, quavis veſpera vulneribus nondum conſolidatis pedibus arte calefactis (§. 208. * 1.) loco ſcarificato ſenſus fallax pulicum ſaltantium (§. 199.), & ad tactum modo calor ſolito major.

(* 5.) *Quinta:* D. XXIII. Ej. Hora decima' noctis finito vix paroxysmo topico (§. 208. * 1.) dorſo iterum cucurbitulae (ſex prima vice) hypocauſto, (§. 215) dorſo, pedibusque pro more frigidis. Lectum ſine mora petenti hora undecima: Horripilatio toti corpori, cruribusque tremor; Ardor intenſus, ad tactum frigidis: (internus). Pruritus pedi ſiniſtro major dextro reliquoque corpori; imo ſaltatorius pulicum (* 4.), cruribus ſenſus tumoris ponderisque fallax (§. 182. 183. *), bihorio elapſo tranſpiratio iis: inſultus febrilis? Dorſo pedis ſcarificati (* 4.) pruritus intolerabilis fere: novorum exanthematum praecurſor & comes (§. 185. 186. 200). Somnus tardus, matutinus placidior. Duplicatio paroxysmi crurum topicae febris (§. 208. * 1.). *) Balneatoribus mos vulnera ſebo illinire ſibique relinquere, mutato (an meliori?) conſilio aqua vulneraria ſpirituoſa tepida lota: ardor inde momentaneus, ſeri effluxus coercitus.

(* 6.) Sanguis operationibus (* 1.-* 5.) coccineus, ſeroſus, dilutus, quavis vice ad Uncias ſex ad minimum extractus.

(* 7.) EFFECTUS; ſaltem notabilis: Concuſſio corporis totius; pulſus citatior; ictus cordi fortiores; laſſitudo; phlyctaenarum praecipue ulterior adlectatio (§. 200.) nec non exanthematum pruritus, reliquarum ſpecierum (§. 178-203.) permanentia pertinax. Tergum elapſa ſeptimana reliquis corporis partibus carnoſius: curativus vero, derivativus, prophylacticus dubius ſcopus?

SPE-

SPECIES QUINTA.

§. 216. Abscessus (b. §. 203.) *majores* Auctorum. *Apostemata* Zwinger. l. c. T. I. p. 16. b.

Inflammatio compoſita ex prioribus (§. 203. 198. 191. 178.). Vaſorum, praecipue ſanguiferorum cutis & tunicae adipoſae deſtructio ſuppuratoria (profundius laeſae n. 2.): Species tertia (§. 203.)? Integumentorum laeſionis *modus quartus* (§. 203.).

§. 217. Ib. D. I. Octobris. Dorsi quater ſcarificati (§. 215.) lateri ſiniſtro digitis tubercula prurientia ſine praeviis inflammationis ſignis percepta: Unum ſuperius ad angulum ſcapulae inferiorem, alterum tres digitos transverſos priori inferius. Dolores tenſivi veſpertini. D. III. impoſito aliquot horas Empl. diachyl. ſimpl. ſcalptu lacerata ichorem fundebant ambo. Ad. d. VI. ſudores ſimul nocturni, doloribus incrementum quovis die veſpertinis. Illud conſolidari viſum, hoc vero ſponte clauſum paucis diebus ad ovi columbini molem, nulla licet febre comite, (Abſceſſus frigidi?) dolore vero lancinante, preſſorio, lacerante, pungente, ſomnum noctes duodecim una ſerie arcente, ad axillam ſiniſtram uſque extenſo, increſcebat. Sensatio molis immenſae deceptrix; movendo dorſo difficultas maxima. Dolor raro in ratione directa imo plerumque inverſa partis laeſae ejusdemque molis index *fallax*.

Die VII. VIII. Ej. Tumori quoque ſuperiori incrementum doloribus acutis, pungitivis. Cutis non modo tumorum, imo circa ſcapulam & ſpinam dorſi livida urens; cui emplaſtrum ſupradictum adplicatum, relictum plures dies, doloribus vero continuis acutioribus demulcendis ſupra illud D. IX. X. XI. Ej. Cataplasmata Sileſiis familiaria ex farina ſecalina cum aqua in pultem cocta, calida, linteis excepta, humida indeſinenter nullo itidem doloribus lenimine impoſita. Urina ab initio ad hunc usque diem limpida, adpetitus acutior, digeſtio facilis.

Die XI. mane doloribus auctis ſponte aperiebatur tumor ſuperior lumine rotundo. Pus tenax bonae notae, parcum. Inferiori dolores denuo tenſivi. Dorſo toti pungitivi uti aciculorum, clavorum. Decubitus in latus adfectum facilior; in ſanum intolerabilis. D. eodem. Meridie Chirurgus inſcio turundulam Abſceſſui ſponte rupto intruſit officioſus, eamque Emplaſtro Diach. ſimpl. adglutinavit. Ilico dolor pungitivus, pali quaſi infixi de die vix ferendus; veſperi rogatus ſuſtulit aegre, qua ſublata (§. 207. * 2.) ſtatim ceſſavit dolor. D. XII. Urinae turbidae ſedimentum copioſum lateritium. D. XIII. XIV. non modo Abſceſſui, imo lateri perſeverantia dolorum; tumoribus incrementum, licet apertis: lecto jugis cuſtodia.

§. 218. D. XV. Ej. Abſceſſus ſuperior juſſu meo ſcalpello, poſtea forcipe ad pollicis latitudinem transverſim dilatatus: ne minimus quidem ſectione dolor. Sanguinis profluvium nimium, aegre ſiſtendum. Pus granulatum, ſubviride, tenax, preſſione tandem elicitum dolorifica. Doloribus ibi nulla remiſſio, immo ad tumorem inferiorem extenſio. Labiis vulneri lintea carpta ſuperimpoſita ſicca.

Somnus parcus demum matutinus; pavores; ſenſus ſomni momento capitis in abyſſum ruentis; (§. 165.) terror ſubitaneus expergefaciens nullo tollendus ratiocinio: (fallacia ratione ſuperior) cataplasmata paucis diebus omiſſa denuo adplicata; remoto Empl. Diach. ſimpl. Empl. rubrum Stahlii impoſitum. Arctiore ob gummata adhaeſione ponderis ſenſus preſſorius auctus vix horam ferendus; hoc ſublato, prius levius readſumtum. Nocte XV-XVI. Ej. tota pus, patulo ob prohibitas turundas, vulnere ſolito copioſius effluxerat; mane d. XVI. dilutiori, preſſione dolorifica, partes duriores cylindricae, conicae, ſphaericae (ex meatibus celluloſae?) intermixtae puri. Dolorum pertinacia. Ventriculo debilitas; Cordi palpitatio (§. 177.); mutata in tenuem diaeta robur ventriculo reſtitutum. Pulſus doloribus continuis debilis (an noctibus inſomnibus, puris copia?) frequens, parvus, mollis; nec veſperi mutatus. Calor cor-

corpori conſtans naturalis: forte mutatio ejus ob dolores non obſervabilis? Nocte XVII-XIIX. prima vice ſomnus larg or doloribus licet interruptus, refocillans tamen. D. XIIX. XX. Ej. derivationis cauſa clysmata ex ſpeciebus emollientibus cum lacte veſperi injecta absque ſymptomatum lenimine. An noctes ſequentes placidiores inde? D. XX. nocte ſpasmi (Haemorrhoidales?) a perinaeo usque ad urethrae apicem repentini ferri candentis ad inſtar ſine fluxu ſequente. Auribus quivis ſonus moleſtus. Sitis nulla de die; noctu ori ſiccitas; a jectigatione demum ſitis moleſta infuſo ſolito Thee cum lacte vix deguſtato ſtatim temperata, ſomnum minime retardante; an ſpasmodica? (§. 163.) Urina a D. XIII-XXIII. Ej. rubra cum ſedimento lateritio.

§. 219. D. XXII. Ej. Tumor inferior clauſus (§. 217.), interea in majorem adcretus molem, doloribus pungitivis indeſinenter ſociatus, cute absque calore rubente, dura, (priori modo §. 218.) inciſione horizontali longitudinis duorum cum ſemiſſe pollicum trementi apertus. Itidem nullus dolor: an necroſis cuti? Haemorrhagia pro ratione vulneris, vaſorumque abſentia majorum largiore. Pus laudabile ejusdem cum prioris (§. pr.) conſiſtentiae, mixturae, earundem partium; quibus praeterea filamenta lacera (Tunicae celluloſae?) jungebantur. Sinuoſitates ad ſpinam dorſi usque tactu ſolo puris expreſſione, ſpecilla abhorrenti, exploratae. Pro ratione puris exeuntis dorſo facilior motus: Omiſſa nunc cataplasmata.

Inter Abſceſſum utrumque SULCUS perpendicularis; medio preſſus ambo pus fundebant. Plures poſt conſolidationem demum ſeptimanas adipe repletus evanidus ille. Somno quietiori promovendo hiſce diebus veſperi, unica modo vice, ſyr. papav. rhoead. uncia ſemis deglutita: nullius effectus. (An anxietate ſuperveniente, paregorica ſine ratione timenti?) D. XXIV. Urina absque ſedimento; ſudores nocturni copioſi. Virium incrementum quoddam: An eſu jejuno, copioſo uvarum maturarum avido? cum euphoria ſaltem. A D. XXIV-XXXI.

ſymptomata HYPOCHONDRIACA animo licet tranquillo. D. XXXI. CORYZA correptus, coelo ſereno, horis meridianis, abſceſſibus apertis pus diu noctuque ſtillantibus, emplaſtro tectis, prima vice e domo egreſſus, ſine noxa reverſus.

Die Novembris I. adpetitus viriumque reſtauratio. VENTRICULO ONUS ab infuſo coffee cum cremore lactis. D. II. Lectione, aut alia quavis animi intentione CEPHALALGIA tenſiva (§. 169.). D. V. fulciendo propriis viribus dorſo, dolor ad vulnera. D. VII. tempeſtate pluvioſa, flante Favonio, repetitus e domo impune egreſſus. D. XI. Ej. Urina limpida absque ſedimento. D. XIIX. Abſceſſus ſuperioris inciſurae CARO LUXURIANS, eſſentia ſuccini tepida linteis carptis ebriis quinque exſiccata diebus. D. XX. Abſceſſui inferiori absque carne luxuriante; & D. XXIII. ſuperiori conſolidatio firma. An Eſs. ſuccini ope? Periodus tota cuique ſeptem circiter; ſuppuratoria vero ab inciſione, ſuperiori, ſex; inferiori, quatuor hebdomadum.

§. 220. METHODUS DELIGANDI:

(1 *) Lintea carpta primo ſicca (§. 218.) ſuppurationis tempore Balſamo Arcaei (digeſtivo vulgari praeſtantiore) tenuiter illita calefacta, nunquam intruſa vulneri (§. 207. * 2); ſero vero ſub finem ſtillante, (ſuppurationis ceſſaturae index) iterato ſicca, eoque exhauſto, a chirurgo pro more Eſſ. Succini irrorata, tepide impoſita; ſuperimpoſito Emplaſtro diach. ſimpl. (* 2.) Plures poſt inciſiones dies ob puris copiam binae de die (tantae alias inviſae §. 217. * 1.) deligationes; diminuto pure, quavis die unica modo matutina; ſiccata carne luxuriante, binis diebus ſimplex, refragante licet chirurgo, deligatio. (* 3.) Medicamina interna nulla. Qualia abſceſſibus factis, apertis? an ſanguinem mundificantia? mundatione per abſceſſus jam facta (§. 210)?

§. 221. ADNOTATIONES & COROLLARIA:

(* 1.) Symptomata ſuo loco inſerta: alvus quotidie ſoluta. (* 2.) HAEMORRHOIDES morbi puſtularis periodo (§. 178-215), (Aprili (§. 179.) & Iulio (§. 184) exceptis) ut & abſceſſuum majorum (§. 216-220.) ſtadio nullae. An earum ſuppreſſioni morbi multiplicis pertinacia? Aut: an uberiore fluxu morbo minor vis atque varietas, duratio; an abſceſſus minoris molis, aut nulli plane oborti? (* 3.) Abſceſſus agmen phlyctaenarum, (199.) furunculorum (§. 203.) clauſere quidem; ſed exanthematibus (§. 178-196.) reliquis licet ultra quatuordecim dies lecto adfixo (§. 217.) ſaepius copioſe ſudanti, fere jugiter tranſpiranti, magnam puris copiam dimittenti, ſine ullo in regimine commiſſo errore, non poſuere metam. (*4.) Forte morbus puſtularis antecedens male judicatus abſceſſus generavit; aut hi metaſtaſes priorum ſpecierum?

*) Materia abſceſſuum differt a priorum, v. gr. Exanthematum, phlyctaenarum &c. Cuivis ſua ſcaturigo ex fluidis; cuivis ſpeciei ſedes propria in ſolidis gradatim laeſa?

**) Speciebus juxta invaſionis initium ſequens foret ordo: I. III. IV. II. V; ſed I, & II, utpote ſpecies ejusdem generis junctae. (§. 221.*

(§*221.) SPECIERUM MORBI PUSTULARIS TABULA SYNCHRONA.

1756. Menſis. Dies.	Species prima. §. 178-190. EXANTHEMATA miliaria *heterogenea.*	Spec. ſecunda. §. 191-196. EXANTHEMATA miliaria *homogenea.*	Spec. tertia. §. 198-202. PHLYCTAENAE.	Spec. quarta. §. 203-208. ABSCESSUS. (a) *minores*: FURUNCULI.	COELUM; VENTI.	LUNA.
Apr. XXI.	Initium: Brachiis, pedibus, rubra: Tibiis rubra albaque.				Sol. Nubes. N W. frigidus.	ultima quadra.
Maji initio.	rubra: Pectori, Abdomini.				Coelum temperatum tranquillum (§. 180.)	Apogaea.
X.	Toti corporis anteriori parti.				Sol. Nubes. Calor aeſtivus S. (auſter) procelloſus.	VIII. in ♒
Iun. XX.	Majora: Solitaria Dorſo manuum.				Sol. Nubes. Calor aeſtivus. pom. S. veſp. O.	Die poſt ultimam quadram.
XXIII.	-adgregata: Digitorum Articulis.				Sol. Nubes. Frigidiuſculum. NO. O.	
Iul. XI.	-Solitaria: Digitis, Brachiis.		Pedum Dorſo, Tendini Achill: ſiniſtro.		Sol. Pluvia. N W. ſedatus.	
XII.	-purulenta Regioni hypog.		Pedis ſiniſtri digito medio; malleolo externo.		Sol. Nubes. Frigidiuſculus W. ſedatus.	Plenilunium.

Menſis. Dies.	Spec. I.	Spec. II.	Spec. III.	Spec. IV.	Coelum. Venti.	Luna.
-XIII.	|		|	Malleolis: Extremitati Pedis ſiniſtri	uti heri.	
-XXVI.	|		Femori ſiniſtro.	Femori, Tibiae ſiniſtrae.	uti heri.	
-XXVII	|		Brachiis.	Hypogaſtriis.	Sol. Nubes. O. ſedatus.	Noviluniun.
Aug. I.	miliaria: rubraBrachiis, Dorſo.		|	Febris topica cruribus. (§. 208 * 1)	mane Sol. Nubes; pomeridie pluvia; veſperi SW procelloſus.	biduo ante primam quadram.
-XI.	majora: ſolitaria: Brachiis, cruribus, prioribus mixta.		|	|	pluvioſum. frigidiuſculum. N W. cum S W. alterne.	Die poſt plenilunium in ♌
-XIIX.	-rubra ſola iisdem locis. |		-Pectori. Volis manuum. M. Thenari pollicis ſiniſtri, genu, pedi dextro.	|	Sol. Nubes. Frigus. de die W. veſperi NW.	Die poſt ultimam quadram.
-XX.	Rhagades ſuris: primae. (§. 184.)	Suris maculae coccineae puſtulares.	Femori; genu dextro.	|	Sol. Pluvia. W. N. N W.	Apogaea.

-XXIV.

Menſis. Dies.	Spec. I.	Spec. II.	Spec. III.	Spec. IV.	Coelum. Venti.	Luna.
-XXIV.	|	Dorſo pedis ad Tendinem Achillis malleolum internum, ſiniſtri pedis.	ſiniſtro Cruri. |	|	Sol. Nubes. Frigidiuscul N W. W.	Die ante noviluniun. XXV. in ♒
-XXX.	|	Dorſo pedis dextri.	|	Dorſo pedis ſiniſtri Furunculi.	mane ſerenum; pomer. nubilum. S ſedatus.	
Sept. VII.	|	|	|	M. Thenari pollic. ſiniſtri.	pluvioſum. W.	in ♒
-IX.	|	-Suris.	|	Femoribus.	Nebula. Nubes. Sol. O.	Die poſt plenilunium.
-XV.	|	Digitis mediis &c. manuum.	|	Thoraci ſiniſtro, anteriori ſuperficiei ſeptendecim ſimul.	uti D. IX.	
-XVII.	|	|	-pedibus.	|	pluvioſum nubilum. O.	XVI. ultima quadr. Apog.
-XIX.	|	I	|	ad radicem unguis digiti medii manus dextrae.	Nebuloſum. Pluvia. NO.	
-XXIV.	-miliaria: alba vix viſibilia prurientia cruribus.	Z	-halluci ſiniſtro novae.	|	Sol. Nubes. Frigidiuscul O. SO.	XXI. in ♒

-XXV.

Menſis. Dies.	Spec. I.	Spec. II.	Spec. III.	Spec. IV.	Coelum. Venti.	Luna.
-XXV.	|	D	-plantae p - dis ſiniſtri.	|	temperatius heri.	
-XXVII	|	U	-plantae pedis dextri.	|	nubilum. frigidum NO.	perigaea.
-XXIIX	-Dorſo, malleolis pedum.	C	Dorſo pedis ſiniſtri ultra octoginta.	Febris topicae Terminus. (cf. I. Aug.)	Sol. Nubes. mane S ſe dar. pomeridie S W procellosus.	Noviluniun.
Oct. I.	|	I	|	Abſceſſus (b) *majores* Dorſo bini.	Sol. Nubes. frigidiuscul. W.	prima quadra.
-VII.	|	A	Dorſo Trunci.	Furunculus digito medio manus dextrae ultimus.	Sol. Nubes. S W. procellosus frigidus.	
-VIII.	-rubra: Surae ſiniſtrae.	E	Pedum Dorſo; Femori	Majorum Suppura-	Sol. Nubes. S W. procellosus.	Pleniluniun.
-XXIV.	-Brachiis, Abdomini. Femori ſiniſtro.				Sol. Nubes, S. ſedatus.	Die poſt Noviluniun.
-XXV.	-alba: Brachiis.	Digitis mediis denuo.			uti heri.	
Nov. IIX.	-vix viſibilia corpori anteriori.	|			Sol. Nubes. Boreas,	biduo poſt pleniluniun.

X.

Mens. Dies.	Spec. I.	Spec. II.	Spec. III.	Spec. IV.	Coelum. Venti.	Luna.
-X.	-rubra. M. vasto; poplitum latere externo fibulae suraeque sinistrae.	|	Sinistro. Plantis pedum alternae.	1.	Nix tota die; mane NO; pomerid. NW; vesperi W.	Apogaea.
-XI.	|	Femoribus. genubus.		0.	uti heri.	
-XVI.	purulenta, femoribus.	Rhagades suris (secundae.)(§. 189.) cf. XX. Aug.		XX & XXIII. *majorum* (b) consolidatio.	Sol. Nubes. S. procellosus.	Die post ultimam quadram.
-XXIIX.	|	-malleolo interno pedis sinistri iterum.			Sol. Nubes. Frigidum. Nivosa grando SW. W.	prima quadra in ♌
-XXX.	|	Crustulaelentiformes natibus.			Sol. Nubes. SO.	biduo post primam quadram.
Dec. VII.	-majores. Solitariae: Dorso manuum pustulae.	|		Species V. §. 216-220. Abscessus (b) majores (cf. I. Octobr. -XVI Nov.)	nebulosum Osedatus.	Die post plenilunium. VIII. Apogaea.
-XVI.	-miliares: prioribus mixtae ib.				Sol. Nubes. SW sedatus	Qualis Coelo, Ventis, Lunae, Influxus
	Inducia e.		Terminus.			

*) Specierum gradatim profundius ingraveſcentium ortus in ratione inverſa diſtantiarum a cauſa occaſionali (§ 180.). (**) Lineolae perpendiculares parmis : ſpeciei permanentiam ; deficientes vero , abſentiam (incolumitatem) denotant.

(§.**. 221.) Coeli variationum ſummam; Ventorum, borealium cum orientalibus ad auſtrales cum occidentalibus rationem, una cum enumeratione acutorum menſtruali reſpondente, Anni totius morbidi biſſextilis 1756. ſiſtit ſequens

TABULA:

Coelum.	cali-um	tem-pera tum.	frigi-dum.	ſic-cum	plu-vio-ſum	ſere-num	nubilum ſine : c:⊙	procel-loſum.	ven-tuoſum.	tran-quil-lum.	NIX	Vento-rum ratio.
Summa Dierum.												B† Or. A†Occ
Ianuar.	0	24	7	24	1	5	4	22	6	15	10	6	3 : 5
Morbi; Febres: catarrhales: continuae. Pleuritis. Narium Haemorr.													
Februar.	0	1	28	25	2	5	8	16	13	12	4	2	1 : 2
Morbi: Febres : catarrhales ; continuae. Opthalmiae. Podagra.													
Mart.	0	31	0	17	7	2	7	22	7	17	7	7	1 : 4
Morbi : Febres catarrhales. Pleuritides. Lumbagines.													
April.	0	30	0	18	4	0	2	28	8	18	4	8	1 : 4
Morbi : Angina notha. Febres : eryſipelac. catarrh. contin Ophthalm. Podagr. Pleuritis.													
Majus.	2	4	25	20	11	5	24	2	3	1	27	0	4 : 5
Morbi: Diarrhoeae. Febres catarrh. Pleuritides. Variolae diſcretae ſporad.													
Iunius.	8	22	0	18	12	2	1	27	0	17	13	0	4 : 5
Morbi; Diarrhoeae. Febres catarrhales ; continuae. Pleuritides.													
Obſerv Die prima mane Pruina, Auſtro frigidiuſculo tota die.													
Iulius.	12	19	0	16	15	0	2	29	0	0	31	0	10 : 11
Morbi: Angina notha. Colicae. Diarrhoeae. Febr. eryſipelac. Lumbago.													
Auguſt.	0	31	0	12	19	0	17	14	3	10	18	0	1 : 4
Morbi; Dyſenter. Febr. catarrh. contin. eryſipel. Haemorrhag. Ophthalm.													
Obſerv. Venti. Auſtrales & Occidentales toto menſe frigidi.													
Septemb	0	12	18	21	9	2	11	17	0	5	25	0	4 : 5
Morbi : Diarrhoeae. Febris continua ; catarrhalis. Pleuritis.													
Obſerv. Venti uti priori menſi.													
Octobr.	2	24	5	18	3	2	5	24	8	17	6	0	1 : 3
Morbi : Angina notha. Febris continua ; ephemera.													
Novem.	0	0	30	16	3	1	12	1	12	15	3	11	1 : 3
Morbi: Angina notha. Febr. catarrh. contin. eryſipel. Colica. Lumbago.													
Decemb	0	0	31	26	0	4	17	10	3	1	27	5	3 : 7
Morbi; Angina notha, Diarrhoea. Febr. contin. eryſipel. Variolae ſpuriae.													

Ratio

Ratio annua Ventorum: de die quater obſervatorum :: 5 : 11 fere. { Borealium, cum Orientalibus } ad { Auſtrales, cum Occidentalibus }

§. 222. PEYLAVIAE M. Auguſt. 1759. Aet. 46. DYSENTERIA Epidemica (putrida?)

*) Undecim annorum intervallo ſex Epidemiae Dyſentericae obſervatae. I. Iulio 1750; II. Auguſto 1751. Variolarum connubio diverſis ſubjectis; III. Septembri, Octobri 1758; IV. Iulio, Auguſto, Septembri 1759; V. iisdem menſibus 1760; VI. Iulio, Auguſto, Septembri 1761. Duabus ultimis tertiana notha epidemica ſociatis.

Epidemiae initium primo Iulii Diarrhoeae; 15. Ej. Dyſenteria manifeſta. Finis medio Septembris, coelo ut plurimum ſereno, ſicco ventis auſtralibus & occidentalibus, utpote calidioribus, ſolito pacatioribus. Pago ultra milliare extenſo populoſo, medio quaſi inter radices montium SUDETORUM & SABOTHI, diſtantia ab utrisque duorum milliarium aequali, in regione montoſa, arida, ſito, occidentalibus ſolito frequentioribus perflato ventis: uti ex Tabula ſubjuncta patet, cui menſes quidam epidemiam antecedentes, ex hypotheſi, „Epidemiarum praeſentium rationem in praeterito coeli ſtatu fundari„ adpoſiti.

EPIDEMIAE 1759. TABULA quinque menſium METEOROLOGICA.

(* 222.) COELI VARIATIONUM SUMMA.

1759. Coelum	calidum.	temperatum.	ſiccum.	pluviouſum.	ſerenum.	nubilum ſine; c. ☉.	procelloſum.	ventouſum.	tranquillum.
Menſis. Majus.	1/7	6/7	3/4	1/4	dies 0	dies 0	dies 31	dies 3	dies 14	dies 14
Iunius.	3/7	4/7	2/3	1/3	0	0	30	1/2	8	21 1/2
Iulius.	2/3	1/3	2/3	1/3	2	6	23	0	8	23
Auguſt.	2/3	1/3	2/3	1/3	0	2	29	0	4	27
Septemb.	1/2	1/2	3/4	1/4	2	6	22	2	3	25

VENTORUM RATIO SPECIALIS.

	MAIUS.	IUNIUS.	IULIUS.	AUGUSTUS.	SEPTEMBER.
Auſtr. ad Boreales.	16:10::8:5	15:7::2:1	5:20::1:4	3:9::4:3.	14:6::7:3.
Orient. ad Occidentales.	8:2::02:5	9:23::3:8	8:27::1:3	9:17::3:5	9:19::1:2.

VENTORUM RATIO GENERALIS.

Auſtralium & occidentalium, utpote calidiorum, ad boreales & orientales, (frigidiores): } uti 169:95::7:4. fere.

§. 223. Tota aeſtate pedibus (§. 20.) majus FRIGUS, ut & ejus ſenſus REGIONI EPIGASTRICAE, laneis veſtibus licet induto, inſolitus. Fructus horaei (*) a multis retro annis ob cardialgiam inſequentem comeſti parciſſime. Hoc anno ceraſa quaedam ex praejudicio inſequentis dyſenteriae modo deguſtata.

*) Fructus horaei choleram; quidni dyſenteriam excitant?

Tribus epidemiis prioribus dyſentericos ſine metu viſitans obtrectansque ab ea immunis, quarta itidem audax incautus ea correptus; V. VI. intactus: an fuga dyſentericorum: Miasmate apud aegros naſo, oreque ſuſcepto? nec audacia ſemper praecavet morbos; nec timor ſemper & ubique allicit eos (§. 72.) Contagium ſubinde validius intrepiditate. An fugienti ſalus? An hypochondriaci a morbis epidemicis immunes?

§. 224. D. XII. Auguſti veſperi hauſtu aquae egelidae putealis, praevia veſtium ob aeſtus intolerantiam mutatione, FRIGUS SCROBICULO CORDIS majus (§. pr.), nec laſſitudo nec gravitas membris. An orificio ſuperiori ventriculi morbi fomes? Eadem veſpera FLUXUS HAEMORRHOIDUM modicus. Quale fluxus ille cuivis fere morbo decantatum prophylacticum? Sol, nubes, aeſtus continuus, tranquillum. Euro-Boreas NO. veſperi

ſperi aer tepidus. Nox XII-XIII. dulci inſolito alias ſtipata ſomno (§. 116.).

§. 225. Die XIII. Ej. mane ſurgenti intenſius pedibus (§. 223.) frigus. Pomeridie DIARRHOEA INCRUENTA modica cum borborygmis, ſine torminibus. Veſperi pedilavium calidum; ſed ob ſtimulum urgentem brevis in eo mora. Dies calida. Sol. Nubes ſparſae. NO. placidus, gratusque.

(*) A linteis deterſivis & tibialibus frigidis incommoda (§. 214.*)

Nox XIII-XIV. ob palpitationem cordis anxiam inſomnis. Dejectiones quatuor prima vice cum tenesmo non cruentae. DOLOR PRESSORIUS regioni pubis, viſceribus ad inguina quaſi protruſio, deſcenſus cum murmure. SYDENHAMO verae dyſenteriae index: nonne addendus TENESMUS? Die XIV. Ej. frigus mane toti corpori; tranſpiratio nulla. Facies pallida. Cuti ſiccitas. NAUSEA (*); absque ventriculi onere; adpetitus proſtratus. Hauſtu vini rubri (*Pontac*) cum pauxillo macis, tenesmus, dejectionum numerus auctus, aeſtus inteſtinis.

(*) Nauſeae intervallum ad Diarrhoeam in ratione inverſa virulentiae contagii? Illa licet ex obpoſito agens tenesmum non praeſcidit.

Numerus dejectionum absque ullo cruore commixto quotidie increſcebat ita, ut jam die XVI-XVII. nycthemeri ſpatio ad quinquaginta & ultra adſurgeret.

(*) Ephemeridem coeli, & adſcendentium dejectionum numerum ulterius adnotare vires fractae non ſivere.

§. 226. D. XVII. Ej. Cum vires fractae e lecto ad deſidendum ſurgere negarent; vicini ſuaſu in eo manenti, ſuper ceratum nigrum cubanti linteis materia excepta. Brevi minor dejectionum numerus; tenesmo (humido) vis & frequentia ademta; ſudori arte promoto (vid. infr. §. 227.* 8.) conſtantia ſalutaris; ſomni matutini ad horas reditus. Nocte XIIX-XIX dejectionum numerus ad viginti quatuor (die quandoque minor), ſequentibus decreſcebat ſenſim diebus, ut tandem D. XXV. Ej. de die unica modo dejectio. Tenesmo ſine ma-

teria (*ficco*) ſuperſtite, cui, lectum non deſerendo, reſiſtentia; violenta, moderamen.

Materia ab initio fuſca craſſa; (§. 223. 225.) a XIV-XVII. tenuis, aquoſa, loturae carnium ſimilis. An miasmatis colliquativi, an colliquationis humorum indicium? inde ad XXV. usque flaveſcens ſpiſſa uti infantum (forte a ſimili nutrimento? vid. infr. §. ejusd. *3.) Odor, muriae ex braſſica capitata alba ſale condita, quandoque pulpae pomorum putridae. Indoles materiae, miasmatis ope liqueſcentis, inteſtinis mutatae? An odor miasmati talis? (§. cit. *. 2.) interim nulla corpori vera quies, occulta incoercibilisque agitatio; ſomnus interruptus.

§. 227. Huic Periodo (§. 223-226.) ſequentia SYMPTOMATA ſocia.

(*1.) Nulla praegreſſa horripilatio nec tormina unquam. (dyſenteria frigida putrido-mucoſa?) (*2.) Die jam XV. SAPOR ORI *Acido-Auſterus*; quaſi ex ſolutione ſtanni cum Spiritu Nitri. Anne miasmati ore hauſto talis ſapor; aut liquori gaſtrico impertitus ab illo talis? (*3.) Die XVI. SITIS magna. Palato, faucibus potius quam oeſophago. (SPASMODICA? §. 132.*) Infuſo fervido (*) Thee-*Boey* modice ſaturato, cum vitello ovi conquaſſato, ad quartam partem lacte remixto ſaccharato (§. 176. ad XIV. Februar.) avide & affatim (quovis nycthemeri ſpatio ad minimum ducentum unciarum) conſtanter ſine nauſea hauſto, temperata quidem, ſed non extincta. Dejectionum numerus tanta copia non auctus.

(*) Calida quaevis imo fervida gratiſſima; a medicamine aut potu frigidis aut tepidis ventriculo ſtatim majoris (§. 224.) ſenſatio frigoris; omniumque exacerbatio.

(*.4.) TENESMUS irreſiſtibilis omnium moleſtiſſimus, ratione dejectionum increſcens, (ſignum pathognomonicum dyſenteriae: imo morbus ipſe?) mucum principio morbi (humidus) flaveſcentem quavis vice exprimebat. In ſtatu & decremento ſola ſphincteri contractio ſpasmodica, (ſiccus inanisque.)

Ex

Ex tenesmo non ex materia ſtimulus ano praefracto impetu: tenesmum tollendo an dyſenteria tolleretur ſimul & ſemel: ſed quomodo? Cui leniendo una veſpera bihorio bina clysmata terebinthinata cum lacte, ſaccharatā tepida lentè (§. 123.) injecta; ſed vi morbi ilico rejecta, irrita. Lenimen maximum ab inſeſſu cubo querno perforato (§. 208.* 1.) prunis teſta ſuppoſitis perceptum: niſi vires defeciſſent inſedenti. (*5.) Noctes ab initio plures ob dejectionum frequentiam (§. 226.) inſomnes, vires adimentes ſine aeſtu febrili; ſomnolento pavores totum concutientes corpus (§. 218.). (*6.) Lucta lipothymiae cum viribus vitae; tenesmi cum ſurgendi e lecto neceſſitate negatis viribus; vitae cum letho, diſceſſu e vivis in tolerabiliora. (*7.) Anus poſt quamvis dejectionem tenesmo ultra pugni molem protrudebatur; tremula impotenteque manu operoſe ſtatim repoſitus, tactu frigidus. (*8.) Sudor Infuſo Thee (*3.) fervido; pulvinaribus calefactis abdomini, lumbisque adpoſitis cum levamine prolectus (*).

(*) Vulgus morbi inſultum torminoſi in prima ſuffocavit herba, ſtatim ab initio in clibano calefacto prono corpore per horas jacendo, ſudando, lectum petendo, calida ſorbillando.

Lecto tibialibus munito, tenesmo urgente, exſilienti ſellamque perforatam, cui calida infuſa fumans, petenti, ſupprimebatur ilico. Ab hac alternatione horrores plurimi, dejectiones multiplicatae, morbi pertinacia.

§. 228. Medicamenta hac periodo (§. praec.) a me, iis parum licet fidenti, praeſcripta: die XIV. (§. 225.) R. Aquae meliſſae quater cohobatae (*) uncias duas, pulver. gumm. tragacanth. drachmam unam. ſyrup. capill. ℥ unciam ſemis. M. D. ſubinde lambendo frigide. Parum inde allevamenti. Die XV. R. Aq. ceraſor. nigr. unc. duas. pulv. gumm. tragacanth. drachm. unam. ſyr. capillor. ℈. drachm. ſex. M. Itidem incaſſum. Die XXI. R. Olei amygdal. dulc. rec. expr. drachmas duas cum ſacchari drachm. ſex triti. Gumm. tragac. drachm. unam. Aq.

Aq. ceraſor. meliſſae āā unciam unam ſemis; flor. naphae drachm. duas. M. Ob ſaporem nauſeoſum oleoſorumque haud conſumptum.

Die XVI. Auguſt. Infuſi Theiformis ex floribus roſar. rubr. & papav. rhoead. āā. cochlearia quaedam avide ſemel modo ſorbillata: Nauſea. Die XIIX. Ej. ſacchar. roſat. tabulat. offic. pauxillum vix una vice demorſum, roſacea ex inſtinctu anhelanti, ilico taedium.

(*) Aqua meliſſae ad olei ſeparationem vigeſies cohobata, ſpirituoſa, plures annos ſine nube ſervabilis. Mulieribus gravis plurimis: forte ob nimias virtutes?

§. 229. Die XXV. Ej. FEBRIS TERTIANA *regularis* ſtataria (autumnalis): hora tertia pomeridiana lectum tenenti horripilatio toti corpori, aeſtus moderatus ſubſequens, tranſpiratio, ſitis non aucta, paroxysmorum quivis bihorius, eorum intervallo vera apyrexia, quies jam a primo aliqualis corpori, aeque de die ac noctu; quarto ſine remediis ſponte terminata paroxysmo febris.

§. 230. D. XXX. Ej. Pomeridie vini hungarici rubri auſteriusculi, egelidae ānā uncia ſemis mixti hauſtu ſitis urgens temperata, non ſublata. Hora tertia horripilatio ſolita, ſed ſine aeſtu, quarta Infuſi *Thee* cum lacte ſoliti unciis viginti extincta ſitis. Hora nona veſpertina lectum mutanti, brachii extenſione PALPITATIO CORDI tota nocte, ſomnus ſomnolento excuſſus. Media nocte ſanguinis ſinceri ex ano recondito profluvium absque torminibus aut pulſatione, ſtragula penetrans copioſum ad horas (*). PALPITATIO durante fluxu auctior. Hora prima D. XXXI. Infuſi *Thee* fervidi toties citati unciis viginti avide potis, abdomini pulvinaribus calefactis impoſitis ſudor prolectus. Fluxus verſus horas matutinas ſenſim remittebat, nec ſomnus mane ullus. De die Mixtura ex pulv. gum. tragacanth. Drachm. una. Aq. acaciar. Unciis duabus ſemis delibata modo, ſuperbibendo infuſum *Thee* &c. brevi neglecta. Carpis hora

ra tertia pomeridiana ligatis demum palpitatio diminuta.

*) HAEMORRHAGIA ANO, *Inteſtinis?* (§. 88.)

**) SYDENHAMO ſanguinis hic fluxus gangraenam inteſtinis, interitum minax aegris. Exceptio miſero!

§. 231. TENSIO TENDINI utriusque MUSCULI GRACILIS prope ſynchondroſin oſſium pubis, ſenſatio chordae tenſae non dolens, ſartorii, vaſtique interni tendines in conſenſum trahens. Die XXXI. Auguſt. notabilis prima vice, cujus initium jam heſterna veſpera aliquomodo obſervaſſe viſum. Tenſio haec cruribus extenſis moleſtior primis annis veſperi increſcens, ſomnum turbans, mane remiſſior; ſedenti, cruri praeſertim ſiniſtro ſubinde rigidiusculo extenſio ad tremorem usque; meanti major movendo difficultas, nec frigore exaſperata, nec calore mitigata aeſtivo, animo agitato, aut intento meditationi fortior; animi imperio minime ſubjecta, fluxu haemorrhoidum immutata, ſerioribus annis mitior quidem, ſed ad hunc diem moleſta perennans. REMEDIA nulla: qualia?

(*) An decubitus ibi materiae dyſentericae? An exſiccatio particularis tanta fluidorum jactura? An ſequela diri morbi? An contracturae initium? An adfinitas inter dyſenteriam & colicam pictonum pareſi crurum exceptam?

§. 232. D. XXXI. Ej. Fluxum hunc ſanguinis ſinceri (§. 230.) frequentiores, cum tenesmo mitiore quidem, ſed ſine torminibus excipiebant, quae hucusque parciores fuerant, dejectiones. Materia vitello ovorum inſpiſſato grumoſo ſimilis (§. 226.), ſtriis cruentis pomi conſtans putridi odor: Dyſenteria recidivans cruenta? Somnus iterum aegre carpendus, cui invitando D. IV. Septembris ad lecti introitum plures ſucceſſive veſperas lintea aqua roſarum frigida ebria fronti, ſed incaſſum (§. 176.) ad VIII. Febr. impoſita. D. IIX. ej. Recidivae finis lecto. Alvus de die modo ſemel lubrica. D. XI. Tenesmo ſicco terminus. Eod. adpetitus ciborum ſolitorum redibat, cui hucusque infuſum *Thee* cum Vitello ovorum alimentum unicum nunquam taedioſum.

Cibi ſolidi ventriculo magis amici (§. 159. 169. 176.) fluidi, v. gr. juscula quaevis moleſta; inde palpitatio cordi ſomnum arcens. Vini hungarici, meraci licet, ſapor auſterus. D. XII. XIII. XIV. HAEMORRHOIDES, (alvo demum naturali D. XIII.) ante ſcybalorum compactorum (*) protruſionem veſperi, doloris expertes fluxere: alvo aut evacuato aut molliore ceſſantes.

(*) Alvi obſtructio, ſcybala dura, obſtructione venae Portarum &c. operoſe conquiſita, frequentior Haemorrhoidum cauſa? BOERHAAVE Prael. Vol. I. p. 449, VI. p. 154. Ed. Götting. cura HALLERI.

§. 233. D. XVI. ſq. Ej. Tibiis MACULAE *Rubrae*, ſparſae, groſſi area irregulari utplurimum (*), quaſi ſugillationes; nec dolorificae, nec prurientes, flaveſcendo desquamatae, ulterius obſervare neglectae.

(*) An MACULAE *roſalinae* latiores?

§. 234. Eodem tempore PRURITUS non modo dorſo pedum Empl. e Ceruſſa ſimpl. off. (§. 186.) licet tectorum continuus; imo & toti corporis ſuperficiei ad potum calidum quaſi aciculis pungitivus, (§. 211.) expanſus: PURPURAE SPURIAE (§. 178.) prodromus? cujus licet haud viſibilis eruptio brachia nocte nudando, corpus leviter quoque de die tegendo, ſudorem ſupprimendo, calidum vitando potum praepedita, paucorum intervallo dierum, attamen epidermidi univerſae deſquamatio pruriginoſa, pulverulenta, alba (uti ab exanthematibus adultis §. cit.) eam excepit. An interitus ab epidermide deſtructione minimorum vaſculorum initium? An ſudaminibus potius, quam hiſce exanthematis praecavendis praevalet haec prophylaxis? A D. XVII-XXIV. ſtatus reconvaleſcentiae: adpetitus conſtans; ſed quavis hora quinta veſpertina aeſtus, ſiticuloſitas, genis rubor, absque cephalalgia, per plures horas; levis tranſpiratio; paroxysmus febrilis alternis diebus intenſior; nox ſequens minus tranquilla. Sic per febriculam (lentescentem?) valetudinario ſine remediis gradus ad ſanitatem modusque

que familiaris (§. 51. & 177. * 1.) D. XXV. Ej. ſomnus tandem placidus; Morbo finis primario (§. 222.). Sol. Nubes. O ſedatus. D. XXVII. primus e domo exitus debili. Sol. Nubes. NO ſedatus.

§. 235. SYMPTOMATA toti communia morbo:

(* 1.) Pulſus (ſignum fallax?) virium proſtratione incurio nunquam tactus; cordis ictibus moleſtus rhythmus ſatis innoteſcens. (* 2.) Linguae toto morbi decurſu apex dorſumque pura; radici ſoli adhaerente pituita flava tenaci ſitis excitata continua (§. 167.), gargarismate ex ſolutione ſalis ammoniaci aceto vini q. ſ. frigida diluta, temperata. (* 3.) Hernioſo inteſtina, in abdomen ſponte reverſa, tota morbi periodo ibi latebant, nullo unquam niſu protruſa. Stimulantia in abdomen retrahunt prolapſa ſcroto inteſtina: hinc purgantia inteſtinorum ſtrangulationi? (* 4.) Urina initio pauca flammea, craſſo celeri lateritio ſedimento; medio dilutior; fine cruda, tenuis, parca. Ex unciis viginti infuſi Thee (§. 227. * 3.) intervallo plurium horarum vix ſecretae quatuor. (* 5.) Oedema pedibus nullum unquam (§. 64.) an ſolidorum robore, an fluidorum inopia?

§. 236. SYMPTOMATA morbum excipientia:

(a) *nova*; morbo producta? emendabilia.

(* 1.) Motu corporis validiore circa horam quartam pomeridianam ventriculo ſenſus frigoris major; adpetitus paulo acrior; urina limpida. (* 2.) Corporis refrigerio CARDIALGIA, LUMBAGO, BORBORYGMI, hucusque incogniti: an mali hypochondriaci inſultus? (* 3.) Decembri ALOPOECIA ad calvitiem usque (§. 54). (* 4.) INTESTINIS IRRITABILITAS, ad fructus omnes horaeos (§. 15.), mellita, ſaccharata, imo poma Borsdorfienſia, guttulam aceti, acidulas egelidas; colica; pedum refrigerio veſpertino DIARRHOEA. (* 5.) Vini cujusvis INTOLERANTIA (*). Avaris ejus hauſtibus ventriculo frigidum onus (§. 17.), genua inde greſſusque debilitati.

(*) Stomachus debilis vinorum optimus index?

(*6.) Ad minimam brachii extenſionem (§. 232.) aut corporis repentinum lecto motum palpitatio cordi ad horas & ultra.

§. 237. SYMPTOMATA (b) *priora* morbo; eo ſuperato remanentia, exaſperata, immedicabilia &c.

(*1.) Virium tam animi quam corporis IACTURA. (*2.) genubus tibiaeque tuberculis (§. 70. 80. 156. ſedi Arthritidis) DOLORES ad coeli mutationes pungitivi (§ 177. *5.): an hoſpitantem ibi materiam ſuſtulerit dyſenteria? quale pro purgantibus podagrae eliminandae argumentum? (*3.) MANIBUS TREMOR, poplitibus laxitas, STANDIQUE IMPOTENTIA (§ 93. *8. a.), PEDES TITUBANTES greſſusque incerti. (*4.) Anus, minore quidem mole, minorem ob impetum prociduus (§. 227. *7.). Effectus ſalutares, an deſtructores ſanitatis morborumque, directore Natura? REMEDIA (§. 236. 237.): divina bonitas; ciborum indulgentia gratorum; tempus; patientia.

(*) Ne dicam ulterius de malo hypochondriaco & melancholiis; haemorrhoidum fluxu; cordis palpitatione; ſtrepitu aurium; exanthematibus rubris quovis poſteriore anno. De quibus infra Tab. VI. Quibus omnibus ex hypotheſi (precaria?) remedio fuiſſet Dyſenteria.

DYSENTERIAE TABULA SYNOPTICA.

DIES Menſis	Morbi	MORBI Decurſus.	MORBI Symptomata.	LUNA.
Auguſt.				Initium Morbi
XII.	1.	Frigus ſcrobiculo cordis	Haemorrhoides fluentes.	d. V. poſt plenil.
XIII.	2.	Diarrhoea incruenta.	Palpitatio cordi.	Perigaea.
XIV.	3.	Sedes quatuor. Tenesmus.	Nauſea.	
XV.	4.	- - -	Sapor acido-auſterus.	ultima quadra.
XVI.	5.	- - -	S is ſpasmodica.	
XVII.	6.	Dejectiones 50.	Ano procidentia.	
XIIX.	7.	- - -	Lipothymiae.	in ♏
XIX.	8.	Sedes 24.	Pavores nocturni.	
XXV.	14.	Sedes 1. Tenesmo humido terminus.	- - -	XXII noviiun.
				XXV-XXX.

XXV-XXX.	14-19.	- - -	Febris tertiana regularis.	XXVII. apogaea
XXX.	19.	- - -	Sanguinis finceri profluvium.	prima quadra.
XXXI.	20.	Diarrhoea cruenta :	Tenſio tendinibus M.	Septembr.
Septembr.		recidiva.	gracilium.	VII. plenilun.
VIII.	28.	Diarrhoeae finis.		X. perig.
XI.	31.	Tenesmo ſicco terminus; adpetitus ſolitus.		
XII-XIV.	32-34.	- - -	Haemorrhoides fluentes.	
XIII.	33.	Alvus naturalis.	Sugillationes Tibiis.	ultima quadra
XVI.	36.	- -	Pruritus Dorſo pedum, toti corpori.	XIV in ☌.
			Desquamatio.	XXI. novilun.
XXV.	45.	Somnus placidus : Morboque terminus.		XXIII. apogaea.

§. 238. Si atrocitas morbi, ſymptomatumque copia, dejectionum numerus ſtadiorum morbi norma, erit INITIUM cum incremento a Die XII-XVII. Auguſt. = 6 D; *ſtatus* a D. XIIX-XXV = 8.; *Decrementum* a D. XXVI. Ejusd. ad XIII. Septemb. =20; *Reconvaleſcentia* a D. XV-XXV. Ej.=11. D. Sic periodus totius morbi = 45 D. & Ratio eorum inter ſe :: 2 : 4 : 10 : 5. fere. Duratio diarrhoeae non cruentae = 12; cruentae = 8 dierum : ratio earum :: 3 : 2. Tenesmi vero morbum ipſum conſtituentis (§. 227* 4.) periodus = 28. D. Ejus intervallum ab initio morbi = 3 D. eorum ratio :: 28 : 3 :: 9 : 1 : fere. Alvus laborabat per dies 31. Epidemiis more ſolito Dyſenteria cruenta praecedit incruentam; ſed inverſe ſe habuit hucusque deſcripta (§. 225. 232). An periodus longa, intervallum deliteſcentiae breve activae index cauſae? (§. 177 * 3.) MORBORUM ACUTORUM menſium 1759, qui vel dyſenteriam praeceſſere, vel eam concomitati vel ſequuti, exhibet ſequens Epidemiae Tabulae meteorologicae (§. * 222.) reſpondens TABULA:

(§*238.) MAJUS.	IUNIUS.	IULIUS.
Angina ferosa. Colicae. Diarrhoeae. Febris. { continua. / ephemera. / erysipelacea. / tertiana notha. / epidemica. Haemoptysis. Oculorum Inflammatio. Pleuritis.	Febris. { catarrhalis. / ephemera. Haemorrhag. narium. Oculorum inflammatio. Podagra.	Colicae. Diarrhoeae. Dysenteria. Febris. { Acuta. / Catarrhalis. / Erysipelacea / Tertiana notha epidemica anticipans. Oculorum inflammatio.

AUGUSTUS.	SEPTEMBER.
Colicae. Diarrhoeae. Dysenteria. Febris. { Acuta. / Catarrhalis. / Ephemera. / Erysipelacea. / Urticaria.	Angina ferosa. Colicae. Dysenteria. Febris. { Catarrhalis. / Ephemera. / Rheumatica. / tertiana notha anticipans. / Urticaria. Oculorum inflammatio.

*) Qualis consensus inter coelum morbosque (§.*222.)?

§. 239. Abscessus gingivarum superiorum in- & externarum *Membranae palati* lateris dextri, inde Ulcera Ori interno manantia.

Ibid: a. 1761. M. Octobr. aet. 48. D. XXVIII. levissimo vespertino horrore praegresso dolor absque tumore arcui externo superiori gingivae dextro lacerans, potu calido auctus; ad lecti frigidi introitum exasperatus frigida sopitus, ore vacuo silens. Cruribus dolor rheumatismum mentiens nocturnus: Coelum nubilum, pluviosum sedatum, nox placida. Sequentibus diebus noctibusque dolor intermixtus vigiliis somnoque. D. XXVI. ej. nocte praegressa insomni dolor quavis hora ad calidae attactum pulsans: Coelum uti XIIX. huj. Nocte sequente ob dolores extensos parcus. Dolorum insultus quotidie vespertini

tini nocturni eodem gradu, noctes inquietae insomnibus mixtae, pruritus dorso pedum ad finem mensis usque D. Novemb. VI. Coryza licet durante nullum doloris ad potum calidae lenimen; cessante aliqualis diminutio, sed intermissio nulla; triduo post primam quadram, coelum nubilum, pluviosum. Somnus interruptus partitis vicibus sine refectione. Dolor inde quotidie recurrebat usque ad D. XX. quo exacerbatio de die nocteque doloris; calidae ori intolerantia: mane nebula, de die Sol, Nubes, frigus; die post ultimam quadram. Noctes insomnes intermixtae somniferis; per septimanas plures successivas vesperi lecto plumaceolas aqua vulneraria Gallor. spirituosa humefactas frigide gingivae adpositae momentaneo sed non durabili solamini; nam D. Decembris XXI. dolor auctus, noctibus inquietis praegressis: nebulosa, frigida, tranquilla dies, O. D. XXIII. Ej. pomeridie dolor terebrans quatriduus ad foramen infraorbitale malae dextrae lente pulsans, acutus, (similis A. 1754. M. Mart. §. 153.) cute externa pallida, tactum non ferente. An rheumatismus frigidus? an arthritidis insultus? an staseos extensio? Palpitatio cordi; vesperi levis horror; dolori augmentum sine aestu: coelum uti D. XXI. D. XXIV. dolorum aliqualis remissio, calidi ori tolerantia: Coelum temperatum, nox insomnis ob palpitationem cordis. D. XXV. Ej. dolor ad medietatem gingivae supra dentes incisorios externam, ibi tumor demum aliqualis, impositis caricis semiustulatis, pomeridie XXVI. pus tenue absque cruore (§. 208.* 10.) foetens sponte apertus per aliquot dies fundebat, lumine ad mensem sicco calloso; (Chirurgis quandoque cariei index?) calida nunc ferenda; frigida contra intolerabilia. Hora quarta vespertina horripilatio; aestus extra lectum; in eo transpiratio circa mediam noctem, palpitatio cordi frequens. D. XXV. Sol, nubes, temperata sedatumque coelum. Nocte palpitatio cordi; somnus per intervalla: Coelum D. XXVI. Sol, nubes; temperatum, sedatusque SW. Novilunium. Nocte somnus diremtus. D. XXVII.

ej.

ej. cordi palpitatio horripilationi paroxysticae vespertinae, ad lecti introitum hora decima superveniens horror novus, dolorque gingivae tam ex-quam internae lateris dextri vehemens pulsatorius; transpiratione mitigatus. Vesperi dolor ad plantam pedis urens ad calcaneum usque: Coelum uti heri. Nox nivosa somno stipata. D. XXVIII. ej. dolor de die intermittens; vesperi redeuns, post sudorem copiosum nocte remissior, matutinis demum horis terminus: Coelum uti heri. Nox somno partito. D. XXIX. Ej. dolor tota die silens, circa cubitum recrudescenti palpitatio cordi, jactigatio, somni defectus accedebant: Coelum uti heri; nix soluta; nocte somnus nullus, matutinus modo quadrihorius. D. XXX. Ej. Tumori gingivae dolorifico augescente, ori externo plures dies horis vespertinis 3-6. sacculi lanei speciebus resolventibus repleti, aqua cocti impositi, hora nona ad lecti introitum dolor acutior ad undecimam usque; palpitatione cordis tota nocte insomni, angore, aestuque sequentibus: Coelum uti heri.

*) A decubitu supino doloribus tensivis lenimen; a laterali, praesertim lateri dextro, exacerbatio; hinc in posterum cubatio dorso (§. 25.).

D. XXXI. Ej. Viribus exhaustus, dolore licet diminuto, lecto tota die adfixus. Specierum lignorum infusum theiforme (§. 176. 211.) mane & vesperi ad transpirationem usque sorbillatum sine dolorum notabili diminutione; hora etenim septima vespertina insultus dolorificus fortior; gingivis aqua vulner. spirituosa pura ut d. XX. adplicata: nimis vero urens, aq. rosarum p. aeq. diluta: irrita. Cordi palpitationi perpetuae leniendae jam pomeridie sacculos discutientes calidos, humidos regioni hepatis cum aliquali (an imaginario?) emolumento inpositi. Nox tandem somno stipata. Coelum uti heri. Caeterum adpetitus post noctes somniferas constans; sapor exquisitus; horis doloribus vacuis vera apyrexia; nulla cephalalgia. Alvus naturalis. Animus tranquillus. Mens activa.

§. 240. Ib. A. 1762. Ianuarii I-XIV. paroxysmis quotidianis regularibus vespertinis dolorificis induciae. Tumor parvus

(§. 239.

(§. 239. d. XXV. Decemb.) remanens gingivae. Noctes somno stipatae solito (25.). Egressus e domo officii ergo, medicamenta quaevis sepositа, d. XV. dolor novus pulsatorius vespertinus loco adfecto. Coelum nubilum, sedatum, temperatum, reliquum rigidissimi hyemis. Toto vere, dimidio aestatis tumor raro dolore nullo incremento subsistebat. D. Iunii XVI. dolor lacerans ad potum cibosque calidos gingivis tam superioribus, quam inferioribus lateris dextri, irregularis; ad frigidum nullus. Coelum calidum; nubes, imbresque solis radiis alternis S W. Die XXII. novilunii absque epithematis evanidus. Sol. Nubes. S W. frigidiusculus de die, vesperi N W. Anni reliquis mensibus ad finem usque tumori parvo residuo rari, nec a certa causa oriundi, cautelas & pharmaca eludentes dolores, variabiles; nec colica, dolore cruris, pediluviis aut pruritu pedum aut dolore terebrante calcaneorum derivati aut mitigati.

§. 241. Ibid. A. 1763. Martii 24. Aet. 49. anno climacterico septimo. Tumor ab extus ad intus parva supradicta (§.pr.) mole e regione sedis prioris migrabat: coelum asperum. Nox XXIV-XXV. insomnis ob palpitationem cordis, doloremque tensivum cito increscentis tumoris ad membranam palati interiorem supra dentem incisorium dextrum pulsantemque ad totum palatum se extendentem. Die XXV. caricae discissae aqua calida emollitae tumori castaneae voluminis impositae, ob acidum inde saporem salivae ingratum brevi remotae. Hora tertia vespertina abscessus sponte ruptus pure absque cruore (§. 208.* 10.). foetido per plures dies effluente: coelum uti heri. Nox XXV-XXVI. ob palpitationem, doloresque abscessui tam aperto quam novo vicino oriundo itidem insomnis: de die calor absque pulsus duritie, internus, sine siti. Caricibus novo d. XXVI. impositis tumori circa vesperam ei quoque apertura spontanea, pure incruento foetido. Mane nix copiosa, die Sol, Nubes; sedatum, frigus intensum, nocte somnus exhausto viribus. Suppurationis sine topicis (quomodo adplicandis?)

dis?) demum febre catarrhali die XIV. April. coelo nubilo temperato S W, poſt novilunium ſocia terminus die XXI. Ej. dies primae quadrae coelo nubilo frigidiusculo. Tumore anteriore evanido, tuberculum elaſticum ibi remanens preſſione dolorificum pure repletum d. VIII. Maj. absque notabili praegreſſo dolore ſponte ruptum pure prioris indolis. Sol, nubes, aeſtus, ☽ apog. veſperi tonitru cum imbre SW. Paucis diebus evacuato pure conſolidatum, tumore nunquam penitus diſparente, & praeviis ferendis tamen doloribus die XXV. Maj. coelo calido, ſole nubibus alternis, N. NO. maſticationi impediendae, augmentum capiente.

M. Iunio, Iulio, Auguſto tumor (an aeſtivo calore, an copioſe, tam officio, quam ambulatione ſudanti?) evanidus viſus; ſed ſub Octobris initio (an coelo ventis borealibus perflato frigidiusculo?) denuo augmentum capiebat tenſivus elaſticus tumor ad avellanae dimidiae molem, medio Novembris coryza cum febricula catarrhali ad fabae volumen diminutus, cui ad Decembris XXIII. usque immutato, levi horripilatione veſpertina praegreſſa, major moles ſine dolore: Coelum ſerenum, temperatum, S. altus ſedatus. Nox XXIII-XXIV. Ej. ſomno ſolito (§. 25. 240.). ſtipata D. XXIV. Ej. de die dolor pulſans, tenſivus cito increſcenti; pungitivus temporibus. Sol, nubes. S. temperatus tepidus. Nocte XXIV-XXV. nullus ſomnus ob dolores tenſivos, horripilationem usque ad ſecundam matutinam; ſomnus horis matutinis paucus interruptus. Linguae albae ſapor conſtans. D. XXV. hora decima matutina tumori avellanae molis duritie lapidea impoſitae Cepae aſſatae ſub cineribus dulcificatae; ingens ſalivae copia prolecta cujus guttarum aliquot, deglutitione improviſa, ilico Colica; remotis caricae maceratae ſuccedaneae ore retentae. Hora tertia pomeridiana abſceſſus ſponte ruptus, pus ſine cruore foetens ſimul & ſemel evacuatum, ſtatim vulnus clauſum, ſymptomatum repentina remiſſio: Coelum nubilum tepidum; S. ſedatus altus; nocte ſomnus largus ſequente doloribus fracto, aeſtuanti vigiliis, tumore quodam ſemper reſiduo.

§. 242.

§. 242. Ibid. A. 1764. M. Ianuar. Aet. 50. D. XIIX, die ante plenilunium dolores circa horam somni novi gingivae superiori siniſtri lateris lancinantes sine tumore, uti ab initio lateri dextro 1761. XIIX. Octobr. (§. 239.) (Sol, nubes, tepidum coelum, glacies soluta: S procelloſus) qui ad D. XXIV. usque singula veſperi, paroxyſtice lectum petentem calefactum per horas vexabant; de die naribus ſtillicidium ſanguinis: coelum ſerenum ſedatum tepidum. Silentium toto Februario: primo Martii idem tam de die ad calidum, quam veſperi priſtino loco, dolor; coelum nubilum ſedatum; nix veſperi. A die II. utpote ipſa novilunii, qua coelum nubilum, nix copioſa, SW temperatus ſedatus, febricula catarrhali, coryza, palpitatione, noctibus inſomnibus quibusdam minime mutatus periodice quavis veſpera rediens dolor ad d. usque XII. ej. quo die Sol, nubes; ſedatum, temperatumque coelum, O. terminus: (an pediluvio?) Induciae usque ad Maji d. VI. Coelum calidum NW. quo, refrigerio veſpertino dolor loco tempore iisdem, ſed pulſans cum tumore ad dentem inciſorium ſiniſtrum, qui de die ſenſim ad piſi molem increſcens, tandem die XVI. ſponte ruptus die aeſtuante; die poſt plenilunium, perigaeumque; tumore interno palati dextri ſuperſtite (241.); gingivae ſtatim conſolidatae veſicula priſtino aperturae loco elevata pure, quae absque dolore D. XXIII. ſereno, frigidiuſculo NW, denuo fiſſa pus per plures dies fundebat, lumine eo die clauſo tumoris denuo aucti apici veſicula priori ſimili pure albo repleta D. XXX. ej. forfice lacerata evacuata: paucis poſt diebus claudebatur lumine calloſo plures menſes ſuperſtite: dies novilunii. Sol, Nubes, NW ſedatus, frigidiusculus. Die XXV. Iunii Tumor palato lateris dextri veſperi auctus. De die coelo pluvioſo, mutatis paulo ante veſtibus hybernis cum aeſtivis rheda vecto, frigus horripilanti: coelum nubilum; imbres SW. Luna apogaea: Nox ſomnifera ſequens. Die XXVI. Tumor doloribus modicis tenſivis ad avellanae molem increſcebat: Coelum uti heri. Nox ſequens ob tenſionem tumoris, palpitationem cordis

insomnis. Die XXVII. mane caricae calida maceratae impositae; impatiens dolorum, ad noctem sequentem iterum insomnem avertendam, tumor durus immaturus macula alba nondum visibili (maturi vulgo signum absceſſus) pomeridie lanceola elastica (§. 74 *), fortiter adacta, incisus, metu audaci, puris foetentis sanguinisque copia pro vulneris ratione major exibat. Tensioni ilico remissio; tumori subsidentia plenaria; sed bihorio ad pristinam molem denuo absque dolore adsurgens; nocte somno, pure effuso, demum subsidebat: tonitru cum imbre meridie; vesperi Sol, nubes, SW sedatus. D. XXIIX. Ej. de die Tumor externus gingivae sinistrae superiori hucusque subsidens denuo augmentum capiens vesicula centro media alba pus fundebat; (Sol, nubes, SW. temperatus, die ante novilunium) qui ultra annum apertura calloſa pus, ichorem, serum, lympham succeſſive eructabat; sponte clausus, callo disparente, gingiva plana: nullis remediis saliva, optimo balsamico, unica adluente. D. Iulii VII. Absceſſui palati interno puris exhaustio, consolidatio: tumor superstes aliqualis ex refrigerio de die vesperi auctus; noctu lecto subsidens, sed non deletus calore: Coelum pluviosum tota fere die SW. tepidus; dies post primam quadram; luna perigaea.

*) Barometricas observationes (plerumque dubias?) instrumenti boni defectus instituere vetuit.

Haec ulcerum ori facies Termino MORBONAE quinquagenario ad XV. Iul. h. a. praefixo. Os ad diem, quo haec scripta, (sic ultra quadriennium) doloribus absceſſibus binis immo tribus coaetaneis, tumore palati alternis, adflictum. Induciae vix ad mensem, posthabita anni, tempestatum, vitae generis &c. ratione.

§. 243. Adnotationes & Corollaria:

(*1.) A Coeli diverso tempore imo opposita temperie dolor symptomataque eadem. (*2.) Uno absceſſu aperto, pure ex eo largo promanante, nec novorum ex oppositio latere ortus, nec veterum recrudescentia impedita: an; & si prior absceſſus, fonticu-

ticulus? qualis artificialium ſpes uſusque? (*3.) Pus tumori per menſes quatuor, ſex, octo & ultra, loco humido conditum inſons; gingivis ad formationem puris plus temporis, quam mollioribus partibus requiri videtur. (*4.) Quandoque pus ambobus effluebat luminibus aeque oppoſitis, remotisque, ac arcte juxta ſe poſitis: ſubſtantia celluloſa morbo inducta, gingivis alias duris compactis? An folliculis celluloſis tubi communicantes: an cuique pure turgido lumen proprium? (*5.) An & qualis differentia inter parulides & hoſce abſceſſus? (*6.) Unde dolorum exacerbatio alterno frigidi aeque ac calidi attactu? utriusque intolerantia reciproca, an ab Inflammationis loco, gradu aut materia diverſis? (*7.) Cur ſeneſcenti impetus humorum ad caput anomalus? An a fluxus haemorrhoidalis inde a menſe Aprilis 1760. ſpontanea ceſſatione, aut ſi mavis, ſuppreſſione? (*8.) Fiſtulae gingivis; caries, exfoliatio oſſium maxillarium &c. non ſemper pediſſequae abſceſſibus oris, annoſioribus licet. An ratio in ſolidis magis induratis aut methodo medendi? (*9.) An adplicatione frigidae? (§. 239) „Abſceſſus oris ſatis ingrati, moleſti, & dolentes orti„? juxta HOFFMANNUM Opuſc. Med. Pract. Decad. II. Diſſ. VIII. §. 9. p. 497. qui frigidae externe non adeo favere videtur.

§. 244. MORBI MINORES Decennii V.

praeter communes	N. *4; *6; *8; *9. Decennii I. §. 42.
	N. *1; *2; *3; *17; Decennii II. §. 55.
	N. *5; *13; *14; *15; Decennii III. §. 93.
	N. *1; *2; *4; *6; *7; *13; Decennii IV. §. 155.

ſequentes adhuc occurrunt ordine chronologico.

PEYLAVIAE omnes: Sede hucusque per duodeviginti annos fixa (§. 142.).

*) Ubi de remediis nullus ſermo, ibi nulla adhibita, ſponte diſcedenti naturae relicto morbo.

*1.) 1754. Septembre aet. 41. COLICAE (*ficcae*) insultus ex pedum humida refrigeratione.

*2.) 1755. Martio. HAEMOPTYSIS levis matutina surgenti e lecto, aestus circa pectus modicus, tussicula rara sanguinis rutili e pulmonibus vel aspera arteria eructatio sine motibus febrilibus. Haemorrhoidibus hoc mense non fluentibus.

(*) Haemoptysis idiopathica vel vera? an inde?

*3.) Majo. DIARRHOEA cum torminibus ex refrigerio pedum: COLICA *humida*?

*4.) Iunio. CARDIALGIA, dolor scrobiculo cordis fixus a frigido potu aestate, ano contracto, nec nisu facile aperiundo.

(*) Sequentibus annis leviſſima causa nimis frequentes (§. 256. *2. *4.) infuso *Thee*, calore lecti, cruribus ad abdomen adductis, incurvatione corporis mitigatae: omissae leviores.

*5.) Septembre Aet. 42. Anno climacterico sexto FEBRIS CATARRHALIS *simplex* praegresso pondere corporis a balneo aquae dulcis vespertino nimis calido, efflorescentiae rubrae trunco primo, dein cruribus, brachiis: (SUDAMINA?) ultra quatuordecim dies subsistentia pruriginosa, desquamata.

*6.) Novembre. FEBRIS CATARRHALIS: CORYZA autumnalis periodica cum RAUCEDINE (forte haereditaria (§.5.d.)? lumbagine, *complicata*.

(*) Febris catarrhalis varietas *prima*.

*7.) 1756. Januar. HAEMOPTYSIS similis anno priori (n.2.) forte algoris effectus, HAEMORRHOIDIBUS modice fluentibus? derivatio qualis?

*8.) - Februar. COLICAE *ficcae* insultus, podagrico retrocessionis metus.

*9.) - Augusto. aet. 43. FEBRIS CATARRHALIS, cum coryza, ex suscepto frigore vespertino: Coelo pluvioso, frigidiusculo, Borealibus ventis.

*10.) - Septembr. LUMBAGO post scarificationem (§.215. *1.) *fixa*. An ab expositione corporis aestuantis aeri frigido vespertino?

*11.) - Decembr. RHEUMATISMUS *vagus* a scapula sinistra ad genu dextri latus internum mane migrans, de die eva-

evanescens, noctu rediens. Urina limpida. Haemorrhoides hoc mense deficientes.

*12.) 1757. Ianuar. AURI EXTERNAE, cui frequentius incumbebam, v. gr. Tragi & antitragi praesertim, inflammatio, rubor, DOLOR molestus somnum dirimens, primo observata: mox ab aqua vulneraria spirituosa sola, mox mixtura ex aqua vulneraria vinos. & rosar. āā p. aeq. tepida, splenii s tota nocte impositis aliquale sed tardum lenimen dolorum; inde sequentibus annis incerto tempore per majora intervalla redibat cubanti, e lecto surgenti, (an rheumaticus?) tum vix ultra bihorium extensus dolor pallidae Auri.

*13.) - Februar. FOLLICULUS sphaericus *sanguineus* lividus *sublingualis* ad venas raninas absque dolore subito ortus; postea pungens ad linguae margines, palatum; in posterum masticatione praesertim placentarum butyro semirancido (quod melius parare SILESII harum provinciarum aut nesciunt aut nolunt suo contenti) frixarum calidarum subitanea haec granula per horas immo nycthemeron manentia: ualis morbus? An VARICES?

*14.) - Martio. Mane surgenti VERTIGO cum VOMITU digestionis vitio (cf. n. 6. §. 93.) Infuso *Thee* cum lacte (§. 176.) ventriculus elutus. Aliotempore, gravitas ventriculo, nausea, vertigo &c. a cibis dispeptis largo gelidae hausti ructus promovente sublata.

(*) Vertigo symptomatica?

*15.) - Iunio. DOLOR RHEUMATICUS FIXUS halluci sinistro, flectendi impotentia matutina; de die diminuta: Coelo pluvioso frigidiusculo SW. NW. an levis podagrae insultus?

*16.) - Septembr. Aet. 44. VOMITUS ex ventriculi eodem vitio (n.*14.); potus copiosus: aquae gelidae remedium potus.

*17.) - Octobre. FEBRICULA CATARRHALIS *sporadica*, coryza extra lectum domus custodia superata: Coelum nubilum, frigidiusculum. S. NO.

*18.) - Eod: SPUTUM mane CRUENTUM cum tussicula (an catarrhali, utpote febriculae modo dictae socia?)

(*) Haemoptysis symptomatica vel spuria?

*19.)

*19.) Oculis hoc anno DEBILITAS solito major: Lecturam non ferentibus continuam spirituum penuria. Perspicilla viridia adhibita sed irrita, anni intervallo sepositа, symptomatis v. gr. LIPOTHYMIA, VERTIGINE, caligine oculorum junctis, durante eorum usu aucta jam Novembre 1755. percepta: Symptoma hypochondriacum.

*20.) 1758. Ianuarii initio. DOLOR acutus AURI *externae* (*12.), trago imprimis toto mense matutinus circa finem febris catarrhalis sporadicae (n. *17.) insultus: Coelum: Sol, Nubes. NO. & SW. alterni, sedati frigidi.

*21.) Eod: M. DOLOR RHEUMATICUS femori sinistro *fixus*: alternus cum aure. Coelo nubilo, cadente nive, temperato. NW.

*22.) Februar. *Palati*, *uvulae*, *tonsillarum* aspredo, INTUMESCENTIA, RAUCEDO, PALPITATIO CORDI, deglutiendi difficultas, gelu rigidissimo vespertino aere aperto ore hiante, suscepta, per aliquot dies molesta. (ANGINA sine febre topica *frigida*). Asperitas faucium saccharo candi albo delinita.

*23.) - Eod: CARDIALGIA spasmodica mane a potu Thee *Boey* saturatiori infuso, lacte licet remixto, eodem dilutiore sopita.

*24.) - Majo. FEBRIS CATARRHALIS *epidemica*: ANGINAE SPURIAE insultus cum tussi sicca; sudore, motu copioso nulla diminutio: Potu *Thee* c. lacte &c. lenimen: Coelum frigidiusculum. Sol. Nubes: Venti Boreales: NW. N. NO.

*25.) 1759. Ianuar. initio. FEBRIS CATARRHALIS *sporadica*. Noctes plures insomnes, de die lecti custodia. RHEUMATISMUS *fixus* collo externus, movendi difficultas. LIPOTHYMIA scriptione aut lectura oculorum debilitati falso adscripta. (*19.) TENSIO *capiti*, menti intentio involuntaria. Coelum temperatum. Sol. Nubes. S. SW. procellosus.

*26.) - Eod: sub fine. DOLORES RHEUMATICI scapulae sinistrae, artubusque *vagi*. Coelum nubilum, temperatum, glacies soluta. SO. S. SW. Dorsi linteis calidis frictione calor tota nocte: nulla vero remissio.

(*)

(*) Rheumaticis doloribus quibusvis, nulla, nisi frictio linteis aut pannis laneis, tentata remedia.

(**) Ab alterno aestu hypocausti geluque hyberno nulla dolorum exacerbatio.

*27.)- Februarii fine LUMBAGO. Coelum nubilum: O sedatus.

*28.)- Martii initio. DOLORES RHEVMATICI *vagi* scapulae brachioque sinistro, dorsoque. Coelum nubilum sedatum S. SW. O. SO.

*29.)- Sub fine ejus. SAPOR ORI *austerus*, diuturnus, postea salis medii (§. 155. * 11.) ab opio lenimen, sed alvo segnities, utplurimum post animi motus, curasque, quandoque ultra menses protractus; HAEMORRHOIDIBUS interea fluentibus (§. 155 * 8.). Nec infusum *Thee* aut succoladae cum aqua calcis solutio, aut animi mutatio illum temperare aut tollere valebant: hypochondriaci quid?

*30.)- Majo. INSULTUS COLICAE cum DIARRHOEA; pedum refrigeratione (*3.). Hoc casu nulla ano spasmodica constrictio.

*31.)- Septembr. Aet. 46. LUMBAGO sinistri lateris in apri-co, reconvalescenti (§ 236. *2.) suscepta ex refrigerio. Sol; Nubes. SO. sedatus.

*32.)- Decembr. COLICA *humida* ex refrigeratione abdominis: dejectionum impetu sphincteris constrictio victa (*3; *30.).

*33.) Eodem. SPUTUM CRUENTUM, facile, pituitosum, salsum, glutinosum, pellucidum, sanguine aut tinctum aut striis radiatum, praegressa palato aut pharyngi titillatione, unico rejectum screatu absque tussi mane surgenti e lecto: de die sapor ori sanguinis. (Haemoptysis (mixta) spuria? (*18.) NARIBUS SANGUINIS STILLICIDIUM coelo nubilo: NO. a drachma semis pulveris temperantis ex nitro depurato & Sale Seignette āā p. aeq. multa aqua soluta gravitas ventriculo, ideo remotus; abstinentia a nimio motu & potu coffee per aliquot dies morbo, forte sponte cessaturo, finis.

*34.). A. 1760. Initio. PAVORES (sano?), convulsio seu concussio repentina, toti corpori SOMNI capessendi momento. Maxillae inferioris ad superiorem allisio subita; MORSUS

labris; EPITHELII LACERATIO, GLANDULIS eorum CONTUSIO dolorosa, TUMOR lividus, spatio nytchemeri sponte discussus, ultra biennium quavis septimana hyeme aeque ac aestate saepius recurrens. Impositio labris linteo, Maxillae noctu adligatio inferioris adlisioni impedimentum: forte ob salivae adluitionem sequelae benignae labrorum laesioni non semper felix exitus?

*35.) Ianuar. initio. INSULTUS COLICAE *siccae* frigore itinere contracto (* 4.).

*36.) - Sub fine ej. RHEVMATISMUS *fixus* humero dextro ad brachium usque, fluentibus simul HAEMORRHOIDIBUS,(*) mox ad collum, mox ad crus dextrum diverso anni tempore extensus.

(*) Qualis HAEMORRHOIDUM salubritas praesenti morbo (* 7.)?

*37.) - April. CARDIALGIA ab acido v. gr. a jusculo acidulato; quae causa frequens. Infuso Thee dilutiori c. lacte sopita.

*38.) - Iunio. INSULTUS COLICAE *siccae* ob frigus ventriculo. Lintea calefacta imposita. An frigore vespertino insolito? etenim pruina glaciesque mane diei XV. Ob coelum pluviosum frigidum ventosque boreales hypocausta calefacta: quod quoque d. XVI. August. factum.

*39.) - Decembris fine Aet. 47. DIARRHOEA cum torminibus (seu COLICA *humida* (*3.) PALPITATIO CORDI, ad lectum, quo fortior, cogens. Coelum nubilum, temperatum. Ultimo anni die Colica sicca: utraque Burgundici vini adusti saccharati c. pauxillo cinnamomi, unciis duabus sopita.

*40.) A. 1761. Aprilis initio. RHEVMATISMUS *fixus* genu dextro, cum flexione dolorosa: an gonagrae insultus? eod. FEBRICULA CATARRHALIS, CORYZA. Coelum frigidum. NO.

*41.) - Majo. FEBRICULA CATARRHALIS, CORYZA, COLICAE INSULTUS *siccae* mutatione vestium. Coelum calidum, venti Boreales. Vino lenimen adusto (*39.).

*42. a) Iunio. COLICAE INSULTUS *siccae*, dolor circa umbilicum fixus, coelo pluvioso, frigidiusculo, aquae Melissae vigesies cohobatae calefactae sac-

ſaccharatae uncia unica temperatus.

*42. b.) - Septembris medio Aet. 48. PAROXYSMUS unicus FEBRILIS, horror trihorius; initium hora nona, veſpertina, extra lectum; finis in eo. Aeſtus dein levis bihorius; ſitis nulla; parca poſtea tranſpiratio; ructus. PALPITATIO CORDIS vehemens ad horam usque decimam matutinam ſequentis diei. Nox inſomnis quiete cubanti. Coelum temperatum. SW.

An ex eſu pyrorum turbinatorum (Gallis: *bon chretien.*) crudorum (§. 43.) veſperi hic paroxysmus? Cur modo *unicus*? quod debilis nimis pluribus impar: robuſtioribus duntaxat plurium longiorumque ſeries?

*43.) - Octobr. COLICA *ficca*, pedum calore temperata. Coelo: Sol, nubes. NW.

(*) Hac colica ani orificium ſpasmodice clauſum (* 30).

*44.) - Novembr. die 7. 8. 9. RHEVMATISMUS *fixus* nocturnus gingivis (§. 239.) COLICA *ficca*, PRURITUS *dorſo pedum* veſpertinus intenſior; FEBRICULA CATARRHALIS: CORYZA. DOLORES CRURI dextro *fixi* eodem tempore, coelo pluvioſo, temperato, nivoſo. SO. SW: morbo complicato locis oppoſitis derivatio nulla.

*45.) - Decembri. Obſervatus prima vice DOLOR lecto modo *calcaneo* pedis dextri terebrans, lacerans, lancinans, matutinus; quandoque ad ſiniſtrum migrans, raro ambo ſimul adfligens, ſomnum excutiens. Tempeſtatis mutationis, procellarum, tonitru, aeſtate; nivis, ventorum, hyeme nuncius fidelis ingratus.

(*) An Calendarium artuum juxta HEISTERUM? an rheumatismus brevis? an podagra quadrantis horae? quale remedium?

*46.) A. 1762. ſub Januarii fine. RHEVMATISMUS *vagus* a ſcapula et brachio dextro ad crus dextrum. Coelum nubilum ſedatum: NO. Forte continuatio (*36)?

*47.) - Eod. DIARRHOEA cum torminibus (COLICA *humida*) ex frigore. Aquae Meliſſae pluries cohobatae, (*42.) calefactae cum ſaccharo mitigatae hauſtus praeſtantior non modo vino Burgundiaco aduſto (*39.) imo Rheo; a quo ſem-

per novus ſtimulus ad deſidendum.

*48.) - Februarii initio. COLICAE *ſiccae* inſultus eod. Aquae Meliſſae etc. (*42, et 47.) hauſtu ſopitus. Coelo nubilo nix.

*49.) - Ejusd. fine. RHEVMATISMUS *fixus* genu dextro; movendi difficultas: an gonagrae inſultus iteratus (*40)?

*50.) - Martio. UNGUIS *degener*, imbricatus, craſſitiei ultra lineam, recurvus ſupra apicem digiti pedis ſiniſtri ſecundi, ob dolores greſſu ſerrula abſcindendus.

(*) Morbi infrequentis mentio non facta, niſi BOERHAAVE in prael. de morbis nervorum Tom. I. p. 324. cura *van* EMS 1761. 8. L. B. et ZVVINGER Theatr. prax. P. II. de Unguium morbis p. 572. ſq. aliique de eo differere dignati fuiſſent.

*51.) - Maji initio COLICA *humida*. Infuſo Thee etc. moderata. An Coelo ſereno frigido, Borea?

*52.) - Medio ej. LIPOTHYMIA poſt noctem placidam mane e lecto ſubito ſurgenti: forte nimio niſu, cubanti extenſo demum praeteriens?

*53.) - Junii initio. Nocte COLICA: an a coelo pluvioſo, frigido? hypocauſto lectoque calefactis moderata (*38.).

*54.) - Eod. medio. DIARRHOEA cum torminibus; CORDIS PALPITATIO, NOX inſomnis. Hora tertia pomeridiana pulveris Rhei (*) drachma partitis vicibus tam infuſo coffee, quam gelida, et cum vino rubro deglutita; quovis horum vehiculo ſtatim vomitu rejectum. Refugium Infuſum *Thee* etc. ſolitum cum levamine ſine rejectione. Coelum aeſtuans.

(*) A Rheo dejectionum numerus auctus (*47.).

*55.) - Octobris medio aet. 49. Anno climacterico ſeptimo. FEBRIS CATARRHALIS epidemica, CORYZA, CORDIS PALPITATIO, NOX inſomnis. Remedium modo dictum infuſum. A pediluvio SENSUS *gravativus tumoris* FALLAX pedibus; aeſtus corpori noctu. Die IX. mane pruina, glacies. D. XVI. prima nix. NO. N. coelum nubilum, frigidum, pluvioſum.

(*) Varietas febr. catarrh. ſecunda. (*6.)

*56.)

*56.) - Novembr. CARDIALGIA, COLICA *ficca*, abdominis refrigerio (*32.). Sol nubes. S. altus procelloſus.

*57.) A. 1763. ſub fine Januar. DOLOR *fixus* genu dextro ad lectum cogens. (tertia (*49.) gonagra?) Coelum: Sol, nubes. SW. altus vehemens.

*58.) - Eod. DIARRHOEA cum torminibus. An frigore? Sol, nubes, ſedatum coelum. Remedium idem (*51.).

*59.) - Maji fine. RHEVMATISMUS ſcapulae ſiniſtrae ſubitaneus, *fixus;* matutinus fortior, veſperi lenimen. An pediluvio veſpertino? Sol, nubes, calidum coelum. N ſedatus.

*60.a)-Junii medio. Nocte integra PALPITATIO CORDI; DIARRHOEA ſubſequens. An ejus ſolutio per eam?

*60.b) - Fine. COLICA *ficca*, lenimen ab Infuſo *Thee* (ad nauſeam usque citato). PALPITATIO ſequens fere tota nocte, ſudore copioſo matutino demum ſoluta. Coelum aeſtuans ſedatum: an ejus influxu?

*61.) - Julio. CARDIALGIA a potu frigido, genubus contractis, ſomno ſopita (*4.).

*62.) - Auguſti fine, aet. 50. COLICA SICCA vino hungarico aduſto ſaccharato aliquomodo ſopita. SW.

*63.) - Novembr. initio. FEBRIS CATARRHALIS, CORYZA, RAUCEDO, epidemica. Coelo nubilo temperato. SW. An ſponte, an pediluvio? extra lectum terminata.

*64. - Decembr. 27. Mane DOLOR *calcaneis* lecto lancinatorius (*45.). Coelum nubilum temperatum. De die SW. procelloſus, veſperi eo ceſſante pluvia. Lunae ultima quadra: in ♑ et d. 28. perigaeo.

*65.) A. 1764. Januar. fine, Aet. 50. NARIBUS STILLICIDIUM SANGUINIS nulla praegreſſa capitis gravitate. An frigore intenſo noctu leviter tecto capiti noxa? praegreſſo mane DOLORE *calcibus* modo memorato, mutationem coeli in mitiorem quoque indicante (*45.) minime derivatorio (§. 240.).

*66.) - Februar. initio. COLICA *ficca*. abdomini nudo venti procelloſi adflatio (*32.) praecedens.

67. - Martii initio. FEBRIS CATARRHALIS epidemica cum TUSSI SICCA, CORYZA, PALPITATIONE CORDIS, nox insomnis (53.). Coelum nubilum; nix copiosa.

(*) Febris catarrhalis varietas tertia. (* 55.)

*68.) - Majo. CORYZA huic decennio ultima, cum horripilationibus de die crebris irregularibus, sine sequente aestu. Coelum variabile.

(*) Coryzae vernae et autumnales quaedam initio adpetitu acriore stipatae, odore et sapore integris. Gravedinis initio lintea calida humida naribus admota aut vapor calidae, vini pauxillo vel drachma Spirit. Vini aut lavendulae acuatae, attractus, aut infusum Thee c. lacte ore detentum sero membranae pituitariae stagnanti fluiditatem conciliavit. Decremento suffumigiis e saccharo, mastiche, tepore lecti loco frigido, coryzae discussio. A frictione pedum derivatio, a pediluviis exacerbatio: optimum derivans laxantia salina?

(**) Coryza non modo regulariter quovis anno bis (excepto vere 1763. forte ob gingivarum abscessum §. 241?); immo quibusdam annis humidioribus ter vel quater invasit. An abundantia seri? an atonia membranae SCHNEIDERI, non semper tumente? an laxitatis signum?

(***) Insultus Cardialgiae utplurimum ad unum; Diarrhoeae ad duo; Colicae ad tres; raucedinis ad quatuor; Febris catarrhalis (simplicis *9.) ad septem dies; Rheumatismi ad septimanas, menses, annos.

(****) Praeter febres catarrhales reliqui sine praevio horrore aut aestu sequente: sic frigidi morbi?

*69.) Taceo: A; [Decenniis quibusdam 1757.) Octobris: Abscessus labio inferiori parvus.

*70.) 1759. April. Abscessus dextrae narium cavitati.

*71.) 1761. Novembri. Corneae opacae sugillatio nocte oborta; sponte paucis diebus, macula rubra sensim flavescente, discussa.

*72.) 1763. Labiorum fissurae frigore hyberno, sebo impletae (§. 55. *6).

*73.) Aestate quandoque sputum pituitosum, rotundum, facile, dulce.

B. Per omnia Decennia:

*74.) Faciei tumor rubens formicans pruriens, Bruma hypocaustum calidum, ex gelido boreali aere, intranti ad semihoram modo. Inflammatio levis, an pernionum genus?

(*) Manibus quoque autumnali tempore sed minus frequens symptoma.

Enu-

Enumeratio morborum defectu potius quam exceſſu peccat. Nam nulla fere dies ſine dolore. Summa: 190.

§. 245. SYNTAGMA morborum minorum Decenniis communium quibusdam:

Angina ſpuria:	—	—	—	IV.	V.
Cardialgia:	per omnia Decen.				
Clavi pedum:	—	II.	III.	IV.	
Colicae:	per omnia.				
Coryzae					
Dentium Caries.					
Dentium Dolor.					
Diarrhoeae:	—	—	III.	IV.	V.
Febres catarrhal.	—	—	—	IV.	V.
Haemoptyſis:	—	—	—	IV.	V.
Haemorrhoides caecae.	—	—	III.	IV.	—
Labiis fiſſurae:	—	II.	III.	—	—
Lipothymiae:	—	—	III.	—	V.
Maculae volit. oculis:	—	—	III.	IV.	V.
Narium haemorrhag.	I.	—	—	—	V.
Ophthalmiae:	I.	II.	III.	—	—
Ori ſapor acidus:	—	—	—	IV.	V.
Palpitatio cordi:	—	—	III.	IV.	V.
Parulis:	—	II.	—	—	V.
Perniones:	—	II.	III.	—	—
Raucedo:	—	II.	—	IV.	V.
Rheumatismi(frigidi)	—	—	III.	IV.	V.
Singultus Soda	omnibus.				
Strepitus aurium:	—	—	—	IV.	V.
Vari:	—	II.	III.	—	—
Vermes:	—	II.	III.	—	—
Vomitus:	—	—	III.	IV.	V.

(*) Morbi aetatis pauci; periculoſi pauciores; maligni pauciſſimi; benigni plures; moleſti: an deſtructores omnes?

(**) Dicta ad finem conſpectus (A. 1-7). heic quoque quadrant.

TABULA SEXTA.

ACCESSORIA.

Morbi per ANNOS imo DECENNIA perennantes.

Serie initii chronologica.

(*) Hiſtoria concatenata praeſtat intercalata repetitione.

§. 246. HERNIA SCROTALIS.

Hernia anterior.

Enterocele Auctorum.

Initium BERNAE Majo 1722. (§. 40.) Aet. 8. Junior ſocors, adultior de bracherio demum 1740. ARGENTORATI cogitare coepi. Varia, a chirurgis variis accepta, adplicui, ſed ab omnibus compreſſio inteſtinis ad marginem oſſis pubis dolorifica; nulla annuli obturatio, prolapſus in ſcrotum non impeditus;

ditus; nimia frictione moleſta, remota itaque ob finis nullam impetrationem, intolerantiam. Multa vidi, nulla probavi; ſine iis vitam ad hunc usque diem absque moleſtia traho. Quibus hernioſis ſuadenda Bracheria?

PHAENOMENA ſequentia: (1.) Noctu inteſtina lectum petenti (frigore forte ejus?) ad latus aut ſupine cubanti in abdomen ſponte redeunt; ſurgenti mane cum ſtrepitu deſcendunt erecto; proceſſu peritonaei excepto; qui modo ad annulum usque ſe reponi patitur: nec teſticulo, nec funiculo ſpermatico, ſed annulo unice adcretus, ſcrotoque vicino incluſus pendulus liberque prolapſus. Omenti cum inteſtinis prolapſum ſigna negant.

(*) An adcretio inteſtinorum ſacco peritonaei adeo cito, ut vulgo creditur, fit?

(2.) Puero nuclei ceraſorum copioſi, adultiori oſſicula aſpera, cartilagines, ſpinae piscium etc. innoxie deglutita. Dilatati diameter annuli qualis olim recenter hernioſo? (3.) Colicis de die doloribus praeſertim circa umbilicum fixis inflatis inteſtinis. Scroto moles major dura. Suffulciente manu tentata ſed non perfecta retruſione aut elevatione ſcroti ſtatim iis remiſſio. Ex hernia nulla alvo obſtructio unquam (§. 14.). Diameter annuli hoc caſu ad unciam; de nocte lecto raro quidem ſaevientibus, contractis cruribus flexisque genubus repoſitio manu facilis; rari borborygmi; rariores circa annulum dolores flatu inteſtinis turgidis. (4.) Inteſtina prolapſa balneo tepido inſidenti ſponte abdomen petunt: forte hinc eorum indicatio herniis incarceratis? (5.) Nec adoleſcenti equitatio absque bracherio per trimeſtre aeſtivum 1737. (§. 33. ☿. Per. tert. * 30.) tacite refraganti (§. 29.); nec adultiori itinera plurium dierum equo facta; nec choreae gratiſſimae ac frequentiſſimae (§. cit. Per. I. * 8; et Per. III. * 2.) nec ſaltatio ſuper foſſas; nec caſus ab alto; nec oneris elevatio aut latio; nec colicae frequentes; nec alvi niſu protruſio durorum; nec dyſenteria (§. 223.), etc. volumen aut moleſtiam annorum 46. decurſu herniae jam in molem ovi anſerini auxere: unde?

(*) For-

(*) Forte recentes pluris periculi et damni quam inveteratae capiunt herniae?

§. 247. MALUM HYPOCHONDRIACUM: auctorum.
An: *Vapeurs*, vapores: Gallis?
An: *Febris nervosa*: Anglis?
AENIGMA pluribus, Dulcedinis Vitae INIMICUS omnibus.

(*) Praeter insultus toties citatos historiam fistit compendium sequens.

Initium BERNAE Februar. 1733. Aet. 19. cujus primus insultus thoracis constrictio vespertina quasi cingulo, palpitatio cordi, scrobiculo cordis pressio, respiratio anhelosa, rara, profunda, sine causa orta, sponte evanida: an Melancholiae fere triennalis praegressae (§. 47-49.) soboles? BASILEAE eodem anno aestivis mensibus Mathematicis ultra vires acriter incumbenti (§. 33. ☿. *21; *22.) recrudescens malum fronti dolore obtuso chronico circa radicem nasi (§. 55. *16.) juncto. An studii hujus effectus, comesque? Cur aetati mediae frequentior morbus?

§. 248. MALUM hilaritati infensissimum juvenili, Characterem (§. 8.), Temperamentum (§. 9.), turbando; Animi facultates (§. 10.) hebetando; immo Idiosyncrasiae (§. 11) maximam componendo partem; educationem (§. 26.) irritam reddendo; Vitam totam taediosam, meticulosam, tranquillitatis expertem, inconstantem, mobilem, contradictoriam, sibi aliisque molestissimam, nec propria, nec aliorum emendabilem produxit opera. Corpus quidem inde non valde adfectum: etenim cephalalgia nulla, adpetitus constans, sapor exquisitus; nec ventriculo, nec hypochondriis inflatio aut tensio; nulli ructus, borborygmique, nec sputum copiosum (§. 10.); membris agilitas. An Ventriculo certa atonia, abundantia acidi, acidorum intolerantia (§. 15; 236. *4.) huc referenda?

§. 249. PAROXYSMORUM irregularium longiorum facies sequens: Animo agitatio indefinens, objecta quaerens, quaesitis inhaerens. Idearum rapiditas, successio celerrima, turba, mens capta, aut subito omnem respuens resistentiam ad cogitationem coacta; ultra vires negotiorum Fames. Anima jugi-

ter curis agitata invitis: SERVA potius quam animi mentisque DOMINA! activitate nimia otiosus: ideis nimiis obruentibus stupidus: renitentia robustus, luctando validus; propensio in lipothymiam & eluctatio inde alterna. Facundia, quasi ex impulsu invita, lassari meditationibus nesciens. Animo (sed perraro) constantia. Futuri incuria. Alacritas malo valentior sanitate congenita (§. 7. 11.). Solem radiantem aegre ferentes oculi, parietes dealbatae irradiatae ad delirium usque intolerabiles (§. 22.); inde idearum torrens? Coelum nubilum gratissimum: an febris acuta, status spasmodicus Sano? contra semel quovis ad minimum anno MENTI adparens tranquillitas: TORPOR. Cogitationibus cessatio; Ideis induciae. Animae quies: potius inactio. Animo socordia. CAPITI GRAVITAS; corpori inertia. Artubus pigrities. Totus ad negotia ineptus. Officiorum parum curax, aut obiter iis vacans: Stoicismus. An Atonia Animo? Status priori obpositus; uterque vario & obposito Coeli statu adoriens: Coelo nullus influxus.

(*) An hujus mali sedes primaria in animo & inde ad corpus propagatio successiva; aut vice versa? aut: an Animus corpusque eodem adficiuntur tempore? Ex hac reciprocatione adfectuum inter se oppositorum tota composita Vita. Qualis, nisi malum continuum hypochondriacum: congenitum? nonne differentia huic morbo ratione causae, sedis, materiae? causa quandoque immaterialis. Morbus tam cum vel sine materia?

(**) Insultibus Mali hypochondriaci & Melancholiae inter se collatis Animae facultates seorsim laedi probabile?

§. 250. Animi vires tot melancholiis olim fractae (§. 47. 75; 127.) Imaginationem jam nimis vividam (morbosam ideo?) in consensum traxere (§. 10.). Cui invito objecta tota vita varia quaevis occurrentia constanter infixa iis facile laedenda, jam laesa foecundanda tenacibus; Animum tranquillitate, corpus somno orbantibus. An causa an effectus: an mutuus eorum influxus? quicquid sit: saltem imaginationis laesae tota vita & SERVUS & MARTYR!

*) Annorum numero increscente haec passio minime decrevit: gradum servasse visa eundem.

§. 251.

§. 251. CAUSAE: Matris aerumnosa mei gestatio (§. 6. b.). Fibra debilis (§. 7.). Idiosyncrasia (§. 11). Atonia Ventriculi. Sanguis nimis dilutus, ejusque penuria. Educatio contradictoria (§. 32) Scientiae (§. 33. ☿.): praecipue Studium Matheseos, Musicae. Animo continua intentio. Fata. Morbi. Itinera ultra Vires. Cura sui nimia (§. 8. a. *). Desiderium vivendi. Futuri Timor. Peccata juventutis. Amor. Pietas (§. 8. b; 26). Vita modice sedentaria sitienti parum, parcoque cujuslibet liquoris potori (§. 16. *)? Verbo: IDOLOLATRIA sui ipsius!

(*) Borealium quorundam fert opinio: Motus neglectum, potus defectum (§. 248.) universales hujus mali esse causas. Sed Milites omnium ordinum; Fabri ferrarii; Oeconomi rurales, Coloni, Aratores, Venatores, aliique activae homines vitae, divites aeque ac pauperes hoc morbo correpti innotuere. An iis malum sine Materia? an a fibra rigida? Extant contra artifices & eruditi tota vita sedentarii minime hypochondriaci, oportet adcedat aliud quid huic morbo producendo? nonne universalitas hujus causae limitanda? oppositae sibi invicem producunt hoc malum? an fortunati soli HYPOCHONDRIACI?

§. 252. In statu sano aut (si quis fuerit unquam?) morbis vacuo gravibus paroxysmi subitanei majores; valetudinario minores; morbo gravi durante minimi, an morbus morbo, uti dolor dolore, obtunditur aut tollitur? an morborum plurimi sunt malum hypochondriacum personatum? Reconvalescentem quovis morbo vero, denuo in ratione augmenti virium ad novum usque morbum caput attollebat, a malis moralibus physicisque nec productum nec auctum malum.

(*) Forte gradus virium determinatus ad hanc recrudescentiam requiritur a malo semper detento?

§. 253. PAROXYSMORUM exacerbatio ad unam pluresve septimanas protracta. Tum noctes aut insomnes, aut graves, aut somno partito, parum reficiente: Scrobiculo cordis pressio quasi ab onere aut digito, pro duratione ejus nullus somnus tranquille jacenti; quo vero diminuto vel sublato, ideae adfligentes somnum arcentes consentientes quasi subito utplurimum

mum delebantur cerebro; animo alma quies corporique ſomnus redibat. Senſatio haec aeque hilaritatis ac triſtitiae cauſa aut effectus. An Sedes ejus orificium ſuperius ventriculi? adfectio paris vagi? Ideae qualescunque (curae potiſſimum) noctu vividiores mutando difficiliores tenaciores die: an genio morbi; an tranquillitate nocturna?

§. 254. Somnus capite linteis aut pannis goſſyppinis leviter obvoluto, cubiculo frigido, pedibus arte (§. 208. * 1.) calefactis, quando eum carpere licebat, cum (§. 25.) deſcripto ſemper idem. Inſomnia tum ſolito laborioſa (* §. 25.). An noctes ad totum aut ad partes ſeriori aevo inſomnes animo licet quieto, corpore doloribus immuni, negotiis, ambulatione, itineribus die praecedente fatigato, huic malo tecte activo tribuendae? Poſt vigiles noctes ſequenti die Calor ſpinae dorſi media bruma; ſolo temperandus ſomno. Noctes graves circa diluculum leviores: quo ſimul vigori decrementum idearum. Dies ſequentes moleſti, inquieti absque laſſitudine, mens ſolito activior quocunque errans: circa crepuſculum lucidior pacatior. Veſperi nequidem ſomnolentia: nocte ſtrepitu expergefacto minimo, animi ilico praeſentia, gravitatis abſentia capiti.

§. 255. In vita clinica actuoſiſſima conſtituto malo huic aut paroxyzante aut remittente jam inde a Menſe Octobre 1757. ſymptomatum ſequens obtigit ſeries moleſta, ad hunc usque diem frequenter recurrens: Animi vel oculorum ſeria lecturae aut ſcripturae vix per horam intentione. Pectori calido ſenſus vacui; GLOBUS FAUCIBUS aſcendens FIXUS pharyngi ſine ructu; oſcitatio; pandiculatio; palpitatio cordi. Spretis hisce, & protracto pertinaciter attento labore, tum: oculis caligo (forte debilitas ex ſpirituum penuria (§. 244. * 19?); ſudor extremis frigidus; NAUSEA; oblivio mei ipſius; animo abſentia; erigenti VERTIGO; auribus tinnitus. An LIPOTHYMIA *hypochondriaco-hyſterica* (§. 12.*) Viro?

(*) Eadem a ſitu diuturno corporis erecto (§. 93. * 8.).

Pro-

Prophylaxis ante ſuſceptum negotium Uncia una alterave Vini hungarici meraci; ſed incaſſum. Symptomatibus levioribus acetum vel aſa foetida admota naribus; aer apertus petitus; ambulatio in eo. Omnibus hiſce ſemper irritis augentibus unicum lenimen, projectio in lectulum per ſemihoram veſtito; cubatus in dorſum extenſis membris, oculi clauſi: Menti praecepta quies. Hoc modo tandem evaneſcentia paulatim. Languor, Virium defectus negotiis vacandis tota die. Quo perpendenda materia gravior; quo profundior ſcientia; quo magis lectio fugitiva, aut auſcultatio aegrorum opem domi implorantium ultra quatuor, eo citiora haec ſymptomata. A ſomno largo praecedente praeſidium nullum. Mane frequentiora, quam pomeridie adſumto cibo. Diebus poſt noctes inſomnes rariora: an ob ſpirituum agitatorum intenſionem robur ſpecioſum cito periens? poſt noctes ſomno ſtipatas reficiente frequentiora: an eo atonia inducta? Senio nulla eorum diminutio.

§. 256: (a.) MALUM (§. 247-254.) ratione, ratiocinio, conjugio, morbo, amicorum conſortio, ſacris & profanis indomabile, nec choreae & equitatio adoleſcenti; nec peregrinationes juveni; nec viro vita activa (*) praxi clinicae variis regionibus ultro dicato; itineribus alpinis (§. 49), medicis, excurſionibus refocillantibus botanicis (Peylaviae pago non excepto (**)) interpolatis; nec HAEMORRHOIDES ſociae (§. 54. 146.) quandoque large diu fluentes, hucusque praeſcindere, minuere aut tollere valuere, rebelle, cui mutando infeſta aeque ac ſecunda inania, nec inquietior inter murmura periculaque belli ac pace. Immo in limine ſenectutis conſtituto (§. 251.), nec motus officiis junctus, moderatus, ambulatorius, rhedae vectio, itinera breviora grata inducias impetrare, quin potius ex iis fatigato inquietudo animo, agitatio menti, corpori tenſio ſpasmodica major, noctes inſomnes, vel ſomno parciores &c. pediſſequa (§. 249.).

(*) Hypochondriaci occurrere, qui corpore ſano & athletico toroſo robuſto, quotidie poſthabita tempeſtatis ratione tria vel quatuor milliaria ambulando dimetiuntur, neglecto ſtadio abbreviatoque anxii, ſtrenui aquae inter meandum potores; venaeſectionis in pede aequinoctialis, praemiſſis laxantibus, celebratores religioſi; multaque alia longa annorum ſerie conantes manent hypochondriaci immutati ſanitatem anhelantes, quam poſſident neſcientes. An nimius motus irritus? an mens ſola laborat? an malum ſine materia?

(**) Quo aliquot plantarum minus vulgarium decades lectae, quas in ditione AVIMONTANA (Coeli & Zonae ejusdem?) tum temporis legere non contigerat.

§. 256: (b) REMEDIA: Pharmaceutica nulla. Qualia, ignoranti certa, aut notis depraedicatisque diffidenti (§. 228.)? de ſpecificis deſperanti. Acidulae variae, inter quas decantatae Veteraquenſes tam in loco ipſo, quam domi frequenter, praeſertim tota per plures annos aeſtate, quavis diei hora, tam methodice, quam pro potu ordinario hauſtae: omnes absque euphoria ſenſibili ſaltem. Motus quoque inanis (§. praec.).

(*) Qualia remedia Morbo inperſcrutabili? Arcanum forſan: DOMINATIO SUI IPSIUS!

§. 257. PALPITATIO CORDI.

Nondum definiendum MALI *genus*. BOERHAAVE.

Incognitum toties quoad ſuas cauſas MALUM; v. SWIETEN.

Initium BERNAE. Februar. 1733. aet. 19. cum MALO HYPOCHONDRIACO (§. 247.).

Morborum in poſterum nuncia, comes, pediſſequa, cauſa ac effectus plurium.

§. 258. CAUSA (I) COGNITA; 1) *Immaterialis*. Idiopathicae; animi motus, terror, taedium, gaudii eo gradu excitatorio incapax; 2) *Materialis* ſymptomaticae; (a) ſano: Dolor, morbus, ſpasmi &c. Ventriculi atonia, onus, cibi dispepti flatulenti congelati, flatus incluſi, potus nimius qualiscunque. Motus ambulatorius, adſcenſus ſcalarum, rhedae vectio coelo aut aeſtuante aut frigido. Brachiorum extenſio. Crurum elevatio lectum intranti. Situs corporis erectus diutinus

nus ſine fulcimento. 3) *Negativa*: animi intentio, meditatio, lucubrationes, laſſitudo, ſanguinis jactura, pediluvia, vigiliae. (b) Reconvaleſcenti: juſcula ſaturata, cremor lactis, infuſum Thee Boey, decoctum coffee c. vel ſine lacte; hinc uſus horum quandoque ad annos intermiſſus (§. 66.*). (II). IGNOTA; nam ſaepiſſime ſine data cauſa ſubito invaſit ſanum: an idiopathica vera? Ex cauſa immateriali Inſultus breviores, mitiores. Mane adoriens paroxysmus tota die ad veſperam usque; veſpertinus vero utplurimum ſub lecti introitum tota fere nocte adficiebat, ſomnum aut penitus arcendo, aut turbando, aut abbreviando. SOLUTIO *idiopathicae:* cum aut ſine madore, ictubus ſenſim debilitatis, circa finem intervalla majora & ad rhythmum naturalem aegre adcedentibus; *ſymptomaticae:* morbi primarii decremento, doloribus, ſpasmisque mitigatis, ructibus digeſtione peracta: *Negativae:* quiete tenebricoſa, ſomno; animi tranquillitate; ſanguinis reſtauratione alimentis &c.

§. 259. Ictus cordi ex cauſa immateriali regulares quidem, ſed lenti, rari, fortes; ex materiali ſymptomatica, celeriores mitiores; motu corporis forti repentino ſuperveniente duplicati irregulares, intermittentes, ſonori, manum ferientes: ſic motus cordis exaſperatus corporis motu. Pulſus tactus palpitationi idiopathicae plenus rarus mollis; ſymptomaticae, parvus, frequens durus tenuis; negativae, tardus, parvus, debilis; compoſitus complicatis cauſis motu ſubitaneo artuum aut terrore; inproviſis dicrotus; cuique cauſae proprius rhythmus: Pulſus cuivis fidus index. Corde palpitante animus fortis, erectus. Ideae vividiores, pro nutu mutabiliores. Cephalalgia nulla unquam; genis nullus rubor; corpori nullus aeſtus; reſpiratio naturalis, rariſſime, & nonniſi motu corporis juncto, laborioſa. Scrobiculo cordis preſſio. Hypochondria naturalia. Urina limpida copioſa; pedibus ne quidem excalefactio, immo frigus (§. 20.) auctum. Pulſu duro, lento forti, calor corpori; frequenti, parvo molli, frigus. Idiopathicae raro,

raro, ſymptomaticae nunquam calor. An PALPITATIO *calida* & *frigida*? an calor corpori ex pulſus duritie ſola? an aeſtus ſanguinis in ratione inverſa motus, frictionis directa? Palpitatione forti, rara, diuturna rariſſimus corpori calor. Quale principium calorem febribus producens? qualis differentia inter motum caloremque febrilem & palpitatorium ſanguinis? forſan febribus motus ſanguinis inteſtinus; palpitatione progreſſivus, intenſior; majorque calor ab illo?

§. 260. REMEDIA (a) *Mechanica:* (1.) Frictio regioni epigaſtricae, ſpinae dorſi manu. (2.) Pugno ictus dorſo e regione ventriculi ructus ventriculo promovendo ſymptomaticae quandoque metam poſuere. (3.) Carpis ligatura; pedibus frictio. (4.) Animae retentio; ſed non ultra ſedecim pulſus. (5.) Ambulatio lenis adſumpto potu quovis calido. (b) *Diaetetica:* (1.) hauſtus vini generoſi; (2) infuſi coffee levantici puri; (3) frigidae copioſus; (4) Thee-Boey pauco lactis; (5) ſpiritus ceraſorum per fermentationem parati. (c) *Chirurgica:* venae-ſectio (§. 117.). (d) *Domeſtica:* Pediluvia tepida. (e) *Pharmaceutica:* interne „*contra quaevis ſaepe remedia rebelle malum*„ juxta *van* SWIETEN, nulla: externe ſemel regioni hepaticae facculi ex herbis reſolventibus humido-calidi (§. 239. ad 31. novembr.). Methodismi palpitationi ſymptomaticae (a: 1; 2, 5: b; c; d); idiopathicae (a: 3; 4, c; d.) niſi penitus ſaltem ad partem infidi. An Palpitatio mali hypochondriaci comes indivulſus omnibus? aut ſignum pathognomonicum? in ratione ejus inverſa, & jacturae ſanguinis directa?

§. 261. HAEMORRHOIDUM FLUXUS.

IDOLUM *tantorum.*

MORBUS HIPPOCRATI. Multis *ſanitatis* PRÆSIDIUM: BENEFICIUM *flebile* omnibus.

Initium BASILEÆ Octobr. 1733. aet. 20. (§. 54.) ex improviſo. Locus: tam ex margine ani plano aut varicibus parvis usque ad Annum 1744. (§. 88.) inobſervatis, inde ad hunc usque

usque diem ex tuberculo prominente, ano seu tunica interna intestini recti villosa avellanae aut castaneae protrusa moles: Varices externae spontaneae flaccidiores vacuae, scybalis a tergo protruso sanguine turgentes duriores tensae, elasticae, ad tactum nunquam pulsantes, absque dolore. Sanguis coccineus glutinosus guttatim raro (arteriosus?); undatim frequentissime ex lumine aperto digito obtegi sinente varicis prosilit arcu, vase exceptus in insulam fero innatantem coeuns; quantitas quavis vice ad uncias tres immo quatuor.

(*) Haemorrhoides *variceſae* externae?

§. 262. Fluxus irregularis semper, per septimanam unam alteramve alvo quamvis saepius per biduum obstructa cessans; mox per plures dies successivos, aucto flumine erumpens, tempus menstruale nunquam observans; aestate ac hyeme nulla differentia: alvo dura ante exonerationem copiosior; molliori, parcior, evacuato ex varice flaccidiore rarissimus & quidem guttatim fluxus.

(*) Non modo stata post alvi solutionem vespertina hora, nec non de nocte lecto jacenti, immo quandoque de die inter amicos, in platea ex improviso, sanguis pleno profiliebat rivo, domum properare cogens, &c.

§. 263. Fluxus imminentis Signa (a) *generalia*: Fronti ad radicem nasi pressio, capiti gravitas, menti stupor, intellectus obtusus, genis rubor vespertinus; calor, orgasmus moderatus, aestus volatici; insultus hypochondriacus intensior. (b) *Specialia* rariora: dolor pungitivus subitaneus ab ano per perinaeum ad glandem usque quasi igneus: Calculi signum (multis?) fallax; tenesmus; pruritus ano: reliqua ab Auctoribus diligentius notata haud expertus.

§. 264. Causae (a) *praedisponentes*: α; Labes haereditaria (§. 1; 5, b; 6, a;) β; sanguini nimia fluiditas (§. 251.) connata? γ; nimius ex idea melancholica hypochondriaco residua (§. 47-49.) alvo exonerando depurandoque conatus, irritatio, referatio mechanica quavis die Annis 1731. 1732. (b) *Occasionales* excitantes: Animi motus (taedioſi lenti utplurimum

(§. 56.). Corpus quocunque modo motum. Itinera. Vectio. Equitatio. Ambulatio. Raphanus ruſticanus C.B.P. 96. raſpatus, jusculo incoctus carneo. Semen ſinapi vino cocto conditum &c. Curae aegri graves; lucubrationes. Vigiliae. Objecti adſpectus aut nuncius quiscunque improviſus; vini rubri praecipue hauſtus licet rariſſimus. Decoctum coffee inprimis ex Fabis (*) *Surinamenſibus*, ex Inſula *Martinique*, mane jejuno ſine vel cum cremore lactis.

(*) Fabae (arabicae,) ſic dictae du *Levant* aut de *Mocca*, aut ex Inſula *Java* non adeo orgaſtice pellentes. Cuique ſpeciei pro ſoli indole peculiaris qualitas nociva debilibus. Haemorrhoidariis omnis Coffee uſus inſalubris pellens. Laxantia; diarrhoeae; nam primis horum ſedibus copioſior fluxus, poſtea eorum majus intervallum: An iis fluxus diminui poſſet?

§. 265. HAEMORRHOIDUM ſuccincta HISTORIA per periodos 1733-½1749.

PERIODUS PRIMA: ab anno 1733-1736. aet. 20-22. Fluxus frequentiſſimus, quavis vice copioſiſſimus, ex quo febris lenta haemorrhoidalis (§. 56. 57.).

REMEDIA: Spongia gelida ebria adplicata, ano poſtea intruſo ſtatim lectus petitus; quod ſequentibus annis centies repetitum. Fluxus inde minime ſuppreſſus aut moratus, nulla conſolidatio firma disrupto vaſculo, nec ullae aliae ſequelae.

§. 266. PERIODUS SECUNDA: ab anno 1737-1738. Aet. 24-25. ob itinera, ſtudia, exercitia Academica mobilis. Fluxui majora intervalla ad ſeptem 10. 12. imo quatuordecim dies; variabili, copioſa ut plurimum, quantitate.

REMEDIA: Amuletum Argentorati vere 1738. Cirſii pratenſis polycephali vulg. I. R. H. HALLER En. H. p. 681. n. 8. capitula ſiccata tria ad femur aliquot menſes geſtata, ſed incaſſum, licet arcanum magnatibus tam contra fluxum, quam varices dolentes, magno vendebatur pretio. Radices ejus olim a DIOSCORIDE ad ſedandos varicum dolores; TOURNEFORTIO ib. p. 449. citante, an ob ſignaturam notabantur: ob analogiam forte capitulis cum varicibus eaedem adſignatae vires? A. ej. aet. 25.

25. M. Auguſt. poſt reditum in patriam fluxui chronico praegreſſo quavis die hora quarta pomeridiana per aliquot hebdomadas horripilatio levis, rubor calorque genis, aeſtus corpori, ſine functionum ulteriore laeſione invadebant: veſperi fluxu (§. 262.) certo ſequente, ſomno dein placido. (Febricula quotidiana regularis haemorrhoidalis?) Parens viribus fracto pulveris hepatici rubri offic. drachmam hora decima matutina & quarta pomeridiana c. frigida, aut Infuſo Thee-Boey calido ſuadebat; ſed cum obtemperanti per aliquot dies nec febriculae remiſſio, nec fluxui ſtataria diminutio, ſepoſiti pulveres. Frigore autumnali fluxui immodico ad tempus ceſſatio, febriculae fuga, ſanitas? qualis?

§. 267. PERIODUS TERTIA: ab anno 1739-1743. aet. 26-30. Aeque in Patria activo ac itineribus fatigato. Aulae deliciis curis, melancholiaeque (§. 75.) intercalatis, fluxus antiquum (§. 262.) obtinebat.

REMEDIA: Ao. 1742. HOMBURGI ad Montes faſcia haemorrhoidalis in forma H. (PETITI Chirurgi *Galli* nunquam viſa) compoſita; cujus ope ſpongia de die meanti ano adpreſſa ſanguinem ex improviſo proſilientem (§. 262.*) hauriret; ſed ob aſperam ſiccitatem frictionemque omittenda fuerat non apta. Ao. 1743. Julio. Itinere equo peracto Thermae Wisbadenſes aditae, ſed quotidie mane per horulam modo iis inſidenti major ſanguini aeſtus; fluxus copioſior ex varicibus mole auctis; debilitas major; ſomnus inquietus, diviſus. Poſt 14. dies relictae, fruſtraneae inconſultae Thermae. Ao. eod. Octobri, poſt longum equo iter in patriam reduci Parentis conſilio Tinctura martis cum Tartaro bis de die horis modo dictis (§. pr.) guttae ſexaginta in Spiritu Ceraſorum per fermentationem deglutitae; ſed a prima doſi tanta cardialgia compreſſoria ut lipothymico lectus petendus; diminuta quavis doſi quinque guttis cardialgia quidem mitior, pediſſequa tamen, omiſſa. An Vehiculum an Tinctura dolorifica?

§. 268. PERIODUS QUARTA: Ab anno 1744-½1749. Aet. 30-36. Reconvaleſcenti ex febre haemorrhoidali lenta (§. 88-90.) Menſe Aprili 1744. roborandae ani tunicae villoſae, REMEDIA: A. *Pharmaceutica:* (a) ſuppoſitoria ex ſanguine draconis, lapide haematite, coralliis, boloque rubris cum mucilagine Gum. Tragac. per plures dies noctesque ano intruſa eventu? vid. infra (§. 271.). Aeſtate hujus anni loco mutato; Junio & Julio tono inteſtinorum reſtituendo & ſanguini incraſſando (§. 264.). (b) Tincturae martis c. Tartaro, ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatae absque vehiculo ſemi cochlear bis de die ad nauſeam & ſodam usque ſorbillatum, fine irrito; nulla quidem cardialgia: an vehiculi defectu?

§. 269. B. *Chirurgica:* Parens patriam deſerenti M. Majo 1744. VENAE SECTIONEM bis in anno in brachio revulſoriam ſuaſerat. Ex auctoritatis & ſaluberrimae prophylaxeos praejudicio facile obediens LAUTERBACI M. Junio: A. ej. brachii dextri vena vulnerata lanceola elaſtica (§. 74), (Borealibus pertinaciter familiari) prima vice inflicto ſanguinis unciae octo detractae; concuſſio inde violenta a cubito per totum corpus. Vulneri rite deligato tarda conſolidatio; lanceola *Gallorum*, refragante quidem chirurgo (*), ſelecta brachiis in poſterum venae alternis, non modo bis, immo ter in Anno, hepatica, ſplenica, mediana ne quidem exceptis, ſectae.

(*) PLATTNERUS Germanicus licet lanceolae prae lamina elaſtica favere videtur Chirurg. §. 1277. p. m. 863.

Sanguis proſiliens atro-rubens, ſubſtantiae inaequalis, male cohaerens. Serum poſt ſemihoram ad duas tertias partes flavescens aquoſum ſaporis ſalſi ſupernatans. Cruor ad fundum patellae niger: ad aerem ruber, ſpiſſus, compactus, cohaerens.

(*) An Sanguis dilutus audit? & ſi: an ad ſanitatem proſperam, firmam, robuſtam abſolute neceſſarius? an circulus ſanguinis dilutioris expeditior compactiori?

(**) An ſerum flavescens vitium hepatis indicat? an inde aut a tenuitate ſanguinis (§. 264.) fluxus haemorrhoidum derivandus?

Ulti-

Ultima Ven. S. ib. 1747. M. Majo celebrata. Sic huic regulae per triennium adſtrictus M. ſequente Septembre Franequerae eam omittendo huic ſervitutis cruentae inutili jugo, naturae horrori, ereptus, nec ulla inde incommoda, nec ſtato tempore orgasmus ſanguini; aut noctes inquietae; aut admonitiones verae vel imaginariae &c.

§. 270. Effectus Ven. Sis: Virium jactura per plures dies; digeſtio laeſa, palpitatio cordi crebrior, fortior (§. 260. c.) oculis debilitas veſpertina. Somnus inquietus. Cicatricibus ad tempeſtatum mutationes, procellas imminentes, ſenſus pungitivus usque ad haec tempora ſuperſtes.

(*) An omnibus cicatricibus communis ſenſatio ac admonitio vulgo vera reilerandae V. Si? (**) Quales noxae ab intermiſſione V. Sis per annos adſueto? unde metus ſequelarum nocivarum ſanis? an ex fidis obſervationibus tales?

§. 271. Haemorrhoidum fluentium inducIae a Menſe Aprili ad M. Octobr. 1744. an itineribus an remediis (§. 268.)? quo ex improviſo irregulariter, copioſae ſtato tempore, uti olim (§. 262), V. Sis periodum (§. 269.) non morantes, vita licet activa medico clinico botanophilo, corpus mentemque frangentes, ſanitatem negantes conſtantem redibant (§. 95). Qualis derivatio ſeu revulſio V. Si. (§. pr.)? Ab anno 1747-½ 1749. variis locis, climatibus, mobiliſſima itineribus vita, eandem uti periodis enarratis (§. 265-268.) ludentes ſcenam Haemorrhoides.

§. 272. Periodus quinta & ultima ab anno ½ 1749-176. Aet. 36-46. ſiſtitur Tabula I.

Ad §. 272.

TAB - -

Fluxus Haemorrhoidalis Annorum ½ 1749 - 1760.

LOCA.	Wetteravia.	Peilaviae.			
ANNI Christi; Aetatis:	1749. 36.	1750. 37.	1751. 38.	1752. 39.	1753. 40
½ Julius.		16. 18. 21. 22. 24. 25.			
Auguſtus.					
September.		9. 10. 11. 12. 13. 14. 17.	16. (27. meando.)	4. 5. 6. 7. 8. 9. 22.	23. 24. 28. 29.
October.					5. 7. 8. 9.
November.		8. 9. 10. 11. 12. 13 14. 16. 20. 23. 25 26. 27. 28. 29. 30.		28.	20. 22.
December.		3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11.		29. 31.	27. 28.
	1750.	1751.	1752.	1753.	1754.
Januarius.	(8: meando.) 9.			19.	2. 14. 27.
Februarius.					6. 9.
Martius.	(19. meando.) 21.			23. 26. 30.	14.
Aprilis.				3. 4. 22. 23.	
Majus.					10.
Junius.					
½ Julius.	6. 9. 14.				3.
Summa:	7.	37.	2.	18.	20.
Columna:	1.	2.	3.	4.	5.

--ULA. Ima:
quovis Loco; Menſe; Die; Hiſtoria.

Sileſiorum.

1754.	1755.	1756.	1757.	1758.	1759.	Mentium.
41.	42.	43.	44.	45.	46.	Summa:
		23.	31.			8.
6. 27. 28.	13. in platea.	12.	20.		12.	7.
4. 11. 12.					12. 13. 14.	26.
18.	28. 29.			15. 17.		9.
5.				3.	23. in platea.	22.
			27.	15. 26. 28.	26.	17.
1755.	1756.	1757.	1758.	1759.	1760.	
	1. 2. 3. 4.		1.		3. 7. 15. 17. 23. 25.	17.
9.			25.	6. 15. 17. 18. 28.	18. (20. in platea). 22.	12.
				14. 15. 19.	30.	10.
4. 5. 23.	16.		19.	7. 8. 9. 10. 12.	16. 18.	16.
14.			11. 14.	1. 2.		6.
		20. 27. 29.				3.
7. 8.	6.		6.			8.
15.	9.	5.	9.	21.	18.	161.
6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.

§. 272.

ADNOTATIONES & COROLLARIA:

1.) Computus annorum a die natali scil. 15. Julii (§. 34.) inchoatus. Anni aetatis numerantur. Ideo annus civilis cum Julio in duas partes fere aequales dilabuntur. (2.) Columna perpendicularis ultima mensium cognominum; infima transversalis anni dierum fluxus indicat summam. (3.) Si quovis fluxu sanguinis Unciae duntaxat duae (quae citra errorem ad tres vel quatuor adsumi possent,) deperditae supponantur, undecim annis Unciae 322. (≐161.*2): quovis anno $29\frac{3}{11}$. seu (numero rotundo) triginta effluxissent; quae quantitas per duodecim repartita menses cuique Uncias duas cum semisse tribuit absque virium dispendio ferenda. (4.) Si qua parte, defectu potius, quam excessu peccat Tabula? (5.) Fluxus pro augmento annorum vel adpropinquante senio non decrevit. Idem annis diversis, quibus maximus, minimusve? Qualis alternis fluxus; an ei lex constans, ex Schemate sequente cui initium a minimo, patet:

FLUXUS { FREQUENTIA: 2. 5. 7. 9. 15. 18. 20. 21. 37.
Anni Aetatis: 38. 43. 36. 42:44. 41. 39:46. 40. 45. 37.

Ratio fere inversa? nam maxima ad minimam. 37. 38. (6.) Anno climacterico sexto (42.) fluxus modicus, similis anno non tali (44.) fuit: itaque ab eo nullus influxus, (7.) nec alternis annis lex certa fluxus (n. s.). (8.) MENSIUM, quibus haemorrhoidum fluxus, ut & iis vacuorum ratio: 58: 74:: 7: 9. fere. Quoties, quonam ordine menses hac periodo haemorrhoidarii (a) successivi se mutuo exceperint; ecce SCHEMA:

MEN-



Menses haemorrhoidarii (b) alterni, & vacui:

{semel: Annis — 36 — — 39 40 41 42 = quinquies
bis: Anno — — . 37 — — — — — = semel.

(9.) Quo breviora succeſſioni intervalla, eo crebrior. Numerus succeſſionum in ratione inverſa frequentiae (reditus) nam:

{Menses: Bini; Terni; Quaterni; Seni & Septeni.} Anno
{redibant: Quinquies: Ter: Bis: Semel.} eodem

(10.) Quibus menſibus, quo anni tempore longior ſucceſſio & alternatio frequentior? quae iis intervalla? (8) patet. (11.) Menſibus cognominibus cuivis anno Septembre maximus: Januario & Decembri (inter ſe) aequalis at diminutus: Aprili & Julio idem quoque at priore minor: Junio minimus fluxus (Col. 12). 11). Qualis quatuor anni temporum ratio inter ſe? Trimeſtre Autumn: Brumal: Vernal: Aeſtiv:: 57: 46: 32: 26: Quonam maximus fluxus? Cuinam maxima ſuſceptibilitas? Autumnus & hyems haemorrhoidum promotores: an ob tranſpirationis ſuppreſſionem, & vitam ſedentariam? (12. a) Haemorrhoides circa aequinoctia quater; ad unicum Solſtitium, & quidem aeſtivum, modo ſemel. Qualis, & quibus major Influxus; cum ratio illorum ad hoc uti: : 4: 1.? (12. b) Quae ratio inter fluxus quantitatem & menſium numerum?

{Fluxus uti: 37: 21: 20: 18: 15: 9: 7 et 5: 2.
{Menſium Numerus}: 3 1/2; 7; 8 1/2; 8 & 6; 7 1/2; 7 & 4 1/2; 2 1/2; 1.

Bis Fluxus idem diverſo menſium numero; diverſus ſemel eodem. Inverſa videtur ratio? (13.) Quoties, qua ratione

ne (omisso successionis respectu) singulis contigerit mensibus fluxus?

Fluxus:	Semel.	Bis.	Ter.	Quater.	5es.	6es.	7es.	8es.	9es.	10es.
Mensibus:	24.	14.	10.	4.	2.	1.	2.	1.	1.	1.

Frequentissimi unico mensi insultus, v. g. Julio, Decembri 1750. (Col. 1. 2.) rarissimi; immo omnium maximus semel modo scil. Novembr. a: ej. (col. 2.) occurrit. Quo frequentior eidem mensi, eo rarior fluxus, & vice versa. Sic frequentia fluxus in ratione inversa singulorum mensium (cf. 12.). (14.) *Dies* haemorrhoidales. Quot successivi? qua ratione? quo ordine? quoties? quo mense? cui anno?

DIES.
- Singuli irregulares ex Tab. I. per se patent.
- Bini (Mensi eidem (semel) Anno: diversis: eidem. (36. 37 / 40. 42) quater.; bis. (37. 39 / 40) ter.; diverso (semel) (45) ter. / (41) quater.)
- Terni quaterni (Mensi (diverso (semel) diverso (40. 46.) bis.; Mensi (eidem (semel) Anno: diversis: eidem. (42. 45) bis.)
- Seni (Mensi (eidem (semel) (39.) semel.; diverso (semel) (37.) ter.)
- Septeni (Mensi (eidem (semel) (37.) semel.)

Quoties?

Qualia diebus haemorrhoidalibus intervalla alterna?

(15)

Dies successivi:	7ni;	6ni;	4ni;	terni;	bini.
Quoties:	semel.	quater.	bis.	bis.	14es.

Quo major successionis series (sine intervallo) Fluxus, eo infrequentior: & vice versa, Successio maxima in ratione inversa frequentiae (seu reditus)? Lex eadem annis 5.); mensibusque 9. 12.)?

§. 273. Tabula secunda, Fluxus Haemorrhoidalis, Annorum (½ 1749-1760); Vitae activae, mobilisque combinata Historia.

(a)

(a) Fluxus:	37	21	20	18	15	9	7	5	2	
(b) Aetas:	37	45	40	39 & 46	41	42 & 44	36	43	38	
(c) Vita:	17	5	8	11	5	7	6	5	3	5	15
Columna:	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

Adnotationes & Corollaria:

1.) Fluxus (a) Initium a maximo frequentiae numero; Aetatis (b) anni adpositi; Vita (c) activa mobilisque in ratione composita, seu summa ex visitationibus & itineribus clinicis, excursionibus botanicis, naturae curiosis, & thermalibus &c. per 100. divisa. 2.) Quae Vitae activae (seu motus) & Fluxus quantitas respectiva? quae horum inter se ratio? (Initium ut supra.)

(c) Vita : :	17	15	11	8	7	6	5			3
(a) Fluxus:	37	2	18	20	15	9	21	18	9	5	7

Maxima vita activa maximus fluxus: sed non eadem decrescente ratione minimus. Major pro ratione minimae mobilis vitae fluxus.

3.) Quoties & qualis Fluxus quantitas ratione motus (vitae mobilis) recurrit Periodo hac ultima (§. 272.)?

				Fluxus	:	Vita:	
Fluxus:	copiosus; motu:	multo:	I.	37	:	17	quater.
				20	:	8	
				18	:	11	
				15	:	7	
		pauco:	II.	21	:	5	bis.
				18	:	5	
	parcus; motus	multo:	III.	9	:	6	bis.
				2	:	15	
		pauco:	IV.	9	:	5	ter.
				7	:	3	
				5	:	5	
	Fluxus varius motu eodem: prioribus I. II. III. IV. continetur.		V.	21	:	5	quater.
				18	:	5	
				9	:	5	
				5	:	5	

4.) Flu-

4.) Fluxus in ratione motus { directa: { I † IV. / 4 † 3 = 7. } inversa { II † III. / 2 † 2 = 4. }

Ratio inter Fluxum & motum directa, ad inversam :: 7: 4. Motus haemorrhoidum promotor (§. 272: 11); hujus Legis veritas absoluta ad conditionatam: : 7: 4.

(*) Etenim M. exorbitans Novembris 1750. Tab. I. in ratione inversa motus corporis & vitae activae fuit.

5.) Fluxus varius motu vario: ad eum motu eodem (v.):: (11-4.) = 7: 4. & vice versa; seu Fluxus constans motu eodem, ad eum motu vario uti 4: 2:: 2: 1.

§. 274. A Die 18. Aprilis 1760. Tab. I. col. 11. (§. 272.) haemorrhoidibus induciae usque ad primam Decembris ej. anni. Aet. 47. die praegressa activa undecima Julii 1764. coelo nubilo calido N. W. sedato, biduo ante plenilunium, vesperi solita hora (§. 262.) stillicidium ante alvi exonerationem, largum, ultimum; nam non modo ad terminum $17\frac{15}{764}$. imo ad diem, quo haec scripta, adeo exaruit fluxus, ut maximo alvi durae conatu, frictione, ne guttulae quidem prodeant sanguinis. Nullae sequelae, quae inde (an jure?) praedici solent ab eorum Fautoribus.

§. 275. Periodus Haemorrhoidum itaque a Mense Octobris 1733. Aet. 20. (§. 54. 261.) ad Aprilem 1760. Aet. 46. aut si mavis, Decembrem ej. anni aet. 47. per 27 = (9 x 3), fere duravit annos.

(*) Varices externae, seu haemorrhoides coecae tumentes, pulsantes, urentes, spontaneae, dolorificae, nec fluxus periodo, nec eo cessante, accidere. (**) Haemorrhoidum, cum observationibus meteorologicis, Lunae phasibus, locis &c. combinatio D. V. alio tempore pro virium ratione.

§. 276. Effectus durante fluxu (a) *salutares* (specietenus): Animo serenitas. Viribus Mentis intentio. Judicium acrius.

acrius. Capiti levitas. Membris agilitas. Pectori relaxatio. Officiis alacritas. Taedii fuga. Omnia tamen momentanea: protracta ilico, ſemilipothymia excepta (§. 255.), Adpetitus conſtans, imo acrior. Somnus tranquillior, gratior magisque reficiens.

§. 277. Effectus (b) *nocivi* poſt fluxum: Puſillanimitas (*) jam flore aetatis (§. 8.).

(*) Heroes graviter ſauciati magna ſanguinis jactura fiunt puſillanimes, quidni ille:

Cui de viliori luto finxit praecordia Titan? Juven:

Vires Menti ac corpori exhauſtae, arduo labori nec capacitas, nec conſtantia. Faciei pallor lividus. Digeſtio lenta tarda (§. 14.). Palpitatio cordi (§. 257.). An ſublato inter ſolida & fluida aequilibrio? Origo & ratio idioſyncraſiae (§. 11); mali hypochondriaci comes & fomes; cauſae; ſymptoma; effectus.

§. 278. Effectus (c) *negativi:* Haemorrhoides morbis praecurſores; an eos praevenerint? Comites: an allevarint, aut abbreviarint, aut coercuerint morbos? pediſſequae toties: an criticae? Inſultus melancholiae (§. 75; 127.); Podagrae (§. 70; 80; 105; 113. Mali hypochondriaci coaetanei (§. 247).

(*) Haemorrhoidarii rariores quibus imaginatio non aliqua parte laeſa; qui ſuos non patiuntur manes; cur?

Dolores rheumatici fixi & vagi praecoces (53). an connubium inter haemorrhoides & rheumatismos (§. 54)? morbo puſtulari chronico jam ab initio ſociatae (§. 179).

§. 279. Effectuum negativorum hujus periodi (§. 272.) ex menſium morbidorum anni civilis, cum quantitate haemorrhoidum toto anno fluentium, combinatione ſequens ſiſtit Tabula tertia.

Columna:	1	2	3	4	5	6
a. Annus C:	1756.	1750.	1759.	1754.	1758.	1753.
b. Menſes morbidi:	12	5	$1\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{4}$	$\frac{1}{2}$	$\frac{1}{4}$
c: Haemorrhoides:	8	9.	4	1	3	3
d: Annus morbidus:	20	14.	$5\frac{1}{2}$	$2\frac{1}{4}$.	$3\frac{1}{2}$.	$3\frac{1}{4}$.

c o n t i n u a t i o:

Columna:	7.	8.	9.	10.	11.	Summa.
a. Annus C:	1752.	$\frac{1}{2}$1760.	1751.	1755.	1757.	$10\frac{1}{2}$.
b. Menſes morbidi:	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{4}$	$21\frac{3}{4}$
c. Haemorrhoides:	1	1	0	0	0	30
d. Annus morbidus:	$1\frac{1}{4}$	$1\frac{1}{4}$	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{4}$	52

ADNOTATIONES & COROLLARIA:

(1.) Computus initium a maxima anni morboſitate. (2.) (a) Anni civilis (b.) Menſes morbidi cujusvis, quorum aegritudine aut lectus cuſtodiendus, aut extra eum nihilominus officia clinica negotiaque aut imperfecte obeunda aut penitus differenda. (3.) Haemorrhoidum fluxus (c), toti anno ſumma. (4.) Annus morbidus (d), ſeu morboſitas anni dati eſt ſumma menſium (b.) morbidorum & fluxus (c) totius anni = b†c. (5) Anno 1756. per duodecim menſes morbido (§. 156-221.) Haemorrhoides parciores prae ſaniori 1750. (col. 2.) An morbo puſtulari (§. 178-221.) impetui humorum ad ſuperficiem derivatio? an plethora valetudine imminuta? (6.) Annus morbidus maximus erat = 20. 1756. (col. 1.) unicus; minimi aequali quantitate plures = $\frac{1}{4}$: 1751. 1755. 1757. reliqui, decreſcente morboſitate intermedii. Itaque morboſitas (no. 4.) non abſolute in ratione directa augmenti annorum, aut adpropinquantis ſenii (quod de fluxu in genere obtinere videtur §. 272.* 5.). An: quae de hujus periodi lege dicta ſunt quoque de tota Haemor-

morrhoidum Hiſtoria (§. 261. ſeq.) valent? (7.) Quae ratio inter fluxum & morboſitatem toti periodo?

$$\left\{\begin{matrix}:7\frac{1}{2}\\:3.\end{matrix}\right\}\text{annis}\left\{\begin{matrix}\text{Menſes}\\\text{morbidi}\end{matrix}\right\}\text{eum:}\left\{\begin{matrix}\text{fine:}\\\end{matrix}\right.\left\{\begin{matrix}\text{haemorrhoidibus;}\\\end{matrix}\right.\left\{\begin{matrix}:21\frac{3}{4}.\\:\frac{3}{4}\end{matrix}\right.::87:3.$$

(Valetudo ſeu) Morboſitas cum fluxu ad valetudinem ſine eo : : $21\frac{3}{4}:\frac{3}{4}.::87:3::29:1.$ Valetudo fere perpetua in ratione directa haemorrhoidum, nec ſanitas perfecta eorum defectu; quale auxilium ab iis? (8.) qualis inter Menſes morbidos (b) & haemorrhoides (c) anni ejusdem (a) (Tab. III.) ratio? triplex:

1. α. directa: $\left\{\begin{matrix}a: 1756. & 1752. & \frac{1}{2}1760.\\ b: 12. & \frac{1}{4} & \frac{1}{4}\\ c: 8. & 1. & 1.\end{matrix}\right\}=3.$

2. β. inverſa: $\left\{\begin{matrix}a: 1750. & 1759. & 1754. & 1758. & 1753.\\ b: - 5. & 1\frac{1}{2}. & 1\frac{1}{4}. & \frac{1}{2}. & \frac{1}{4}.\\ c: --9. & 4. & 1. & 3. & 3.\end{matrix}\right\}=5.$

3. γ. deficiens: $\left\{\begin{matrix}a: 1751. & 1755. & 1757.\\ b: - \frac{1}{4}. & \frac{1}{4}. & \frac{1}{4}.\\ c: - 0. & 0. & 0.\end{matrix}\right\}=3.$

(9.) Qualis morboſitas, talis fluxus & quidem in ratione directa (α). = 3. Quo frequentia ſeriesque morborum (ſeu valetudo) minor; eo major fluxus = 4. & vice verſa = 1. Ratio horum inverſa (β): $4\dagger1.=5.$ Ratio directa ad inverſam: : 3: 5: : α: β: (10.) Tres anni parum morbidi haemorrhoidibus vacui (col. 9; 10; 11.); hinc ratio deficiens ſeu negativa: $\gamma=3.$ An eorum abſentia minori; an fluxus praeſentia majori debetur morboſitati? (11.) Ratio adſociationis morboſae poſitivae ad negativam ($\alpha\dagger\beta$): $3\dagger5$: (γ) : 3 : : 8 : 3. (12) Ratione directa (α) ſeu poſitiva per deficientem (γ) ſeu negativam deſtructa: 3 - 3 = 0. reſtabit inverſa ratio (β). (13.) In $\alpha\dagger\beta$ eadem Haemorrhoidum copia, diverſa menſibus morboſitas (col. 5; 6.) = 2; eadem vero morboſitate varia fluxus quantitas (col. 6; 7.)

= 2.

= 2. aequali copia fluxus aequalis morboſitas (col. 7; 8.) = 2, termini continentur aequales. (14) Qualis Haemorrhoidibus irregulariter fluentibus (§. 262.) valor (§. 276-279)? regularibus forte tanta debentur encomia: nonne ex praejudicio quandoque nimia?

§. 280. Ani Procidentia.
Sedes *procidua*. Ani *prolapſus*. Anus *prociduus*.
Hernia *Inteſtini recti* (ſ. poſterior §. 264.).

Prima ſtamina Homburgi ad Montes Autumno 1740. veſperi poſt alvi exonerationem ad fabae molem flaccida, non dolentia, ex ani margine externo propendula; cubanti ſomno in anum ſponte ſe abſcondentia. Causae: atonia, connata (§. 7.)? Inteſtino recto irritatio mechanica (§. 264. a. α) &c. An & cur hujus mechanismi conatuum effectus elapſis demum octo annis? Equitatio?

§. 281. Incrementum Bernae ſub fine Januarii 1744. ad caſtaneae molem; ſociis haemorrhoidibus de die ſubito proſilientibus (§. 262. *). Prolapſus chirurgica manu plane abſumtus (§. 88-90.), non amplius obſervatus, haemorrhoidibus licet ex protuberante ano (varicibus) ante alvi exonerationem more ſolito fluentibus usque ad annum 1755. XX. Auguſt. quo in platea de die meanti prolapſus jam ad nucis avellanae molem, ſine fluxu perceptus, pedetentim in ficus volumen auctus, ad tactum frigidus, mollis, mox elaſticus durus; mox flaccidus mucido-humidus, nec dolorificus nec pulſans, incrementum capiens, intruſioni cedens. Auguſto 1759. Dyſenterico vi tenesmi in pugni magnitudinem protruſus (§. 277. * 7.), ab hoc tempore prolapſui aeque de die ac ante & poſt alvum frequentia molesque major. Toto anno vix unus alterve ſine prolapſu dies. Coelo nullus influxus.

§. 282. Prolapsus poſt alvi ſolutionem, aut in ratione niſus aut ſcybalorum duritiei major, quam de die ſpontaneus, ſcil. uti ovum gallinae: Alvo lubrica minor, ſcil. uti ovum co-

columbinum: Colica aut diarrhoea vero minima uti avellana nux.

(*) Sic forte natura & prophylaxeos & remedii prolapsui uti haemorrhoidibus (§. 264.*) index?

Cubanti nocte intestinum retrusum continetur ano, sed surgenti mane vix passum unum aut alterum gradienti aut sponte, aut vi quasi a tergo pulsus, descendit anus, qui decies de die repositus prolabitur decies reprimendus; stanti quoque fit prolapsus: ideo magis sedendum, quam ambulandum invito. Prolapsui ad integros dies sibi relicto nulla unquam inflammatio. Tensio modo obtusa sensus ponderis penduli quasi in liquore viscido tepido natantis globi.

(*) An prolapsus sensatio absque dolore signum ejus pathognomonicum, an liquor haemorrhoides mucosae?

Pulsatio ad crenam versus os coccygis, rara unice recto scybalis extenso duris (§. 232.), siccitas rarissima; versus perinaeum volumen majus. Haemorrhoidum vigente fluxu pressus sanguinem fudit prolapsus ad Annum 1760. (§. 272.); sed illo cessante nullus amplius exprimitur cruor elastico licet duroque tumori.

(*) An periodo Haemorrhoidali 1752-1760: (§. cit.) prolapsus tumor modo varicosus sanguine turgidus (§. 88)? an haemorrhoides coecae externae (varices) tunicae recti villosae sanguine ebriae procidentia? an connubium utriusque constans? aut varices sine prolapsu? an haemorrhoides cum & sine procidentia; forte illae, externae; hae, internae? an quaedam sine varicibus sociis (§. 281.)? Varices a prolapsu tactu unice distinguendi. Haemorrhoidibus cessantibus ab Anno 1760. (§. 274.) ad hunc usque diem prolapsus absque varicibus quibuscunque immutatae molis. An datur constanter prolapsus sine fluxu?

§. 283. REMEDIA Haemorrhoidibus & prolapsui: Fascia (§. 267.) & suppositoria, Tinctura martis c. Tartaro (§. 268.) facta α COMMUNIA sed irrita; β SPECIALIA; A. *Pharmaceutica:* ab Anno 1758. demum solutione mastiches in oleo lini hyeme saepissime sub lecti introitum prolapsui digitis tepide illinita repositio facilior; sed prolapsus minime impeditus; imo majori mole prolectus: omissus igitur illitus.

(*) Infantibus oleum lini ſimplex prolapſui, tepida prius abluto, illinitum repoſitionem facilitat digitis; omnibus aliis irritis, repoſitum retinet, praeſtantius quam adulto. (**) Varices ſeu Haemorrhoides externae coecae dolentes, ſit ani procidentia juncta nec ne, recentes oleo lini inunctae tepido repoſitionem digitis admittunt, qua ſtatim omnis dolor ceſſat. (cf. §. 93. * 15.).

B. *Mechanica:* Principio quidem prolapſui nucis avellanae modo molis (§. 282.) Repositio (a) *ſpontanea*, ſeu naturalis M. Levatorum ani ope; de die ſcamno inſedenti duro; nocte dormienti extenſo facilius quam vigilanti (§. 280.). Moli majori poſt annum 1759. (§. cit.) retrahendae fibris invalidis muſcularibus. Repositio (b.) *Artificialis* inde ad hunc diem abſolute neceſſaria ſequens: (1.) Digitis ſaliva udis ſedenti, corpore antrorſum inclinato, pedibus in terram perpendiculariter demiſſis de die, nocte ad lecti introitum, alvo prius ſoluta, in dorſo cubanti cruribus attractis, prolapſus reprimi ſe patitur, a minore mole verſus Os coccygis pergendo ad majorem verſus perinaeum. Repoſitio turgidae majori moli facilior flaccida. (2.) Sphincter imperio voluntatis aperiri renitens admittendo prolapſui non ſemper obſecundans, vi digitorum pertinaci vincendo aperiundus cedit tandem. (3.) Repoſitio extenſis cruribus, natibus compreſſis difficillima. (4.) Prolapſus minoris adhuc molis ſponte retrahitur in anum; ſecus varices ejusdem molis. An hujus renitentia, (an ob earum duritiem?) differentia ſpecifica utriusque mali?

*) Periodus Prolapſus ab Annis $\left\{\begin{matrix}1740.-1744.\\1755.-1764.\\1764.-1768.\end{matrix}\right\} = \left\{\begin{matrix}4.\\9.\\4.\end{matrix}\right\}$ 17. Annor:

Quale huic moleſtiae ſ. Herniae poſteriori (ſcrotali (§. 40) (ſeu anteriori) majore) absque formidabili cultro, ſolamen aut ſanatio radicalis?

§. 284. „Maculæ (nigrae) volitantes Oculis.

„*Objecta intra oculum. Imaginationes. Spectra.* „*Imagines ante oculos adparentes*„. Boerhaave de Morbis oculorum.

Ob-

Obſervatio earum prima itinere melancholiae cauſa M. Auguſti 1741. ex Brabandia in patriam ſuſcepto (§. 76. 77. 93; *13.). An ſymptoma aut effectus melancholiae? MACULAE ad aſpectum parietis dealbati, lucidi, coeli ſereni omnes mobiles; maximae ad quadraginta & ultra pedes uti flocci adgregati in folii tiliae maris figuram latitudinemque cineritiae, tremulae, transparentes, copioſae; minores ad quatuor pedes aliquomodo orbiculares laciniatae, uti folium fere moſchatellinae, caeruleae, trementes, opaciores, pauciores; minimae ad unius pedis diſtantiam perfectae rotundae, quarum ex iis quaedam, v. gr. tres vel quatuor, uti quarta pars capitis muſcae domeſticae glabrae LINN: nigrae, opacae, parallele aut verticaliter ſe moventes, decuſſantes rariſſime; reliquae intermixtae uti acicularum apices: ad pedis dimidium aut propius plane evanidae; tum objecta lucida, albida unice, quaſi tela aranearum obducta. Dies lucidi quidam quoque ſine iis ſed pauciſſimi. Nocte tenebroſa, aut ad candelae flammam legenti abſentes. Maculae quoad molem, numerum, motum immutatae, decurſu annorum viſui obſcurationem attulere proprie nullam; cum interſtitio eorum objecta data diſtantia clara. Maculae anteriores (§. 93.* 13.) PRESBYOPIA (§. 23.); an ejus lenta cauſa?

(*) An ſedes earum humor vitreus pone lentem, aut aqueus? Maculis propria obſervatione veram adſignare ſedem ſenſuum fallaciae deterret conſcium. (**) Objecta extra oculum poſita adparent in ratione inverſa diſtantiae, & anguli viſionis directa. Objecta intra oculum ſeu maculae contrario ſe habent modo: an illa poſitiva, an haec negativa? aut, ſi priora vera; an poſteriora imaginaria?

§. 285. Haec usque ad 17 $\frac{64}{7}$. Sed ab hoc tempore objecta majora, junctis modo dicto maculis nigris, ad quadraginta pedes nebula tenuiſſima obvoluta, propiora ad quatuor ſine iis clara, ad unum obtuſa adparent. An aetatis, presbyopiae increſcentis, macularum comes effectus haec nebula? an obſcuratio viſus ipſa? lucubranti oculi lacrymantes lecturam omit-

tendam cogunt. Nulla remedia, ob certorum ignorantiam (244*19.). Periodus hujus mali 27. annorum: 1741.-1768.

§. 286. STREPITUS AURIBUS.

(1.) PERIODUS PRIMA Initium Lauterbaci M. Martio 1745 Aet. 31. ex febre catarrhali (§. 94.) reconvalescenti: An Materiae criticae ad aures metastasis? an crisis imperfecta? Historia inde ad August: 1748. tradita jam (§. 110-113). Siluit per annos: rediit PEYLAVIAE Ao. 1754. (2.) PERIODUS inde SECUNDA ad 1764. morbis gravibus laboranti imperceptibilis: forte silens? reconvalescenti recruduit pro virium incremento, sed intermittens. An analogia cum malo hypochondriaco (§. 252.), an hypochondriaci quid, aut symptoma, aut signum hujus mali? (3.) Species strepitus Auctoribus notatae: Tinnitus, sibilus, pulsus, murmur, susurrus, bombus &c. vario se excepere tempore. Vicissitudinibus, earumque gradibus, mutationibus loci nulla lex. Auri dextrae nunc frequentissimus, secus priori periodo (§. 110.), sinistrae rarior. Auri utrique frequenter idem, & quandoque (sed quod raro occurrit) strepitus specie diversus v. gr. dextrae, sibilus acutus continuus, sinistrae pulsus campanae gravis intermittens, & vice versa, vel uni auri fortis, alteri debilis, imo quandoque praegresso corporis motu auri eidem strepitus duplex, simul distinctus, successivus: primarius v. gr. tinnitus; secundarius, susurrus fortis intermittens; hic seu accessorius utplurimum primario brevior. An sedes fibrillis membranulae cochleam cingentis tensis, vario gradu, tempore, unica aut pluribus simul oscillantibus? (4.) Pulsus cordis auribus percipitur rhythmo diverso minime synchrono strepentibus, imo quandoque tres quatuorve strepitus species distinctae ambabus auribus uno eodemque tempore. (5.) Auri quocunque modo obturatae strepitus major, ex acuto gravissimus, terrens: Bombus utplurimum. (6.) Strepitus, tandem adsueto, cum nulla dies sine eo, somnum rarissime admit, frequentius tamen tur-

turbat. Adpropinquante ſenio vis videtur imminuta, ſed non continuitas. Ergo in ratione annorum inverſa ſtrepitus? (7.) Quae cauſa, praeter motum corporis vectione praeſertim, ſtrepitum excitarit, quocunque tempore auxerit, aut diminuerit, attendenti licet, difficile dictu. (8.) Coryza ei juncta nulla diminutio, remiſſio ſine criſi. Sudor quandoque praecurſor, aut comes, aut pediſſequus impotens.

§. 287. STREPITUS ſolito gravioris exacerbationum EPHEMERIS:

(* Supplementum ad morbos decennii ultimi (§. 244.).

1.) 1755. Februar. 14. SUSURRUS aurium: praegreſſo ante aliquot dies HAEMORRHOIDUM fluxu. Coelum ſol, nubes, venti: S. (auſter) frigidus ſedatus.

2.) Eod. 16. NO. (Euroboreas) coelo eodem.

3.) eod. 19. NO. Coelum nubilum, prima Lunae quadra.

4.) eod. 26. mane O. (Eurus) pomeridie S. (auſter.) tepidus. Coelum nubilum, plenilunium.

5.) die 27. eod. pediluvium veſpertinum: die ſequente Coelo nubilo temperato, S. multum diminutus (cujus ope proprie?) SUSURRUS.

(*) a die 14-28. Februar. SUSURRUS continuus. Dies exacerbationum modo notati (1-5.)

6.) - Mart. 4. ob SUSURRUM continuum veſperi pediluvium; toto fere menſe Coelo, ventis variis, indefinens STREPITUS. Hac die ſol, nubes, nix.

7.) 1760. Jul. 23. SUSURRUS *gravis*. Sol nubes NW. (Zephyro-boreas) frigidus ſedatus; cui die 25. & ſequentibus CORYZA absque diminutione: nam quandoque de die fortior quam nocte, aut vice verſa, lecti calore modo temperatus evanidus, paucis poſt diebus recrudeſcens. An ob mutatam tempeſtatem ex ſqualente in frigidam pluvioſam? S. W. hypocauſta calefacta, veſtes hybernae indutae.

8.) Eod. Auguſti 1-6. veſperi lectum intranti MURMUR quaſi torrentis ex alto ſomnum morans; in SIBILUM deſinens

motu rhedae auctus. Sudores fortes insoliti nocturni eo tempore; ab iis, a pediluvio die 3. & pedibus arte (cubo quercino (§. 227. *4.) calefactis, nullum levamen. Coelum nubes sol squalens, S. & SW. sedati. Tonitru d. 8. media nocte.

9.) Die 9. ej. MURMURI de die remissio; vesperi EXANTHEMATA brachiis *rubra* (SUDAMINA aestivo calore?) os pultaceum. Nubes, pluvia SW.

10.) Die ej. 14. SUSURRUS tota nocte fortis somnum dividens. Sol. nubes; SW. frigidus impetuosus.

11.) D. 15. Diu noctuque continuus STREPITUS. Sol, nubes, grando, procella ex SW. Tempestate diebus 17-19. frigida, hypocausta iterum uti 25. Jul. calefacta: Susurrus nullus.

12.) Die 20. STREPITUS recrudescebat denuo, coelo pluvioso frigidiusculo die 30. in TINNITUM, Coelo eodem, desinens qui a 1-5. Septembris in SUSURRUM Coelo frigido W. SW. forti hypocaustis, pedibus quoque calefactis, exaltatus, adcedente die 10. CORYZA in SIBILUM *tremulum* indefinentem vix notabilem demissus coelo pluvioso, frigido, pedibus solito frigidioribus.

13.) Exacerbationes ad $17\frac{1}{7}64$. minoris momenti commemorare ulterius, vix operae pretium.

Qualis coelo ventisque influxus? quale in sudoribus, pediluviis, haemorrhoidibus, praesidium?

REMEDIA praeter jam (§. 111.) notata & frustra tentata, nulla adhibita.

14.) PERIODUS TERTIA: inde ab hoc tempore ad hunc usque diem STREPITUS alterutri auri *continuus:* SIBILI: TINNITUS: *grilli: fistulae: rivi murmuris* &c. specie variabili (§. pr. n. 3.) sed diminuta vi.

15.) PERIODUS 1a: 1745-1748 = 3
2da: 1754-1764 = 10
3a. 1764-1768 = 4
Annorum = 17.

§. 288. MORBI PUSTULARIS Reliquiae: PURPURA CHRONICA? Initium PEYLAVIÆ April. 1756. (§. 178). Induciae pedibus, Emplastro e Cerussa camphorato (§. 189) tectis, a medio De-

Decembris 1756. ad finem Januarii 1757. Februarii initio poſt pediluvium pruritus veſpertinus per intervalla; prurientibus locis ad radios ſolis exanthemata minima ſparſa, depreſſa alba pellucida, baſi cuti concolore (§. 188, 192.). Ubi pruritus, ibi exanthemata? Emplaſtro renovato ſilens. Die 1. Julii poſt pediluvium ſaponatum & lenem pedibus frictionem, ex itinere SABOTHICO (*) diei 29. Jun. laſſo, pruritu veſpertino aliquot dies praegreſſo, die III. dorſo pedis dextri fiſſurae cuti paucae transverſales cruentae (rhagades?), tempus ſanationis non obſervatum. Exanthemata rubra miliaria foſſae tendini Achillis majora prurientia. Emplaſtro modo dicto impoſito alterne diſparentia, redientia, recrudeſcebant totius anni decurſu.

(*) Plantarum Manipulus ibi lectus.

§. 289. Ao. 1758. ſex primis menſibus, uti anno elapſo M. Julio, ob calorem aeſtivum, EXANTHEMATA *rubra* Brachiis, Dorſoque prurientia (PAPULAE, ZWING. l. c. Tom. II. p. 333. a: SUDAMINA ib. p. 477. b?) pedibus periodice exanthematis ſolitis jugiter conſperſis. M. Auguſto acidulae Veteraquenſes in loco potae; eorum cruribus alternam invaſionem reliquo anno minime praecavere.

§. 290. Ao. 1759. M. Februario epidermis dorſo pedum in ſquamulas albas furfuraceas ſoluta. Cuti tenſae ſolito ſicciori, rugae longitudinales, parallelae breves; EXANTHEMATA prurientia per intervalla pauciora, nunquam penitus diſparentia. Nec DYSENTERIA M. Auguſt. (§. 222. 234.) impedire potens fuit, quin vel ſublato forte per eam, vel ob morbi atrocitatem non obſervabili, veſpertino pruritu tibiis vergente Septembre, ex ea reconvaleſcenti, EXANTHEMATA *rubra* dorſo utriusque pedis, Emplaſtro licet tecti, foſſae internae ad tendinem Achillis, tibiae ſiniſtrae lectum petenti prurientia rediérint; ſcenam ad finem usque anni ludentia eandem.

(*) Quales dyſenteria humores eliminavit? an ſanos; an morbo morbidos? an ſuperficie cutis extraxerit ſtagnantes?

§. 291.

§. 291. Ao. 1760. Toto anno exanthemata varia locis ſucceſſive ſolitis copioſiora, pruritus major. Sub Februarii fine metatarſo pedis ſiniſtri PUSTULAE majores *lymphaticae albae* ſine circulo rubro (an PHLYCTÆNÆ *minores* §. 198.?) pruritu toti pedi, numeri excedentes rationem. Scalpendo deſtructae, ſerum plorabant gratiſſimo dolore; poſtea inflammatae. Ad Aprilis finem ad oculum, ſed non ad ſenſum, ſine desquamatione evaneſcentes. M. Auguſto SUDAMINA brachiis primo uti 1758. (§. 289.) dein toti corpori ſucceſſiva, cum pruritu; eodem modo temporeque deſquamantia. Pedibus interea nec eruptio puſtularum novarum, nec pruritus diminutis prioribus. Morbus anni reliquo uti praecedentium.

§. 292. Ao. 1761. Junii initio ad malleolum internum ſiniſtri pedis EXANTHEMATA (§. 178.) ultra copiam prurientia; Auguſti demum fine & Septembris initio ſudamina brachiis conſueta aeſtivo calore periodica? (§. 289, 291.). Octobris initio fiſſurae, ſquamulae trapezoideae dorſo manus dextrae deciduae, cutis rubella. (HERPETIS *ficci* brevi ſponte evanidi index?) Fine ejus, ad calorem pedibus artificialem (§. 287.*9.) ſiccum PRURITUS plures veſperas ſolito major, cute laevi, munda ad oculum ſaltem.

§. 293. Ao. 1762. EXANTHEMATIS *miliaribus*, pruritu-que &c. ab anni initio variabilis eruptio usque ad M. April. uti Annis 1757-61. (§. 288-291.). Medio Junii PUSTULÆ rubrae pruriginoſae tibiis denuo, diuturnae. M. Auguſto SUDAMINA toti ſucceſſiva corpori, initium quorum a brachiis (§. 289.), ſubſiſtentia per plures ſeptimanas, desquamatione terminata; pedibus adflictis prioribus, nec quantitate nec qualitate mutatis. PRURITUS Auguſti fine toti corpori lecto intenſior.

§. 294. Ao. 1763. Majo PUSTULÆ *miliares* lymphaticae interſperſae ſeroſis *pallidae*, *Baſi alba*, (§. 187.) tibiis, dorſoque pedum, praeſertim ſiniſtro, cum ardore, veſperi prurientes, copioſiores; ſcalptis ilico dolor urens, pruritui finis. An

eo

eo deſtructae? Cutis integra alba ſplendens, ſeptimanis elapſis pluribus evaneſcentia. M. Auguſti medio ſudaminibus toti corpori pruriginoſis periodicis vix liberato, Septembris fine desquamationis initium pedibus ad finem anni indeſinenter effloreſcentibus; a 20. Septbr. vero ad 15. Octobr. tibiis PUSTULÆ latiores prurientes *rubrae*.

(*) An calore aeſtatis fomes, diverſus a priori, ortus novus?

§. 295. Ao. 1764. ad 14. Jul. EXANTHEMATA varia, uti prioribus annis, per intervalla recrudeſcentia; Junio praeſertim pedibus pruritus veſpertinus auctior. Tibiis EXANTHEMATIS *albis* ſed vix conſpicuis conſperſis; cute illaeſa. Cicatricibus nulla unquam exanthemata uti olim. (§. 99, 181, 185.) Inde ad hunc usque diem nulla amplius emplaſtra dorſo pedum, nec unguenta tibiis: attamen iis pruritus, ſudamina, exanthemata rubra, cuti nitor hydropicorum, fibrae longitudinales ad ſolis radios. Aeſtatis calore Auguſto, praeſertim, exanthemata lateribus, thoraci, abdomini, femoribus, tibiis, rubra prurientia; quatuordecim dierum ſpatio deſquamantia; pro ratione aeſtus continui aut diaetae carneae, ſalſae recrudeſcentia pluries. Hyeme cuti nitidae pruritus per intervalla. Exanthemata ſi quae, alba, minima, inviſibilia, ſcalptu deſtructibilia, pulvere albo farinoſo ſecedente.

§. 296. ADNOTATIONES & COROLLARIA. QUÆSTIONES: (1) Emplaſtrum e Ceruſſa camphor. compoſit. (§. 189.) ab XXVII. Decembr. 1756. ad XII. April 1762. ſic per ſex fere annos, dorſo pedum continuo impoſitum geſtatumque; omiſſum usque ad M. Maii 1763. quo denuo ob pruritum adplicatum idem ad Annum ſequentem continuatum. Ungt. Enulae (*) pruritum ſubinde emplaſtro e Ceruſſa citius mitigavit: nunquam penitus ſuſtulit. Camphorata nihil ſtabilis praeſtitere levaminis pruritui torquenti.

(*) Recipe: Axungiae porci unciam unam. Pulv. rad. enulae drachmam unam. Frixa invicem, cola. Frigidis adde camphorae grana ſex. M. ſerva uſui.

Emplaſtrorum periodo pedum dorſo ſublatum Empl. e Ceruſſ. ad XXIV. horas modo, ilico pruritus auctior, major puſtularum proventus, impoſito iterum ceſſabat ad tempus prior. Obſoletorum removendorum, & recentium imponendorum index pruritus recrudescens diu noctuque continuus. Sicca cutis ſub recentibus emplaſtris madida ſemper, ſquamulis licet cadentibus: a nullo verum auxilium, ſopitio, ceſſatio pruritus plenaria ſine recidiva; deſtructioque exanthematum plenaria; refrigerium pedibus: omnia infida. (2.) Pediluvia: ex aqua puteali c. aq. calcis vivae tertia parte vel ſapone veneto, vel cineribus betulinis, aut furfuribus triticeis, nulla differentia, quocunque, licet debitis cum cautelis (§. 213.*), adhibito; elapſo vix triduo ſilens reſuſcitabatur, vel antea diminutus augebatur pruritus, moleſtior priori. Serioribus annis munditiei cauſa adhibere coacto, qualiacunque iidem ſiniſtri effectus; hyeme ſcilic. pruritus; aeſtate ſudamina, exanthemata cruribus rubra. (3.) Pruritus Leges: a minima materia maximus, an in ratione inverſa materiae, pruritus? calore lecti prolecta tranſpiratione terminus; dorſo pedum cum vel ſine emplaſtris ſenſus ſaltatorius exanthematum (§. 178.) oriundorum certus index. M. Januar. omnibus annis (§. 288-295.) parciſſimus pruritus an robore ſolidorum hyberno? uberior vernis menſibus, aeſtivis parcior; an tranſpiratione expeditiore? autumnalibus variabilis, attamen diminutus. Procella aut tonitru imminentibus pruritus major. Qui duplex: aut praecurſor aut comes futuris exanthematibus (§. 215. *5.). Cur pruritus dolore intolerabilior? veſperi ſemper auctus. (4.) Quæstiones? an neglectu balnei tepidi ex aqua fluviatili popularibus aeſtate frequentis juniori adſueti, in his terris nunc degenti rarius aut vix ſemel quovis anno usque ad Ann. 1764. adhibita, munditiei minore cura; trunco lana hyeme aeque ac aeſtate cincto, an ſemi- tranſpiratione hypocauſtis praecalidis aegrorum viſitatione excitata, geluque expoſitione ſuppreſſa & alterne prolecta (§. 31. 179.), cuticula cer-

certo modo laesa, tanta in exanthemata proclivitas? an ex contagio Borealium? Quale praesidium in acidulis ab anno 1758. (§. 289.) ad hunc usque diem quavis aestate interdiu pro potu ordinario strenue ad plures menses hausti? an materia exanthematica cujusvis aetatis (§. 288-294.) ad superficiem corporis potius praecipitata quam correcta? Prophylaxis? Balnea frigida; aestate vestitus tenuis; hyeme hypocausta tepida; stragula lecti non nimis plumosa; mundities; diaeta? Molestia hujus morbi in ratione inversa periculi? An tempus, aetas, vires vitae morbo huic pedibus exceptis prae medicamentis levamen attulere? Nonne Medentis inscitia morbus adeo rebellis? Qualis eradicanda nunquam redituri morbi therapia fidelis, certa, grata, cita, brevis? a solitis devia nova?

§. 297. Tabula aegritudinum ultra Morbonae terminum synchrone Ao. 1768. adhuc adficientium.

No.	AEGRITUDO:	Initium.	Quo Loco?	Duratio.	§. §.
1	Hernia scrotalis.	Ao. 1722.	Bernae.	Annor. 46	246
2	Malum hypochondr.	1733.	Ibid. –	35	247
3	Rheumatismi.	– –	Ibid. –	–	53*
4	Palpitatio cordis.	1736.	Ibid. –	32	257
5	Standi impotentia.	1740.	Homburgi ad M.	28	93 * b a.
6	Procidentia ani.	– –	Ibid. –	17	280
7	Maculae oculis.	1741.	Alsatia –	27	284
8	Strepitus auribus.	1745.	Lauterbaci.	17	286
9	Morbi pustul. reliq.	1756.	Peylaviae. –	12	288
10	Tremor manibus.	1759.	Ibid. –	9	237 * 3
11	Tensio M. gracilibus	– –	Ibid. –	9	231
12	Presbyopia.	– –	Ibid. –	9	285
13	Ulcera Ori.	1761.	Ibid. –	7	239

(*) Taceo ex continuis: Alvi segnitiem (§. 14.); Pedes frigidos (§. 20); Dentium morbos (§. 55. n. 3.); ex recrudescentibus, v. gr. Auribus dolor externis (§. 244. * 12.); Folliculos linguae (ib. n. 13.); Sudamina quavis aestate (§. 295.) &c. (**) Enumeratae modo (chronicae) aegritudines, licet non sanabiles & molestae, attamen tolerabiles, non periculosae!

Tantis adfectus nonne vocandus Aegrotans?

(§. 297. b.) Caſus Fortuiti. (A). Partiti Secundum Aetates, Locaque.

Bernae. *Pueritia* ab Ao. XI-XVI.

Caſus ludenti in cellam tenebricoſam ex alto ſuper commilitonem jam ibi inſcie jacentem, qui inde leviter ad aurem, delapſus vero minime, laeſus. Vulnera, verbera, ictus varii. Contuſiones plurimae, inter quas tibiarum ex ſaltu, cum excoriatione cutis ſumme dolorifica, cruentaque. Ambuſta digitis cum vel ſine veſicis.

(*) Minutiae, dolorificae, magnorum in poſterum cauſae. Patri celati, matri patefacti dolores.

Remedia. Tumoribus frontis ex contuſione ſtatim lamina ferri frigida aut folia liliorum alborum ſpiritu ceraſorum per fermentationem macerata; vulneribus, excoriationibus &c. aqua vulneraria gallorum vinoſa linteis, ſpleniisque calide ſemel vel bis impoſita, ſibi poſtea commiſſis. Veſicae ex ambuſtis ſectae, aër nudatis partibus dolores excitabat acutos, ſanationi ad ſeptimanas, cum ſuppuratione, mora. Cutis integra ſenſim collabens rugoſa cum ſero inſpiſſato in cruſtam quaſi operculum coalita non prius, niſi novo ſubtus latente integro integumento absque, remediis, doloribus, ſuppuratione &c. ſecedebat: Sanatio citior priori minusque moleſta.

*) Aqua vulneraria gallorum vinoſa; Spiritus ceraſorum nigrorum per fermentationem; Folia liliorum alborum ſpiritu modo dicto macerata, remedia domeſtica.

Aeſtate 1728. Aet. 15. In urbe ante meridiem petulans currui longo ſcalari non onerato quadrigae ſaltu inſidere conatus, ſupine ex eo humi ſuper pavimentum ſiliceum delapſo, rota poſterior, laminis ferreis clavisque capitatis munita, ſuper thoracem leviter veſtitum lente ſe volvens, expreſſit clamorem jacenti, praetereaque nihil; ſanus vegetus, a nemine, ut opinar, viſus ſurrexi; tacuique parentibus caſum eo magis, quod ſe-

ſequenti aetate nulla unquam pulmonibus labes compreſſo pectori rota.

Adoleſcentia ab Ao. XVII-XXIV.

Vere 1732. Aet. 18. Spectatori ludo pilae curioſo pila ad tempora ſiniſtra magno volabat impetu. Dolor horam: tumor nullus. Silentium icto non amplius revertenti.

Basileæ M. Octobri 1733. Aet. 20. Noctis tenebricoſae hora decima a coena cum amico, praeeunte cum lanterna famulo, hoſpitium petens, in area Baſilicae ad procerum aedes perſonatus, mutus quidam, flammam adflatu, famulo non reſiſtente, extinguens ad ſecurum adcedebat, brachium ſiniſtrum armati licet adprehendens, illud dorſumque baculo, clamores vapulantis non moratus, crebris verberabat fortibusque ictibus; gladium homicidii metu non extractum. Tandem ſe manibus ejus operoſe extricanti in fuga ſalus; ad clamores, famulo aufugiente, nemo in auxilium adcurrebat.

Nocte ſequente ſomnus, ſed interruptus, mane dolores verberatis ſenſibiles partibus, movendi impotentia, maculae lividae, vibices, ad ſeptimanas, remedia nulla; lenimen a tempore & patientia. Adgreſſorem detegere impoſſibile. Riſum tenebant amici; Vapulans tenebat dolores: Tacite ferendo vindicta.

Bernæ. Aeſtate 1735. lapis arenarius anguloſus, latitudinis palmae; craſſitiei ultra Unciam; ponderis libram excedens, ex platea per feneſtram cubiculi in elatiore domus parte, vitra frangens, plumbum discerpens, in lectum projectus. Strepitu profunde dormienti (quod rariſſimum) non obſervato, expergefacto mane in pulvinari faciei contiguus illaeſae repertus. Angelorum cuſtodia periculis quoque imminentibus noctu.

Aetas virilis ab Ao. XXV-L.

Bernæ Ao. 1739. Aet. 25. Ossis sacri contusio ad laminam ferream ex casu ab alto, indusio solum tecti. Dolor statim ingens urensque, meandi impotentia unius diei, ad tactum excoriatio nulla; mane sequente ex sudore in lecto artificiali lenimen; lotio per aliquot dies cum aqua vulneraria gallorum calida; sanatio dolorumque sublatio spontanea trium hebdomadum spatio.

Casus fortuiti (B) collecti:

Variis in locis diversoque tempore subtimidus eques cum equis nocte in fossas profundas lapsus incolumis, pluries aut ex iis praeceps rui erectis, aut equis ad terram flexis genubus se demittentibus, postea cingulis diremtis, sella soluta se volventibus. Pedum ex stapedibus liberatio auxilium unicum illaeso e longinquo spectatore.

Excisio aurigae lapsus impunis; ex rhedarum subversione contusiones equis mansuetis vecto, parvi praeter terrorem momenti.

Pollicis dextrae manus semiluxationes lapsu in glaciem dolosam in platea silicea; tumor, motus impeditus, sugillatio. Reducto extensione, aqua vulneraria una vel altera vice spleniis calida adplicato, tempori reliqua commissa.

Contusiones tibiarum pavoribus nocturnis e lecto salienti ex cutis laesione levidensi cruenta dolor, inflammatio, gressus dolorifici. Consolidatio quatuordecim demum dierum spatio.

Remedia: aqua vulneraria calida crebra; pellis leporina; pulvinaria; quies horizontalis; deligatio rara.

* * * * * * * *

In Pelago, Fluviis, Lacubus, Stagnisque pericla.
Custodiae divinae Laudes aeternae.

MAN-

MANTISSA.

§. 298. Aquae Minerales, calidae ac frigidae, acidulae, dulcesque, ſanitatis, curioſitatis, officii cauſa (quandoque pluries) aditae, quarum plurimae ſerie chronologica ſequenti exhibentur

TABULA.

No.	Aditus: Annus.	Menſis.	Locus.	Provincia.	Qualitas.	Aditus: Quoties?
1	1728. 1730. 1731.	Julio.	GURNIGEL *inferior.*	Bernenſis.	aqua frigida: petroleo impraegnata, pellucida: ſapor ovorum putridorum: ſulphurea vulgo.	3
	*) Aſcendendo Montem fons alius gravior trihorio ab hoc diſtat: *ſuperior* vocatus, ob foetorem majorem parcioris uſus; forte virium majorum? an ſcaturigo prioris, aut ambo ex eodem fonte?					
2	1730. 1734.	Majo. Junio.	MAEUSLEINS-BAAD: Muſculi Balneum.	Ibid: haud procul ab urbe.	— frigida, petroleum leviter olens, pellucida; ſulphurea vulgo, ſapor levis ovorum putridorum mane.	2
3	1730.	Junio.	BLUMENSTEIN.	Bernenſis.	— frigida, inſipida, ochram copioſam deponens.	1
4	1730. 1731.	Junio. Julio.	WEISSENBURG. (§. 49.).	Ibid: vallis ſimiae.	— tepida, pellucida, coerulescens, inodora, pinguis, bolaris, inſipida, aſperula radici linguae.	2

*) Thermae (§. 49.) hae ad radicem M. *Neunenen* ad torrentem frigidiſſimum *Buntſchibach* haud procul ab arce *Weiſſenburg* ſitae, jam ſuperiori ſeculo notae uti Inſcriptio ſcaturigini cameratae verſus orientem 1604. docet; ab Avo ſumtibus propriis redintegratae. Piſa aquae incocta, dura manent. Caro bovina elixa rubra emergit: acidi mineralis index? E regione fontis haud procul a domo thermali occidentem verſus centum circiter paſſus ſpelunca, vulgo: *Mondmilch-Loch*, e cujus fornice ſtalactites mollis transudando deſtillat, lapides cruſta alba obducens, abraſus accolis audit *Mondmilch*: Lac Lunae. Nec mineraferri, nec pyritae, nec marcaſitae in vicinia ſcaturiginis hucusque reperta.

5	1731.	Julio.	LEUCK.	Valesia.	— Fervida, pellucida, ochram deponens, saporis parum salsi.	1
6 7	eod.	eod.	SCHNITTWEYHER. N. N. excidit nomen VICINI.	Thunensis Bernensium. Prefectura.	— Frigidae, limpidae, insipidae, bolares.	1 1
8 9	1733.	Aug.	FLIEHEN, SCHAUENBURG.	Basilienſis.	— Frigidae, limpidae, insipidae, bolares, vapor calefactis vappidus: sulphureus vulgo.	1 1
10	1734. 1738.	Jul. Aug.	BAADHAUS.	Bernensis, horam distans ab urbe.	— Frigida, fere (uti no. 2.) bolaris, sed mitior.	1 1
11	1736.	Jun.	LAUSANNÆ *a la Poudriere.*	Bernensis.	— Frigida, limpida, sulphurei odoris, insipida, ochra lateritia.	1
12	eod.	Aug.	Fons ad salinas: BACTIACI; *aux fondemens?*	Ibid.	Frigidus, limpidus, sulphur nativum deponens copiosum.	1
13	eod.	eod.	AIX. Aquae Allobrogum.	Sabaudiae.	Fervida, pellucida, insipida, absque ochra.	1

*) In vicinia ejus ex eodem pariete rupeo, ad paucos pedes Fons gelidus, limpidus: aluminosus vulgo: an dentur?

14	—	—	PRANGIN.	Bernensis.	— Frigida, limpida, sulphurei odoris, insipida, adfinis no. 2. (6.7.).	1

*) GENEVAM vehuntur aegrotantibus.

15	—	—	ROLLE.	Ibid:	— Paludosa, priori similis; sed ochra pauca.	1
16	—	Sept.	EBRODUNUM. Yverdun.	Ibid.	Frigida, aetherea, limpida bolaris, calefacta sulphurei seu vappidi odoris: sulphurea vulgo: no. 10. adfinis?	1
17	1737.	Sept.	SEKINGEN ad Rhenum.	Austria anterior.	priori similis.	1

18	1738.	Aug.	*Andreae fons*, prope STUTTGARD.	Ducatus: Würtemberg.	Acidulae leviores mitiores, ochra subtilis.	1
19	—	—	BADA.	Helvetior: comitatu Badensi.	Fervida, subsalsa, turbidula, sulphur vivum deponens ligneis incilibus.	1

*) Fons S. VERENAE calidissimus ceteris, gurgite similis no. 25.

**) In Prato: die *Würfel-Wiese*, Tesseras effodiendo, substantiae corneae (factitias?) inter rudera lateresque ad superficiem terrae nactus.

20	—	—	SCHINZENACHT.	Argoviae Pago Bernensi.	Tepida, pellucida, pinguis; sulphureo calefacta vapore, insipida.	1

*) Sulphur nativum floccorum nigrorum specie D. CHRIST, Chymiater, me praesente praecipitavit inde, quarum scaturigo in alveo Arolae olim.

21	1739.	Jun.	LOCHBAAD.	Bernensis: praefectur: Burgdorf.	Frigida, limpida, bolaris, insipida, calefactae vappidus vapor. cf. no. 8. 9.	1
22	1739.	Sept.	BRUETTELEN Bretiege.	Bernensis: Praefectur. Erlach.	Frigida, insipida, inodora, coerulescens, ochra pauciſſima, aspera linguae, ventriculo levis. cf. no. 16.	2
	1740.	Jun.				

*) Scatebrae binae sibi vicinae, vetus & nova; quarum aquas modo dictus D. CHRIST juxta experimenta martiales pronunciavit, in colle scaturientes. Adsunt ibi in superficie strata lapidum figuratorum: Conchites, musculites, chamites &c. crusta tophacea obductos continentia. Testa eorum quasi corrosa, quaevis species seorsim in lapide duro arenario flavescente acervata ad aedificia construenda idoneo. Fons inde scaturiens domestico usui gravis ventriculo, calcareus, tophaceus?

23	1740. 1741. 1742. 1743. 1747. 1749.	Sept. Jun. Aug.	Thermae Serpentar. SCHLANGENBAAD. (§. 109.	Hassiae inferioris comitat: Cattimeliboci.	Tepida mollis. Elementaris, limpida, coerulescens, saponacea. Sapor oleosus, dulcis; post radici linguae asperulus. Vapor calefactae oleosus, sedimentum bolare album parcissimum. adf. n. 4?	6

(*) Folia Thee *Boey* infusa huic lymphae gratissimi saporis. Gravitas ejus specifica ad aquam pluvialem uti 9: 10. (**) Potae hae aquae egregios praestarent effectus in morbis a fibra rigida: quod jam suo aevo suboluit HOFFMANNUS.

24	iisdem.	iisdem.	SCHWALBACH. *Prudel*; vulgo: *Weinbrunn.*	Ibidem.	Acidulae saturatae, spirituosae, aethereae, rudiores, vini fere sapore, ochra subtili.	6

*) Hujus effectus noxius (§. 93. * 9.). Taceo plures ibi scaturientes acidulas, uti v. gr. Fontem sic dictum scabiosum. *Kraez-Brunn.* &c.

25	1740. 1741. 1742.	Sept.	WISBADEN (§. 267.) Thermae	Nassau-Idstein comitat:	Fervidae abundantes, odoris vappidi, ingratique, subsalsi saporis, sine ochra: nisi eaedem cum no. 13. saltem adfines.	5
	1743. 1749.	Julio. Aug.	Mattiacae			

*) Plures vario caloris gradu promanant ibi scatebrae. Ex his in platea fervidissima muro cincta jacet neglecta: an ob nimium fervorem? Observationes in fonte domus, cui *Aquilae* signum, factae. cf. n. 19.

26	1740.	Jun.	BRUNNENBACH.	Bernensis Praefectur. Burgdorf.	Similis nro. 21. levis, aerea; calefacta turbida, bolaris.	1
27	1741.	Julio.	St. AMAND.	Brabandiae.	Paludes tepidae, olentes: an petroleo? an cespitibus putridis?	1
28	1742.	Mart.	SODEN.	Ditio Francofurtens: ad M.	Acidulae mitiores, ochra saleque culinari foetae.	1
29	1743.	Jun.	CARBEN.	Wetteravia.	Acidulae spirituosae, mitiores, limpidae, pauciori ochra quam no. 24.	1

*) Plures harum scaturigines gratissimi saporis in pratis; cum vino rhenano mixtae, addito sacchari pauxillo, turbidae albescentes spumescunt: Amant quoque Acidulae plana.

30	1747.	Majo.	HOFF-GEISMAR.	Hasso-Cassellana.	Acidulae, mites coerulescentes, adf. no. 18, & 29.	1
31	1747.	Jun.	CLEVE.	Ducatus Clivensis.	Acidulae, turbidulae, leviores, inodorae, insipidae fere, martiales leviores, ochra vix observabilis.	1

32	1749.	Mart.	Murten-Baad.	ad urbem cognomin.	Frigida, limpida, bolaris, fulphurei odoris? calefacta, adfin. no. 14.	1
33	1751.	Mart.	Peters-waldau.	Silefiae Ducatus Swidnicens.	Frigida, limpida, coerulescens, levis fitim non extinguens, fatua, inodora, bolaris?	1

*) Obfolevit earum ufus; licet D. Sigism. Hahn, Poliater Swidnicenfis, eam fcripto faceto, cui Titulus: *Peterswaelder-Gefundheits-Brunn.* Schwidn. ap. Muller; 8. 1732. una cum falubritate aquae limpidae potus, celebrare conatus fuerit; periere cum fama fontis laudes hujusque methodus.

34	1751.	Jun.	Alt-Wasser. Fons *fuper: Oberbrunn.* (§. 256, 289;)	Ibid.	Acidulae limpidiffimae fpirituofae, odore, fapore levioris vini (campani?); & coelo diu fereno, lithantracum, ochra tenui &c.	3
	1758.	Jul. Aug.				
	1759.	Jun.				
35	- -	- -	Ibidem: Fons *inferior. Nieder-Brunn.*	Ibid.	Minus fpirituofus pellucidusque, faporis rudioris. Ochra craffa copiofa.	1

*) Fons *fuperior* frigidiffimus, hauftu ejus primo, anno 1758, vergente Julio, non jejuno Scrobiculo cordis ilico pressorius dolor, Ventriculo tumor, adpetitus proftratus fomentis externis ficcis licet adhibitis tota morae periodo, pedes vefperi calidi, aliis raucedo ad plures dies, forte frigidis, debilibus, hyftericis eadem, fed parum obfervata accidentia. Alvus nunquam obftructa. Vefperi fons ventriculo minus oneri, quam mane. Fons inferior non aeque frigidus, licet fere altioris profunditatis.

**) Ao. 1758. Auguſto ad femitam verſus *Waldenburg* prope fontem fuperiorem Boleti Phalli. C. B. duas fpecies (varietates?) lectae.

1.) Boletus Phallus, petiolo albo folido cylindrico ponderofo, e bulbo cepiformi ex carneo & albo variegato, radiculae teretes quaedam. Pileus reticulatus fufcus mucore flavo tenaci odoris cadaverofi late diffufi obductus; cujus apici fcutulum albidum (peltum?). Altitudo fex unciarum. Muſcae flavefcentes capitulum obfidebant.

2) Boletus Phallus, petiolo albo porofo levi, radice fimplici, capite fufco reticulato, mucore flavescente foetido, fcutulo albo tecto, ejusdem c. priore altitudinis. Muſcae abſentes: ulteriorem Muſcarum Boletorum defcriptionem, adfervationemque vetabat Mephitis.

***) Ibid. Anno 1759. circa finem Junii inter plures lectas plantas quoque in prato haud procul a fodinis Lithanthracum exhauſtis relictisque: (quinquaginta annorum ſpatio ultro replendis:) ARNICA foliis ovatis integris conjugatis (caule brachiato). HALLER En. Helv. p. 737. n. 2.

36	1751.	Jun.	CHARLOTTEN-BRUNN. prope TANNHAUSEN.	Ibid.	Acidulae mitiores, coeruleſcentes, odore calefactae leviter ſulphureo, ochra parca, adfin. no. 20.	1

*) In loco ex Infuſo Thee *Boey* color brunus.

37	- -	- -	ULBERSDORF.	prope Frankenſtein. Siles: Duc. Münſterbergens.	Aquae dulces, turbidae, bolares, fatuae, odore calefactae vappido: vulgo ſulphureae, adfin. no. 25?	1

38	- -	- -	Fons antiquus S. GEORGII ad LANDECK: *Alt-Baad.*	Comit.	Superficie tepidae. Fundo frigidae, limpidae, ſine ochra, vapor calefactis ſulphureo-oleoſus. Thermae vulgo?	1
39	- -	- -	IBID. Fons recens: *Neu-Baad.*	Glacenſis.	Similis priori, frigidior, magis coerulescens.	1

*) Inſidentes iis dentibus frigore crepitant. Aegris quibuscunque inſeſſus fonti frigido, dein calefacto, in ratione temporis : : 1 : 4. vel 6. alternativus ſubeundus eſt. Unde Methodi hujus univerſalitas? Nonne calefacta poſterior quadruplo longior tollit frigidae effectus prioris roborantes, ratione data?

**) Fervidis calidisque adnumerantur hi fontes a quibusdam ſcriptoribus: quo jure?

40	- -	- -	SCHWEFEL-BRUNN.	Ibid.	Frigida, limpida. Odor gravis uti ex hepate ſulphuris, ſapor ovorum putridorum, an ex petroleo? Fons vulgo ſulphureus ſine ſulphure no. 1, adfinis.	

*) Origo ex eodem monte c. no. 39. ad templum.

**) Uſibus internis quandoque inſervit.

***) Ex radice montis unde no. 38, orientem verſus fons limpidus, levis, aereus, inodorus, inſipidus, aeſtate frigidus, hyeme tepidus: BISCHOFFS-BRUNN (*Fons epiſcopi* incolis) ſcaturit: ab illo (40) diverſus, non mineralis habitus.

41	- -	Jul.	TEPLYWODA.	Sileſiae Ducatus Münſterbergens.	Tepida, pinguis, cuticula variegata. Mucore (ex ceſpitibus putridis?) ſupernatante, ſapor ſubſalſus.	1

(*) Obſolevere; quo fato? nomen aquae pago antiquiores dedere fertiliſſimo, cujus ſignificatio Bohemica: *Calida aqua.* Ibi Marga nigra decennium agros foecundans in ſtrato ſubterraneo ad decem pedes effoditur &c. (**) Milliare ab illo, in vico: *Dirsdorf,* Duc. Bregens: media via fons dulcis; ſaporis ovorum putridorum; odoris ingrati. Cuticula pinguis variegata. Ochra ad alveolos. Nullius unquam uſus: an bene?

42	1752.	Jun. initio.	WARMBRUNN v. WARMBAAD. prope HIRSCHBERG.	Sileſiae Ducat. Javorienſis.	Thermae, aqua coerulea, tactu oleoſa, pinguis. Manui temperatus, gratusque (ſanguinis humani?) calor, vapor ſulphureus (oleoſus): an ex petroleo? fortior no. 38. nauſeoſus, nulla ochra.	1 1

*) Scaturigines binae ſimiles?

43	- -	Menſ. vergente eod.	CODOWA (§. 209.)	Glacenſis Comitat.	Acidulae ſaturatae aethereae, volatiles, limpidiſſimae, ſaporis vini, poſt atramenti. Ochra copioſa, ligna, graminaque terramque incruſtans.	1

(*) In loco adfuſione Syrup. Violar. color viridis; Pulver. gallar. ex fuſco-niger; Ol. Tartar. p. d. ſedimenti albi pauci praecipitatio levis; Argento ſcaturigini immerſo brevi nigredo. Domi haec Experimenta non amplius ſuccedebant, niſi quod Ol. Vitrioli inſtillatione efferveſcentia, ſtrepitus, bullulae, vapor aſcendens volatilis agitato vaſe, ab inſperſione Cremor. Tartar. pulver. eadem. Mixtione vini acido-auſteriuſculi Auſtriaci & Sacchari ebullitio, ſtrepitus, ſpuma, color lacteus, bullulae copioſiſſimae, gratiſſimi ſaporis, ſecus ab Hungarico & Burgundiaco (*Vollnay*). Lac calidum ſpumabat, dilutius evadebat, ad tertiam partem infuſum. Spirituoſae vitra craſſa nimis impleta diffringunt. In loca diſſita vehi patiuntur parum imminuto ſapore &c. An adfinitas Swalbacenſium, no. 24. aut praeſtantia prae iis? Gravitas ſpecifica ejus ad Aquam ſtillat. roſar. jam quatriduum M. Julio in cella adſervatae : : 19 : 2[illegible]. (**) Acidulae hae largo rivo in pagello modo nominato *Kudowa* Sileſiis: *Cadawar* BÜSCHING *Geograph.* Tom. III. Vol. I. §. II. p. 19. 1757. ſemileu-

	ca ab urbe Bohemiae; NACHOD, laeto ſcaturiunt prato ad limen domus, cujus poſſeſſor tum temporis balneator.				
44	Ad oppoſitum ejus latus tres paſſus a priori acidulo diſtans fons alius dulcis turbidus, lacteus, bolaris, frigidus, contra adfectus cutaneos cum ſucceſſu ab eo adhibitus, uſus frequentia non reſpondet virtutibus horum. (***) An ADONIS ARVENSIS flore phoeniceo RUPP. Ed. 2da p. 159. ibi ad margines ſegetum coeli mitioris index?				1
45	—	—	REINERZ.	Ibid.	Acidulae aethereae, volatiliores veteraquenſibus no. 34. limpidae, ſaporis exquiſiti vini levioris &c. Ochra ſubtilis pauca.	1

(*) Plures ad urbem eodem prato, vicino acidulae rivo. (**) Comitatus Glacenſis abundat acidulis, praeter memoratas 43. 45. ultra quindecim innotuere vici, quibus non modo unus, imo fontes plurimi. (***) Ab Anno 1728-1752. ſic annorum 24. intervallo Fontes 45. (55) aditi 68ies ſanitatis cauſa, ſed fruſtra frequentati = 4: (ſcil. no. 4; 23; 25; 34): Augere numerum vetuit memoriae lapſus. (****) Rudimenta Thermologiae Bernenſis ex hac Tabula?

(* 298. FONTIUM Mineralium CLASSIFICATIO Secundum qualitates ſenſibus obvias manifeſtasque.

Fontes A: CALIDI.

THERMAE.

Ordo a maximo calore; deſcendendo ad minimum.

Norma { Fervidorum: Wisbaden. / Calidorum: Tolerantia Manu. / Tepidorum: Lac vaccinum &c.

*) Caloris an una eademque cauſa?

a; Fervidae: 1 Wisbaden Nro. 25; 2 Bada Helvet. △. 19; 3 Leuk. 5; 4 Aix en Savoye. 13

b; Calidae: 1 Hirſchberg. 42; 1 Schinznacht. 20

c; Tepidae: 2 Weiſſenburg Helv. 4; 3 Schlangenbaad. 23; 4 St. Amand. 27; 5 Landek {Alt-Baad. 38; Neu-Baad. 39}; 6; 7 Teplywoda. 41

B: FRIGIDI.

α ACIDI, ſic dicti;

ACIDULAE vulgo; potius: Alcalini ſpirituoſi (juxta HOFFMANNUM.)

Ordo

Ordo a Sapore acutissimo: volatilitate maxima &c.

1 Altwasser: *Ober-Brunn*, Nro. 34
2 Reinerz. 45
3 Codowa. 43
4 Schwalbach. 24
5 Carben. 29
6 Hoff-Geismar. 30
7 Altwasser: *Nieder-Brunn*. 35
8 Andreas-Brunn. 18
9 Charlotten-Brunn. 36
10 Soden. 28
11 Cleve. 31

β: Dulces.

(a) insipidi, inodori.

1) Sulphure praegnantes nativo:

1 Aux Fondemens. 12

2.) Bolares.

*) Calefactis vapor (sulphureo-) vappidus.

a) *Turbidi*; *lactescentes*:

1 Codowa. 44
2 Ulbersdorf. 37

b) *Limpidi*:

1 Brunnenbach. 26
2 Fliehen. 8
3 Lochbaad. 21
4 Murten. 32
5 Peterswaldau. 33
6 Schnittweyher. 6
7 N. N. prope Thun. 7
8 Schauenburg. 9
9 Sekingen Austr. 17
10 Yverdun. 16

3.) Ochracei.

Ordo a maxima Ochrae copia.

1 Blumenstein. 3
2 à la Poudriere. 11
3 Rolle. 15
4 Brüttelen. 22
5 Prangin. 14

(b). Saporis ovorum putridorum; odoris (plus minus.) gravis, sulphuris hepatis:

Ordo uti priorum a saporis, odorisque intensitate maxima.

1 *Schwefel-Brunn* Landek. 40
2 Gurnigel. 1
3 Maeusleins-Baad. 2
4 Baadhaus. 10

Summa Specialis:

Fontium notatorum (*):
- calidorum A = 12
- frigidorum B = 33

} = 45

notatorum (*):
- calidorum (a) = 3
- frigidorum (b) = 7

} = 10

Summa tota: = 55.

(*)

(*) Auctorum Indicem Vaniloquentia vetat.

§. 299. INDEX MORBORUM.

Abſceſſus: Alae. Dorſo. Gingivis. Lumbis. Scroto.

Achores.
Alopoecia.
Ancurismata.
Angina ſpuria.
Aphtae.

Arthritis: Dorſo. Malae. Manubus. Metatarſo. Genubus.

Atonia.

Borborygmi.

Cardialgia.
Caries dentibus.
Caro luxurians.
Cephalalgia.
Clavi pedibus.
Colica: calida (humida; ſicca.) frigida.
Convulſiones.
Coruſcatio oculis.
Coryza.

Debilitas oculis.
Diarrhoea.

Dolor: Auri (externae; internae.) Calcaneis. Dentibus. *Fronti obtuſus.*

Dyſenteria.
Dyspepſia.

Ectemata.
EDUCATIO?
ERUDITIO?
Eſſerae.
Exanthemata varia.

Febris: acuta. catarrhalis. continua. ephemera. exanthematica rubra miliaris. lenta. morbilloſa. rheumatica. ſcarlatina. tertiana (notha; vera.) topica: cruribus. urticaria.

Fiſſurae: Labris. Suris.

Folliculi: *cutanei.* linguae.

Frigus: Ventriculo. Pedibus.

FUGA PATRIAE?
Furunculi.

Gravitas: Capiti. Ventriculo.

Hae-

Haemorrhagia
Haemorrhoides { Ano. / Naribus { copiosa; / stillatitia. }
Haemoptysis. { coecae; / fluentes. }
Hemicrania.
Hernia scrotalis.
Herpes { humidus; / siccus. }

Icterus.
Idiosyncrasia?
Impetigo.
Inflammatio { sanguinea; / serosa; / lymphatica. }
Impotentia standi.
Irritabilitas Intestinis.

Lichenes.
Lipothymia.
Lumbago.

Maculae { *rubrae* Tibiis. / nigrae Pedi (gangraen.) / volitantes Oculis. }
Malum hypochondriacum.
(Matrimonium?)
Melancholia.
Metus purpurae vanus.

Nativitas?
Nausea.

Obstructio { Alvi. / Hepatis. }
Oedema pedibus.
Ophthalmia.

Palpitatio { cordi.
Panaritium.
Papulae.
Parulis.
Pavores somno.
Perniones.
Phlyctaenae.
Phtiriasis { capiti; / scroto. }
Podagra.
Presbyopia.
Procidentia ani.
Pruritus cuti.
Purpura spuria { alba; / rubra. }
Pustulae variae innominatae.

Raucedo.
Rhagades.
Rheumatismus { fixus. / vagus. }

Sapor depravatus.
Scabies.
Segnities Alvo.
Sensatio falsa.
Singultus.
Sirones.
Sitis.
Soda.
Spasmi particulares varii.
Strepitus auribus.
Stupiditas Intellectui hyp.
Sudamina.
Sudores nocturni.
Sugillatio oculo.

Temperamentum?
Tenſio. M. {gracilibus; occipitalibus.
Terminthus.
Tormina.
Torpor Menti hypoch.
Tremor Manibus.
Tumor {Faciei; Gingivis.
Tuſſis.

Vari {Dorſo. Fronti.
Varices {haemorrhoidales. vaſorum ſpermat:
Variolae verae.
Vermes {Aſcarides. Lumbrici.
Verrucae.
Vertigo.
Vigiliae.
Viſus obtuſus.
VITA.
Vitiligo.
Vomitus.
Ulcera Ori.
Unguis difformis.

*) Demtis nominibus Morborum majusculis & *Synonymis*, reſtabit numerus = 118. (cf. conſpect. †). Qualis felicitas tali ſumma dolorum!

* * * * * * * * *

Remediorum catalogus heic adjungendus foret; modo eorum vires ſalubres aeque fidas ac Corticis depraedicare licuiſſet adeo felici! Cum ex tradita Morborum ſerie liquet: Dei gratia viribus vitae ſuffultis potius, quam remediorum ope tantis emerſiſſe morbis aegrum: ideo omiſſus.

§. 300. Data ſanationis aeque artificialis, per Medicamenta, ac ſpontaneae, per vires vitae &c. notione; Majorum utraque methodo ſanatorum inter ſe determinanda demum foret Morborum ratio? Interea.

Morborum Ratio:	Majorum: minorum	:: 74:	44:	::18:	11.	fere.
	Moralium ſeu phyſicorum:					
	Animi; mentis: ſ. corporis.	:: 14:	104	: :	1:7	fere.
	Externorum: Internorum:	42:	:76:	:3:	5.	fere.
	Internorum:					
	chronicorum: acutorum::	37:	39.			

Tantis morbis vitae tenacitas miſerae praeter ſpem protractae; virium animi corporisque tenuitas: Mens aegra in corpore aegro: Senectus praecox: tarda

Alumno Morbonae emaciato.

F I N I S.

Index

Index Morbonae,

juxta Annorum, Menſiumque Seriem:

A.

Abſceſſus ſcroto dextro. 1722. §. 39.
— Lumbis ſiniſtris. 1728. §. 46.
— Alae ſiniſtrae 1733. §. 52.
— Gingivis Dec. II. §. 55. * 5).
— variis corporis partibus *ſeptendecim* ſimul. Jul. Septbr. 1756. §. 203. ſeq.
— Dorſo. Octobr. 1756. §. 216.
— Labio inferiori. Octobr. 1757. §. 244. * 69 (a).
— narium cavitati dextrae April. 1759. §. 244. * 69.)
— ori, Octobr. 1761. §. 239.
Abſtemius quomodo. §. 27.
Achores Dec. I. §. 42. * 1).
Alopecia. Nov. 1733. §. 54. Dec. 1759. §. 236. * 3).
Anevriſmata 1756. §. 198.
Angina ſpuria. Jul. 1750. §. 146; Nov. 1752. §. 152; Jan. 1756. §. 156. Febr. 1758. §. 244, * 22); Majo 1756. §. cit. * 24).
Animi indoles, §. 8.
Aphtae 1753. §. 155, no. 10.
Arthritis Septbr. 1733. §. 533; Febr. 1738. §. 70; Sept. 1741; Mart. 1746. §. 105; April. 1754. §. 152; Febr. 1756. §. 157.
Arthritis balneo prolicitur §. 80.
— *Ve: Se:* non mitigatur. §. 81.
Aſcarides 1741. §. 93. * 11).

B.

Borborygmi. Sept. 1759. §. 286; * 2).

C.

Cardialgia Febr. 1738. §. 93. * 5); Dec. 1747, §. 122; Jun. 1755. §. 244. * 4); Febr. 1758. §. cit. * 23.); Apr. 1760. §. cit. * 37); Jul. 1763. §. cit. * 61).
Caries dentibus. §. 55, * 3.)
Caro luxurians. 1756. §. 219.
Cephalalgia tenſiva. 1756. §. 219.
Character complicatus §. 8. a, b.).
Clavi pedibus. 1733. §. 55. * 15).
Coffee cum Cremore lactis:
— anxietas. 1736. §. 166.
— faſtidium 1751. §. 147; 1756. §. 157. §. 175. §. 244. * 4).
— palpitatio cordi 1751. §. 148.
— ſenſus lapidum ventriculo. 1754. §. 154.
— ſano gratum: aegrotanti ſtatim ingratum §. 18.
— ſomnus fugatus. 1754. §. 153.
— ventriculo onus. 1756. §. 219.
Colici dolores. Dec. I. §. 42. * 3).
Colica humida: Majo 1755. §. 244. * 3); Majo 1759. §. cit. * 30); Dec. 1759. §. cit. * 32); Dec. 1760. ib. * 39); Jan. 1762. §. cit. * 47.); Majo 1762. §. cit. * 51); Jun. 1762 §. cit. * 54.); Jan. 1763. §. cit. * 58).

Colica inflammatoria Vere 1722. §. 38; 1726. Jul. §. 43.
Colicae insultus. Dec. II. Ann. X-XX. §. 55. *1); Jun. 1749. §. 155. *6).
Colica sicca. Sept. 1754. §. 244.*1); Febr. 1756. §. cit. * 8); Jan. 1760. §. cit. * 35); Jun. 1760. §. cit. * 38.); Dec. 1760. §. cit. * 39); Majo 1761. §. cit. * 41); Jun. 1761. §. cit. * 42); Oct. 1761. §. cit. * 43); Nov. 1761. §. cit. * 44); Febr. 1762. §. cit. * 48); Jun. 1762. §. cit. * 53); Nov. 1762. §. cit. * 56); Jan. 1763. §. cit. * 58); Jun. 1763. *60); Augusti. 1763. §. cit. *62); Febr. 1764. §. cit. *66).
Contusio labiorum. §. 244. * 34).
Convulsiones I-X. §. 42. * 4).
Coruscatio oculis clausis. 1756. §. 165.
Corticis peruviani semilibra devorata. §. 127.
Coryzae infanti I-X. §. 42. * 5).
— bis quovis anno X-XX. §. 55. * 2).
Coryza Nov. 1755. §. 244. * 6); Augusti. 1756. §. cit. *9); Oct. 1757. §. cit. * 17); April. 1761. §. cit. * 40); Majo 1761. §. cit. *41); Nov. 1761. §. cit. * 44); Octobr. 1762. §. cit. * 55); Nov. 1763. §. cit. * 63); Martio 1764. §. cit. * 67); Majo. 1764. §. cit. * 68).

D.

Debilitas oculis 1755. §. 244. *19).
Dentitio secunda I-X. §. 42. * 7).
Desquamatio cruribus 1756. §. 174
Diarrhoea sine torminibus. Jul. 1750. §. 146; April. 1754. §. 155. * 13).
— cum torminibus vid. Colica humida.
Dolor aurium internus. I-X. §. 42. * 2).
— auri externae. 1757. §. 244. *12); Jan. 1758. §. cit. *20).
— calcaneis &c. 1761. §. 239; Dec. an. ej. §. 244. * 45); Dec. 1763. §. cit. *64).
— coxendici. Dec. 1761. §. cit.
— Dentibus I-X. §. 42. * 6); X-XX. 1733. §. 55. * 3); Dec. 1736. §. 93. * 3); Jun. 1737. §. cit.); Jun. 1741. §. cit. * 12); Febr. 1742. §. cit. no. 14; Mart. 1746. §. 155. no. 2); Augusto. 1747. §. cit. no. 4).
— fronti obtusus. §. 55. * 16).
Dysenteria. Augusto. 1759. §. 223. 59.
Dyspepsia. 1738. §. 73.

E.

Educatio. §. 26. seq.
Eruditio. §. 33. &.
Efferae. §. 188.
Exanthemata multiformia successiva. 1756. §. 181. seq. vid. pustularis morbus.

F.

Febris acuta. Augusto. 1728. §. 45; M. eod. 1733. §. 50; Jul. 1741. §. 74.
— catarrhalis. Jun. 1744. §. 155. * 1); Augusti. 1751. §. 149; Mart. 1754. §. 153; Nov. 1755. §. 244.

§. 244. *6); Jan. 1756. §. 156; Auguſt. 1756. §. 183. & §. 244. *9); Jan. 1758. §. cit. * 20); Majo ejusd. ann. §. cit. * 24); Januar. 1759. §. cit. *25); April. 1761. §. cit. *40); Majo. Ann. ej. §. cit. * 41); Nov. Ann. ej. §. cit. * 44); Oct. 1762. §. cit. * 55); Nov. 1763. §. cit. * 63); Martio 1764. *67).
Febris continua. Nov. 1734. §. 93. * 1); Majo 1750. §. 138.
— Ephemera. Majo. 1736. §. 166.
— Exanthematica purpuracea rubra. Majo 1748. §. 131. Julio 1750. §. 146; Auguſt. An. ej. §. 149.
— Lenta. 1723. §. 41. 1733. §. 51; 1736. §. 46; 1744. §. 90. ſeqq; 1750. §. 140. 142.
— Morbilloſa: Febr. 1745. §. 94.
— Paroxyſmus unicus. Sept. 1761. §. 244. *42, b,).
— Rheumatica. Jan. 1746. §. 102.
— Scarlatina. Jul. 1748. §. 129.
— Tertiana notha. Martio 1748. §. 124; April. 1750. §. 132; Junio. An. ej. §. 143.
— regularis (vera) Nov. 1747. §. 119. Aug. 1759. §. 229.
— topica cruribus. Auguſt. 1756. §. 208. * 1).
— Urticaria. Majo. 1735. §. 93. * 2).
Fiſſurae labiis. X-XX. §. 55. *6); 1763. §. 244. * 69).
Folliculi ſublinguales. Febr. 1737. §. 244. * 13).
Frigus pedibus. X-XX. §. 20.
Frigus Ventriculo. Aug 1759. §. 236. *5); Jun. 1760. §. 244. * 38.
Fuga patriae. §. 33.
Furunculi. 1756. §. 203. ſeq.

G.

Gravitas Capiti. 249.
— Ventriculo. 1754. §. 153. 154; 1756. §. 158. 159. 163. 165. 218; 1757. §. 244. 249.

H.

Haemoptyſis. Septbr. 1740. §. 93. *9); Octobr. 1747. §. 118; Mart. 1755. §. 244; Jan. 1756. §. cit. *7); Octobr. 1757. §. cit. * 18); Dec. 1759. §. cit. * 33).
Haemorrhagia Anno 1759, §. 230.
— Naribus. I-X. §. 42. * 8).
Haemorrhoides cœcae 1756, §. 174
— fluentes prima vice. 1733. §. 54.
— fluere pergentes. 1736. §. 57; 1741. §. 82. *; 1744. §. 88; 1745. §. 95; 1747. §. 95. *). §. 110; 1747. §. 121. *); 1748. §. 127. *). §. 261-279. vid. Tabulam haemorrhoid. ad §. 272.
Hemicrania 1753. §. 155. *9).
Hernia Ano 1744. §. 88-90; 1759. §. 227. *7) §. 237. * 4) §. 280-283.
— Scroto dextro. 1722. §. 40. §. 235. *3). §. 246.
Herpes manibus. Februar. 1745. §. 95; Febr. 1746. §. 103; Febr. 1747. §. 119.

I.

Icterus. 1736. §. 65-69; 1748. §. 155. *5).
Idioſyncraſia §. 11. ſeq.

Impetigo. 1756. §. 191.
Impotentia ſtandi. 1740. §. 93. *8 a); 1759. §. 237. *3).
Inebriatio puero. §. 27.
Inflammatio glandularum coronariar. 1737. §. 93. *4).
Infuſum Thee c. lacte.
— Remedium anticolicum §. 55. *1). §. 155. *6).
— contra anginam §. 156.
— & vitello ovorum conquaſſato antidyſentericum §. 232-238.
— podagricos leniens dolores. §. 176.
— ſano faſtidio nunquam. §. 18.
— ventriculo gravitas. §. 158. &c.
— palpitatio cordi. §. 163. &c.
Inſomnia vivida &c. (*. §. 25.)
Inteſtinis irritabilitas. §. 236. *4).

L.

Lichenes. 1756. §. 191.
Lumbago. Nov. 1755. §. 244. *6); Sept. 1756. §. cit. *10); Febr. 1759. §. cit. *27); Sept. 1759. §. cit. *31).
Lumbrici. 1722. §. 38; 1727. §. 55. *10).
Lipothymia Auguſt. 1740. §. 93. *8); Jan. 1759. §. 244. *25); Majo. 1762. §. cit. *52).

M.

Maculae nigrae gangraenoſae pedi. Oct. 1756. §. 201.
— rubrae Tibiis 1759. §. 233.
— volitantes oculis, Auguſto 1741. primo obſervatae. §. 93. *13). §. 284. 285.
Malum hypochondriacum April. 1736. * ad §. 65; Oct. 1747. §. 116. 118. 121; Jan. 1748. §. 123; Majo. 1750. §. 140; Jul. 1750. §. 146; Februar. 1756. §. 163; Mart. An. ej. §. 174; Oct. 1756. §. 218. 219; Oct. 1759. §. 236. * 1, & 2). §. 247-260.
Matrimonium ſterile! *ad §. 154.
Melancholia. Majo. 1730. §. 47; Aug. 1741. §. 75; Apr. 1748. §. 127.
Melancholico Thermae, aquae minerales. §. 49. Balnea. §. 79. Itinera. §. 85. 86, inania.
Metus Purpurae 1738. §. 72.
Morbus navalis. 1747. §. 115.
(*Morſus* a Cane irato. 1736. *69).

N.

Nativitas $17\frac{15}{7}14$. §. 34.
Nauſea potus Thee §. 157. §. 244. *14). &c. &c.

O.

Obſtructio alvi §. 50. 274.
— Hepatis. §. 65. 121.
Odontalgia vid. Dolor dentium.
Oedema pedibus. § 119. 120. 1747.
Ophthalmia. §. 55. *7).
Opii vires animi turba ſuſpenſae. §. 75.

P.

Palpitatio Cordi. 1736 §. 58. 65; 1741. §. 74. 82. 83; 1744. §. 91; 1747. §. 116. 121. 124; 1748. §. 128; Decenn. IV. §. 155. *5, & *14 (b); 1756. §. 159. 163. 165. 166. 177. 218; 1759. §. 225. 230. 232. 236. *6); 1760. §. 244. *39). & *42 b); 1761.

1761. §. 239; 1762. 244. * 55. * 60); 1764. §. cit. * 67. &c.
Panaritia X-XX §. 55. * 8).
Papulae. 1756. §. 199.
Parulis vid. abſceſſus Gingivis.
Pavores ſomno. 1756. §. 218; 1759. §. 225. * 5); 1760. §. 244. * 34.
Perniones X-XX. §. 55. * 9).
Phlyctaenae 1756. §. 199.
Phtiriaſis capiti. 1726. §. 44.
— Scroto. 1739. §. 93. * 7).
Podagra, vid. Arthritis.
Presbyopia 1759. §. 23. §. 285.
Procidentia Ano, vid. Hernia Ano.
Pruritus univerſalis. 1759. §. 234.
— Pedibus. 1756. §. 169.
Pubertas (* §. 25) **).
Purpura alba ſpuria. Nov. 1756. §. 187.
— rubra ſpuria. April. 1756. §. 178. 1758; Dec. §. 190. §. 288. ſeq.
Puſtularis Morbus multiformis 1756. §. 178. ſeq. cum Tabula ſynchrona.

R.

Raucedo. Nov. 1755. §. 244. * 6); Nov. 1763. §. cit. * 63).
Rhagades 1756. §. 184. 189.
Rhevmatismus vagus. §. 93. * 16). Dec. III. &c.; April. 1756. §. 179. ſeq.
— Humero ſiniſtro. Jun. 1750. §. 155. * 7).
— ſcapulae ſiniſtrae triennalis a Junio 1752. §. 151. ſeq.
— Malae ſiniſtr. Mart. 1754. §. 153.
Rhevmatismus humero dextro. Februar. 1756. §. 171; Jan. 1760. §. 244. * 36.
— artubus inferioribus. Apr. 1756. §. 179. ſeq.; Oct. 1761. §. 239.
— Nuchae. Apr. 1756. §. 179.
— genubus. Dec. 1759. §. 237. * 2).
— Malae dextrae 23. Octobr. 1761. §. 239.
— ſcapulae ſiniſtr. Dec. 1756. §. 244. * 11); Januar. 1759. §. cit. * 26); Majo. 1763. §. cit. * 59).
— halluci ſiniſtr. Jun. 1757. §. cit. * 15).
— Femori ſiniſtr. Jan. 1758. §. cit. * 21).
— Collo externo ſiniſtr. Jan. 1759. §. cit. * 25).
— Cruri dextro. Nov. 1760. §. 244. * 44); Febr. 1762. §. cit. * 49).
— Genu dextro. Apr. 1761. §. 244. * 40); Jan. 1763. §. cit. * 77).
— Gingivis. Nov. 1761. §. cit, * 44)
— Scapul. dextr. Jan. 1762. §. cit. * 46).

S.

Sapor ori depravatus. 1752. §. 155. * 8); 1753. §. cit. * 11); 1759. §. 227. * 2); eod. ann. §. 244. * 29).
Saturni ſolutio externe adplicata nociva. §. 104. 105. ſeq.
Scabies 1720. §. 37. 1756. §. 199.
Segnities Alvo. §. 14.
Senſationum ſcala §. 192.
Senſus fallax hypoch. §. 183. 206.
— — ponderis pedi. §. 200.
— — molis dorſo. §. 218.
— — labentis capitis. §. eod.

Ser-

Serpentariae Thermae contra herpetem. §. 109.
Siccitas Ori ſpasmodica. §. 167.
Sirones manuum volis. Dec. II. §. 55. * 9 b).
Sitis ſpasmod. 1750. §. 132; 1756. §. 163. §. 218; 1759. §. 227. *37.)
— ex viſcido 1756. §. 167; 1759. §. 235. * 29).
Soda. Dec. II. 1737. §. 55. * 17); 1741. §. 83. *.
Somnus nec profundus nec ſecurus. §. 25.
Spasmi praecordiis. 1741. §. 78. 84; 1748. §. 127.
— Oeſophagi 1750. §. 145.
— Capitis. 1756. §. 165.
— haemorrhoid. Ao. eod. §. 218.
— univerſales 1754. §. 154; 1756. §. 165.
— urethrae 1756. §. 218.
Stillicidium ſanguinis naribus. 1754. §. 155. * 14; 1756. §. 165; 1764. §. 242. 244. * 65).
Strepitus auribus. 1745-48. §. 110-114; 1754. §. 151. 286. ſeq.; 1756. §. 165.
Stupiditas. 1736. §. 66.
Sudamina. 1755. §. 244. * 5).
Sudores nocturni. 1733. §. 50. 1756. §. 219.
Sugillatio oculo. 1761. §. 244. * 69 d).

T.

Temperamentum. §. 8.
Tenſio M. Gracilibus 1759. §. 231.
— Occipiti. 1756. §. 164.
Terminthus. §. 204. *).
Thee vide Infuſum Thee &c.
Tormina. §. 35.
Torpor menti. §. 249.
Tremor manibus. §. 237. * 3).
Tumor faciei hyemalis. §. 244. *70).
— *Gingivae.* 1741. §. 93. * 10).
Tuſſis ferina epidem. 1729. §. 55. * 12).
— ſicca. 1758. §. 244. * 24); 1764. §. cit. * 67).

V.

Vari dorſo Dec. II. §. 55. * 4).
— Fronti eod. Dec. §. cit. * 13).
Varices haemorrhoid. 1743. §. 93. * 15); 1756. §. 165.
— vaſorum ſperm. 1730. §. 55. * 14).
Variolae. 1719. §. 36.
Vermes. vid. {Aſcarides. Lumbrici.
Verrucae. 1727. §. 55. * 11).
Vertigo 1739. §. 93. * 6); 1757. §. 244. * 14).
Vigiliae. 1741. §. 75; 1747. §. 116; 1748. §. 127; 1754. §. 153.
Vini fuga. §. 27.
Vini hungarici noxa podagrico. §. 159.
Viſus obtuſus vid. Maculae.
Vita. §. 34.
Vitiligo. 1756. §. 191.
Vomitus. 1742. §. 93. * 14. b); 1747. §. 155. * 3); 1757. §. 244. * 14 * 16).

U.

Ulcera ori. 1761. §. 239. ſeq.
Unguis digiti pedis deformis. 1762. §. 244. * 50).

Menſium Claſſificatio.

A. Menſes morborum (α) in genere feraciſſimi, ſecundum Menſis recurſum frequentiſſimum

a Decennio ſecundo ad quintum usque.

*) Ex prima Menſium Columna.

No.	Menſes:	Recurſus.	Morbi:
1	Auguſto.	7	Febres. c).
2	Januario.	6	Rheumatismi.
3	Junio.	6	Colicae.
4	Majo.	3	Diarrhoeae.
5	Novembri.	3	Coryzae.
6	Februario.	2	Arthritis. Cardialgia.
7	Junio.	2	Dolor dentibus.
8	Octobri.	2	Haemoptyſis. Malum hypochondriacum.

Ratio Menſium inter ſe ex Recurſus Summa:

Junius. Auguſt. Januar. {Majus. Novembr}:

{Februar. Octobris.}:: 8 = (6 † 2): 7:6: {3 : {2. 2.

B. Menſes Morborum (β) ſpecialium feraciſſimi, juxta Menſium recurſum maximum.

a Decennio ſecundo &c.

No.	Menſes:	Recurſus.	Morbi.
1	Auguſto.	6	Febris ſine Exanthematis.
2	Januario.	6	Rheumatiſmi.
3	Majo.	3	Colica humida.
4	Novembri.	3	Coryza.
5	Februario.	2	Arthritis. Cardialgia.
6	Junio.	2	Dolor dentibus.
7	Julio.	2	Febris cum Exanthem.
8	Septembri.	2	Lumbago.
9	Octobri.	2	Haemoptyſis. Malum hypoch.

Ratio Menſium per ſe patet.

(*) Menſes quorum ratio 1 : 1, utno. 1, & 7,) aut ſemel in Tabula praecedente occurrentes (no. 10), omiſſi.

C. Menſes Morborum feraciſſimi.

No.	Menſes.	Recurſus.	Morbi.
			Claſſes binae.
1	Januarius.	6	I. dolorifici no. 18, 5. 3. 9. 1.
2	Junius.		
3	Februarius.	2	
4	Junius.		
5	Januarius.	1	

Ratio : : Junius: Januar: Februar:: 8 (6†2): 7 (6†1): 2.

1	Auguſt.	7	II. ſine Doloribus: no. 13. 10. 14. 16. 6. 7 c).
2	Octobr. 2†2=	4	
3	Novembr.	3	
4	Aprilis.	1	
5	Auguſt.		

Ratio : Auguſt : Octobr: Novembr : Aprilis : : 8 (7†1): 4 (2†2) 3 : 1.

Claſſis I: II: : 1 : 1.

D. Menſes feraciſſimi (per ſe) absque Morborum enumeratione reſpectiva.

Ordine ſolito A, B, C,

		Summa. Recurſus.
1	Januarius.	7
2	Auguſtus.	
3	Junius.	6
4	Octobris.	4
5	Majus.	3
6	Novembris.	
7	Februar.	2
8	Julius.	
9	Septembris.	1
10	Aprilis.	

*) Morbi generales Nro. 5. 8. 13. 18. in Cenſum non ducti.

Maximus & minimus feraciſſimi Menſium: quinam? Intermediorum plus minusve ſaluber: quis?

Menſes Morbis congrui: quales?

Menſis Morbi: non cauſa morbi *).

*) Idem de Epidemiis valet.

Morbi ejusdem variis menſibus recurſus ratio ex columnis reſpondentibus 1), 2), 3), &c.

E. Menſis ejusdem plurium communium morborum ratio.

1. Januar.

No.	Menſis.	Recurſus Summa.	Morbi:
1	Januar.	7	rheumaticus in genere (a + b) No. 18,: ad anginoſum No. 1,:: 6: 1.
2	Majus.	6	Diarrhoearum in genere No. 8,: ad Colicam humidam, No. 4, :: 3: 3 :: 1. 1.
3	Junius.	12	Colicae in genere No. 5, ad Colicam ſiccam No. 4. b) & dolores dentibus No. 9,: : 6: 4: 2:: 3: 2: 1.
4	Auguſtus.	14	Febrilis in genere No. 18, ad Febrem ſine Exanthematis No. 12, ad Dyſenteriam. No. 10,:: 7: 6: 1.
5	October.	4	Haemoproſcus No. 14, ad Malum Hypoch. No. 16,:: 2: 2:: 1: 1.

Ratio menſium pro ſumma recurſus.

Auguſtus: Junius: Januar: Majus: Octobr :: 14 (7 + 6 + 1): 12 (6 + 4 + 2): 7 (6 + 1): 6 (3 + 3): 4 (2 + 2).

Menſis *plurium* ſimul Morborum ſuſceptibilitas; ſeu: unius morbi prae alio invaſuri probabilitatis ratio; v. gr.

Menſis.	Morborum.	Ratio:
Januar.	Rheumatismi in genere (a + b) No. 18; ad Anginam ſpuriam::	6: 1.

& ſic porro a, n. 2-5.

a), Trium Morborum feraciuni ratio: Auguſt; Jun: : (7: 6: 1): (3. 2. 1); b), binorum - - - ratio:

1	Januar.	Majus; Octobr; :: (6: 1):	3: 3 / 2: 2	5: 1. :: 5: 1.

a): b): : 2: 3.

F. Menſes *unius* Morbi feraces:

	Menſis.	Recurſus.	Morbi:
1	Januar.	6	Rhevmatismi particulares; b.) No. 17.
2	Februar.	2	Cardialgia. N. 3.
3	Aprilis.	1	Diarrhoea ſine torminibus c), no. 7.
4	Julius.	2	Febrilis cum Exanthematibus a). No. 11.
5	September.	2	Lumbago. a). No. 15.
6	November.	3	Coryzantes. No. 6.

Ratio Menſium: Januar. Novembr. { Februar. Julius. : Aprilis :: 6: 3: 2: 1. September.

Menſes E: F:: 5: 6.

Morborum Numerus & Summa.

In Supplementum ad Conſpectum †) ad calcem. p. 4. Append. Tom. V. Nov. Act. A. N. C.

M O R B I.

§. §.	Decennii:	Majores:	Minores:	Communes cum Decenniis:	§. §.
§. 32.	I.	8:	9	- - - -	-
§. 43.	II.	10:	17	I. : 4 = 4.	§. 55.
§. 56.	III.	15:	18	I. : 2 II. : 9 } = 11.	§. 93.
§. 94.	IV.	29:	16	I. : 3 II. : 9 III. : 3 } = 15.	§. 155
§. 156.	V.	12.	100	I. : 4 II. : 4 III. : 4 IV. : 6 } = 18.	§. 244.
Summa: I-V.		74.	160. -	48 } = 56.	
			Addendo Minores ex Prodromo &c. : 8		

Summa Summarum = 290.

* * * * * * * *

Mortalium quibusdam ſemiſeculi intervallo quotannis quinque vel ſex morbi; attamen ob intercapedinem perfecte ſanam ſani. An Morborum numerus, atrocitas, diuturnitas, ſeries, concatenatio, concomitantia: Morboſitas?

Epi-

Epilogus.

Qualis vita; cui ſenſationum qualitate & quantitate ingratarum Summa excedit gratarum numerum?

Panacea Mercurialis promiſſa

ad Morbonae §. 93. *4) pag. 41, *) pag. 42. Append. Tom. V. Nov. Act. A. N. C.

Recipe Mercurii ſublimati & vivi ana unciam unam. Tere invicem in mortario vitreo aut lapideo ad conſumptionem Mercurii vivi usque. Maſſae adfunde Aceti vini ſtillatitii Uncias quatuor, agitatae. Singulis binis horis move ſpatula lignea per quadrantem horae, repetatur per tres aut quatuor aut ultra dies, donec pulvis ſuperne albeſcat. Acetum decanta, ſerva. Pulveri adde Spiritus vini rectificati Uncias quatuor, agita priori modo, donec pulvis ſedatus ad dimidium albicans adpareat, quod triduo circiter obtinetur. Spiritum decanta, ſerva ſeorſim. Aquam fontanam frigidam ad eminentiam duorum digitorum ſuperfunde; ter de die, ſcil. mane, meridie, & veſperi, move cum ligno quavis vice horae quadrantem, pulverem ſupernatantem deguſta, dulcem, ſeu potius inſipidum, albidum, (quo albidior eo edulcoratior) tolle, charta ſicca bibula tecta. Aqua fontana quotidie & tam diu renovanda, priori ſervata, donec pulvis omni acredine orbatus, collige aquas repetito decantatas.

Reſiduum pulveris griſei repetita operatione, viz: adfuſione ſucceſſiva aceti vini, ſpiritus vini rectificati, aquae fontanae datis doſibus agitando ad albedinem, edulcorationem praedicto modo perducitur. Serva pulverem phiala epiſtomio vitreo inſtructa, ſic manibus propriis parata fuit Panacea Mercurialis.

Usus

Usus & applicatio. Gonorrhoeas virulentas sola injectione, crebra edoctus experientia, radicitus tollit. Recipe Panaceae modo dictae drachmam semis. Detur ad vitrum. Adfunde aquae plantaginis (aut hujus defectu fontanae) Uncias quatuor; agitata siphonis eburnei tubulo longo urethrae injicitur turbida mixtura; immissus glandi compressae extrahatur tubulus, ne simul effluat liquidum, tam diu compressa glande sinendum, donec limpidum profluat, & Panacea parietibus urethrae ulceratae s. unguine ad lubricandum & contra acorem urinae muniendum, infectione morbida, orbae &c. adhaereat &c.

Injectio fiat tepide, ter, quater, & pro ratione doloris pluries, partitis horis, de die. Vix triduo elapso ardori urinae, satyriasi remissio. Puris viridiusculi in bonum albidum duodecim circiter diebus, & hujus in lymphae pellucidae stillicidium octiduo obtinetur conversio.

Hoc stillicidium si sponte non cessarit, pro re nata aut laxante mercuriali, aut injectione sequente bis vel ter de die egelida pro fluxus ratione sistitur: Recipe lapidis medicamentosi Crollii scrupulum unum. Aquae fontanae uncias quatuor. Misceantur probe. Serva.

Diaeta aquae potoribus nulla observata; etiam sine laxante & sine injectione sanitas perfecta.

Symptomatibus ex contagii virulentia, a quibus haec injectio non tuetur, obortis; ea jugiter, aliis remediis junctis continuanda.

Quid valeat internus hujus Panaceae usus ad luem veneream aut praesentem aut futuram: Experientia, non conjecturis declarandum?

Con-

Contra Scabiem quamcunque.

Recipe aceti & ſpiritus vini ex mercurio trito ſervatorum unciam unam, aquae ejusdem mercurialis decantatae q. ſ. ad edulcorationem; ſi non ſufficiens ad manus, fontanae q. ſ. Linteo madido tepido illine membra ſcabioſa, mane & veſperi, ſponte ſiccanda.

Contra puſtulas faciei, frontis quascunque.

Recipe Panaceae mercurialis ſcrupulum, Unguenti pomati Unciam unam ſemis; miſce probe, cubitum eundo illine puſtulas. Vires probatae. Liberata Fides.

DEMONSTRATIO
ANATOMICA
FOETUS BICIPITIS
ET
BICORPOREI

QUAM ADORNAVIT

D. CHRISTOPHORUS ANDREAS
DE MELLE

NOSOCOMII PETROPOLITANI PEDESTRIS ET MARITIMI
MEDICUS CHIRURGIAE ET ANATOMIAE DEMONSTRATOR, ACAD.
L. N. C. COLLEGA DIOCLES CARISTIUS III. DICTUS, ET ACAD. SUEC.
HOLM. SCIENTIARUM SODALIS.

Vix ac ne vix quidem copioſiora de ulla dantur re, quam de monſtris obſervata, certe millenum ſuperabit numerum, ſed horum vix tertia pars anatomice inquiſita, & haec forte ratio, ut Illuſtris *Hallerus* doluit a), quod eorum fons nobis lateat, quare operae pretium duxi, hunc foetum curatius diſſecandi.

Foetus ex gemello concretus videtur & foetui Ill. *Halleri* quam proxime accedit b), qui quinquaginta hujus congeſſit farraginis obſervationes. c) Certe inter monſtra (ſi licet hunc foetum ſic nuncupare) de concretis gemellis quam plurima obſervata extant. In tergo concretos *Bauhinus* d), frontibus connatos *Paraeus* e), fratres concretos *Bartholinus* f) *Thiming* g) & alii h) obſervarunt, ſed parum cultro anatomico ſubjecta ſunt cadavera.

Femellae duae a ſuperiori parte oſſis ſterni usque ad unum pollicem a genitalibus contiguae, capitibus invicem adſpiciebant. Unicus illis funiculus umbilicalis, ſub quo ſaccus membranaceus, i) ſimilis foetui ſecundo *Kaaui*, k) in reliquo membra cuivis puellae proportionata. Ad terminum geſtationis quod attinet, difficile determinandum. Capilli & ungues

a) Opuſc. anat. ſectio foetus bicipit.
b) Ibid.
c) Ibid. pag. 155.
d) De monſtrorum natura Ao. 1614. pag. 576. Fig. II.
e) Lib. 23.
f) Hiſtor. Cent. I. hiſt. LXVI. pag. 116.
g) Verſuche einer gründlichen Erläuterung der Natur p. 34.
h) *Tulpii* obſervat. Lib. III. obſ. XXXVII. & XXXVIII. *Büttner* anat. Anmerkung p. 27. *Steinvvehr* anat. chirurg. und botan. Abhandlungen. T. VI. p. 225. &c.
i) Tab. VI. Fig. 1. lit. A & BB.
k) Sectio ſecunda Tab. I.

gues perfecti. Longitudo *Hallero* contraria l), dextrae 21. pollicum a vertice ad calcem, finiſtrae 15, naturalis longitudinis ſecundum *Petitum.* m) Latitudo in humeris $7\frac{1}{2}$. in pelvi $8\frac{1}{2}$. poll. Rhenan:. Pondus Libr. X, $\frac{3}{5}$ IV. & ſem. p. m. Expondere ſecundum *Roederer* naturalis n) ſed ſecundum *Smellie* o) *Levret* p) & alios q) non. A parte anteriori mammas habuit quatuor, in tergo nullas, quae in foetu Ill. *Halleri* adfuerunt r) ſed terga naturalia s).

Hiſtoria partus me latet, ideo ad anatomicam tendo inquiſitionem, quam quomodo ordiar neſcius, an *Kaau Boerhavium*? t) an Excellent. *Hallerum*? u) denique *Corcellum* v) ſecutus, quia mihi ordo naturalis videbatur.

Tegumenta ſeparavi, his colluvies haerebat aquoſa uti Cel. *Roederero* w) & *Mappio* x) etiam evenit. An oedematoſi quid? dum vas magnum quoddam compreſſum fuiſſe, y) vel funiculum umbilicalem circa collum obvolutum, ſicut hydrocephalum efficit z) oedema, vel a ſpiritu, in quo conſervabatur? dubito.

Separatis tegumentis muſculi apparebant, quos ab abdomine incipio deſcribendos.

l) Opuſcula anat. p. 156. in 8vo.
m) Memoires de l'academie royal. Ao. 1733.
n) Comment. Goett. Tom. III. p. 410 &c.
o) Theoret. und praktiſche Abhandlungen p. 123.
p) pag. 406.
q) Mauriceau malad. de femmes groſſes T. I. C. 8. p. 85.
r) Sectio. foet. bicip. p. 157.
s) Tab. VI. Fig. 2.
t) Sectio anat foetus, cujus pars inf. monſtroſ. Petrop. Sect. I. & II.
u) Opuſc. anat.
v) Specim. inaugural. de monſtro hum. Lugd. Bat.
w) Comment. Goetting. Tom. IV. p. 116.
x) Tractat. de Acephalis.
y) Lower de corde Cap. II. pag. 123. mihi L. B. 1708.
z) Platner chirurg. mihi germ. T. II. p. 19. §. 756.

Muſculus obliquus externus vel deſcendens a) ſuperius naturaliter oriebatur, inferius, ubi naturaliter ligamentum *Poupartii* ab aponevroſi hujus muſculi augetur, b) ludebat. Ligamentum a *Poupartio* detectum c) eſt propria lacerta ligamentoſa d), non ima pars muſculi obliqui externi, e) hic deeſt, inde membrana hujus muſculi tenuis non cingit lacertam, uti debuiſſet f), ſed oſſi pubi ſe inſerit, & quaſi cum faſcia lata confluebat. Lineae albae valde ſubtili ſe inſerebat conjunctio dentata cum ſerrato magno & latiſſimo dorſi g) in ſiniſtro latere adeſt, in dextro vero latiſſimus dorſi, antrorſum protractus, dimidium occupat pectoris, & ora rotunda inferiora verſus extenuabatur h) & obliquo ſolum incumbebat ſine dentatis extremitatibus i), naturali loco finiebatur.

Muſculus pectoralis magnus oriebatur, uti ſolet, a media quidem parte ſterni k) fere initio perpendiculari, l) non ſolito more ſemicirculari, m) etiam neque in duas n), neque in plures o) diviſus portiones, conjunctio cum muſculo obliquo externo p) etiam defuit, ſic etiam in parte poſteriori q).

Ad

a) Cowper Myot. Ao. 1694. C. I.
b) Weitbrecht Syndeſm. S. IV. §. 54.
c) Hiſtoire de l'acad. de Paris. Ao. 1705.
d) Weitbrecht. p. 133.
e) Morgagn. Adverſ. III. animadv. I. J. G. Duverney T. II. p. 129. & 130.
f) Celeb. Albini hiſt. muſc. p. 279.
g) Ibid. 281.
h) Tab. VI. Fig. 3. litt. αααα.
i) Alb. l. c.
k) Winslow Expoſit. anatom. T. II. p. 60.
l) Tab. VI. Fig. 3. lit. ββ.
m) Excellent. Alb. Tab. muſc. I. Cowper Tab. XX. Browne Tab. II.
n) Winslow Tom. II. p. 60.
o) Albin. hiſt. muſc. p. 267.
p) Ibid. 265.
q) Tab. VI. Fig. 4. lit. γγγγ.

Ad lineam albam quod attinet, a ſolito loco proceſſu xiphoideo oriebatur, r) ad umbilicum tendens per pollicis diſtantiam ab eo ſe in duo crura findebat, quae arcuate incedentia s) oſſibus pubis uniuscujusque infantis finiebant; t) unde triangulare ſpatium inter oſſa pubis & umbilicum ortum, u) quod muſculo triangulari replebatur. v) Videtur eſſe muſculum obliquum tertium & quartum degeneratum, vel pyramidalem putas eſſe? Vetat magnitudo & origo. Origo pyramidalis ab oſſe pubis, inſertio in linea alba, w) magnitudo dum ſaepiſſime tertiam partem inter pubem & xiphoidem pyramidalis emetitur x), fibrae pyramidalis parum obliquae, y) hic vero valde, & in oppoſita ſuperficie contiguus z).

Variata linea alba variat, annulus umbilicalis non eſt in linea alba, uti ſolet a), ſed in degeneratis obliquis, fabrica ejus fibroſa b) defuit, ſolum fiſſura prolongata pro ingreſſu funiculi umbilicalis.

Capſulam, de qua mentionem jam feci, hic inquiſivi, & aponevrotica tantum fuit expanſio, in medio liquorem continebat parum urinoſum; urachus ſe evacuabat hic, quod feta immiſſa me docuit; quum in adultis urachum apertum & urinam continentem vidimus, c) pro urina hunc humorem habeo. Sed quid haec capſula ſit? An alantoidi quid ſimilis?

r) Winslow.
s) Tab. VI. Fig. 3. lit. ℓ & ℓℓℓℓ.
t) Ibid. ζ.
u) Ibid. ηηη.
v) Ibid. ead. Lit.
w) Alb. hiſt. muſc. p. 239.
x) Ibid.
y) Ejusd. Tab. muſc. XIII. fig. VII.
z) Tab. VI. Fig. 4. lit. λλλλλλ.
a) Winsl. Tom. II. p. 41.
b) Garengeot ſplanchnologie, mihi Edit. germ.
c) Alb. annot. Acad. L. I. C. VI.

Clar. *Albinus* in embryonibus alantoidis quid non obſervaſſe videtur d), ſed in embryonibus ejusmodi capſulam vidit e), & etiamſi nonnulli autores alantoidem in homine vidiſſe aiunt, recte tamen Ill. *Hallerus* dubitat, g) obſtat etiam alantoidis quid hanc veſicam eſſe, quia aponevrotica. Forte tamen quis putabit alantoidem eſſe & aponevroticam factam ſic, ut arteriae incraſſatae in anevriſmatibus, h) peritonaeum in herniis, i) ventriculum & inteſtina ſi ſcirrhoſa, k) & celluloſam ipſam in os, l) quod putanti relinquo.

Remotis muſculis abdominis externis interni naturales apparebant.

Transverſalis e contra naturali loco oriebatur non tendinoſo m) ſed carnoſo initio, lamina aponevrotica ſacrolumbalem tegens n) defuit, cum diaphragmate intermedia celluloſa nectebatur, ſed fibrae ejus cum diaphragmate non continuatae.

Recti muſculi quatuor, quorum duo in anteriori & duo in poſteriori jacebant parte, hi naturales oriebantur & inſerebantur, deſcendebant urinando o) non naturaliter perpendiculares. Inſcriptiones, quae ſaepe adſunt p) hic defuerunt.

Quum hoc inquirerem tentavi degeneratos obliquos in laminas dividere, ſed non ſucceſſit. Illis accurate celluloſa depuratis obliqui graciles muſculi ſe manifeſtabant, q) hi ab oſſe pubis

d) Ibid. pag. 71-76.
e) Ibid. pag. 74.
f) Ill. Hall. Elem. phyſ. T. VIII. p. 207. &c.
g) Ibid. p. 210. 211. &c.
h) Haen Ratio medendi.
i) Garengeot. Chirurg.
k) Dam. Sinopaei Parerg. med.
l) Monro Oſteol.
m) Illuſt. Alb. hiſt. muſc. p. 283.
n) Garengeot ſplanchnol.
o) Tab. VI. Fig. 3. lit. iiii.
p) Snape. Kaau Boerh. ſect. foet. monſt. T. VIII. alter Tab. VI.
q) Tab. VI. Fig. 3. lit. kk.

pubis oriebantur, oblique aſcendebant & degeneratis obliquis determinabantur, in dextro infante duo, in ſiniſtro unus. Huic facie anteriori facies poſterior ſimilis, tantum quod linea alba defuit.

Pectoris muſculi in facie poſteriori differunt.

Muſculus ſerratus anticus magnus, non novem, r) ſed duodecim capitibus in ſiniſtro latere oriens, magnus naturaliter ſe inſerebat, s) in dextro naturali ſimilis.

Latiſſimus dorſi naturalis quidem, ſed conjunctio ejus, quae duobus t) alias fit capitibus, hic octo cum muſculo obliquo externo.

Muſculi pectorales parvi u) vel ſerrati anteriores *Riolani* v) naturales. Sed inter hos in ſuperiori & media parte ſterni aderant duo plane praeternaturales quadranguli muſculi. Prior a ſumma ora oſſis ſterni oriebatur, & non multum ab illa ora inſerebatur. Alter minor quodammodo robuſtior, trapezio mathematico non diſſimilis, oriebatur ab anteriori parte claviculae anteriora verſus deſcendens ſuperiori parti oſſis ſterni figebatur. w) Accedebant his duo alii muſculi, parvi robuſti valde obliqui, oriebantur ab inferiore parte oſſis ſterni, aſcendebant graciles, 2, 3 & 4ae coſtae finiebantur x).

His perluſtratis collum inquiſivi. Remota cute & pinguedine, latiſſimus colli introrſum conſpicuus, extrorſum deficiebat; oriebatur exiſtens latiſſimus a ſumma parte ſterni, ubi inciſura adeſt lunata, y) aſcendebat, & juxta aures inſerebatur, z) ſic etiam in latere oppoſito: ubi muſculus hicce defuit

r) Ill. Alb. hiſt. p. 275.
s) Tab. VI Fig. 4. lit. $\mu\mu\mu\mu$.
t) Illuſt. Alb. hiſt. p. 272.
u) Winsl. Tom. II. p. 51.
v) Anthropol. L. V. C. 23.
w) Tab. VII. Fig. 1. Lit. β.
x) Ibid. lit. δ & π.
y) Alb. de oſſ. Tab. I. lit. C.
z) Tab. VI. Fig. 3. lit. $\xi o \pi$.

fuit cleido- & sterno-mastoideus, quos Columbus a) & *Eustachius* a2) vix distinxerunt, valde lati, a clavicula & superiori anterioris ossis sterni parte oriebantur & posteriori mammillari processui inserebantur. Posterius os sternum hoc carebat musculo b).

Cucullaris musculus naturaliter oriebatur & desinebat, sed ubi se inserebat, portionem dedit, quae cum musculo sterno-mastoideo conjungebatur c) & loco deficientis latissimi colli musculum construxit alium. Nonne ex solicito hoc naturae opere asequeres? Latissimum colli majoris esse usus, uti vulgo putatur, praecipue quum nunquam defuisse scio. Fasciculos latiss. colli, vel musculos a *Santorino* d) & *Cowpero* e) annotatos, non inveni.

Diaphragma vel septum transversum, uti *Celsus* primo nuncupasse videtur, f) quasi ex duobus conflatum unicum. Oriebatur distinctis duodecim capitibus, h. e. unoquoque in infante 6. 9, 8, & 7ma costa, ambobus ossibus sterni, crura formabat quatuor, unicuique infanti duo, quorum crura longa tertiae, & breviora quartae ab inferiori vertebrae inserebantur, naturaliter fasciam ligamentosam conformabant. g) Centrum tendineum hic unicum structurae ex limbis naturaliter constitutae similis; h) venae cavae ambae propria habebant foramina, quae ex quatuor limbis perficiebantur, i) pro oesophagis pro-

a) De Re anatom. L. V. C. 17.
a2) de Motu capit.
b) Tab. VI. Fig. 3. lit. ϱ. σ. τ. inf. dextri Tab. VI. Fig. 4. lit. υ. φ. χ.
c) Tab. VI. Fig. 4. lit. ϟ.
d) T. n. 3.
e) Myotom. Ao. 1724. Tab. 21. 18.
f) de Medicina L. III. C. XXVI. p. 283.
g) Weitbrecht synd. p. 98.
h) Hall. Icon. septi transv. z
i) Ibid. ΔΘF.

prolongatum foramen ex lacertis *Albino* (k) *Senaco* (l) *Cowpero* (m) & *Hallero* (n) naturalibus factum, ſic ut fere diaphragma naturale, niſi in eo, quod centrum tendineum naturaliter ſemilunaris quodammodo figurae, cujus pars dextra latior ſiniſtriori: o) hic vero non ſemilunaris & non obtuſi gnomonis, p) ſed ovalis figurae. Lacerta magna, quae ab uno crure ad alterum ſuper arteriam aortam naturaliter tendit, q) hic defuit. Ventriculi diaphragmatis foetui Ill. *Halleri* quam ſimillimi r).

Muſculis remotis omnibus peritonaeum craſſum, cum uracho celluloſa tecto apparebat: s) Urachus hic contra *Eſchenbachium* t) cum *Angero* u) *Ott* v) & *Noreno* w) apertus fuit, in duos ſe dividebat ramos, tentavi, an materia ceracea replere poſſim, x) ſed fruſtra, ſeta vero intravit, uti jam dixi. An ſe inſinuat funiculo umbilicali, uti per ſpatium trium linearum evenit *Noreno* y), neſcio.

Sequeretur anatomia umbilici, quam ad Angiologiam retuli.

Peri-

k) Hiſt. muſcul.
l) Act. pariſ. ſcient. 1729.
m) Tab. XXXV.
n) Opera min. T. I. p. 250. Icon. faſc. I. Tab. I. Opuſc. anat. p. 1.
o) Albin. Tab. muſculor. T. XIV. fig. VI.
p) Hall. Elem. phyſiol. T. III. p. 79.
q) Hall. Icon. Sept. XIV.
r) Ejusd. anat. foet. hic. §. 6. p. 171.
s) Ejusd. Elem. phyſ. L. XXVI. p. 310.
t) Anat Beſchreib. p. 539.
u) Journal des Scavans Menſ. Sept.
v) Act. Helvet. Tom. I. append. pag. 48.
w) Diſſert. de mut. lum. in vaſis.
x) Ill. Halleri Elem. phyſ. T. VII. Pars prior. p. 301.
y) Diſſert. de mut. lum. p. 13.

Peritonaeo diſſecto ſuperficies ejus apparebat interna: haec corpuſculis albis, oualibus, glandulas ſimulantibus conſperſa, quae illis ſimillima, quae in hydropicis inueniuntur, z) pro glandulis peritonaei habita, a) nunc vero conſtat non eſſe, b) inde a ſpiritu originem duxiſſe puto, & ſerum exhalans c) coagulatum.

Labiis peritonaei remotis, viſcera in conſpectum veniebant, quae quaſi unius abdominis, deſcribam.

Hepar mox ſub diaphragmate, unicum, craſſum, valde magnum, ſicut etiam in foetu ad proportionem adulti majus; d) tum jam formatum, quum alia viſcera vix adſunt; e) hic vero magnitudine naturalem ſuperavit, ſimilis hepati foetus Celeb. *Halleri*, f) niſi rotundius; in media ejus, tam anteriori, quam poſteriori parte, ligamentum ſuſpenſorium vulgo dictum unicum, g) quod mucronato proceſſui oſſis ſterni figebatur.

Ventriculi duo, quorum dexter perpendiculariter, ſiniſter oblique jacebat h).

Lien, qui ſaepe numero, i) magnitudine, k) in cadaveribus variat, hic duplex naturalis, extremitati ſuperiori ventriculorum per tunicam celluloſam & vaſa junctus, l) variat ideo ab *Halleri* foetu, ubi unicus lien fuit m).

Inte-

z) Haeni ratio med. Pars. VI. pag. 81. Fant. opuſc. Philol. T. III. p. 163.
a) Manget. biblioth. p. 820.
b) Kaau Boerh. de perſp. Hipp. pag. 539.
c) Hall. Elem. Phyſiol. T. VI. p. 454.
d) Galen. de Utilit. partium L. XV. C. VI.
e) Halleri Elem. phyſ. Tom. VI. pag. 342.
f) Sect. foet. bicip. Fig. II. AA.
g) Cowper Tab. anat. Tab. 37. B.
h) Tab. VII. fig. 2. lit. rr
i) Fallop. obſ. p. 179.
k) Ephem. nat. curioſ. T. I. pag. 5. mihi Edit. germ.
l) Tab. VII. fig. 2. lit. AA.
m) Sect. foet. bicip. p. 169.

Inteſtina tenuia in medio, & craſſa ab iis tegebantur. n) Omentum, quod in *Halleri* foetu adfuit, o) hic defuit. Sic ſe facies anterior monſtrabat.

In poſteriori, primo intuitu hepar fuit, hoc elevato unoquoque in latere inteſtinum craſſum unicum, p) ad S Romanum q) non flectens; mire convolvebatur r). Unoquoque in inteſtino proceſſus vermiformes penduli adfuerunt, s) his accedebat ab inteſtinis tenuibus proceſſus quidam ſacciformis propendens, s2) ſimilis ei, quem in adultis annotarunt *Ruyſchius* t) & *Hallerus* u). Adhuc adfuit proceſſus quidam celluloſus a peritonaeo pendulus v).

Meſenteria a proceſſibus corporeis vertebrarum oriebantur, ſed inter ſe confuſa, quaſi unicum.

Veſicae urinariae duae. Duo etiam genitalia: interna inflavi & fimbriae elevabantur ut *Kaauio* w).

Mirum certe dum plerisque in animalibus pancreas invenitur; x) & piſcibus datum y), & ſaepe plura quam unicum dedit natura, z) hic defuit, adfuit aliud quoddam corpus.

Renes

n) Tab. VII. Fig. 2. △
o) Sect. foet.
p) Tab. VII. Fig. 2. 1. 1.
q) Garengeot Splanchnol. p. 177.
r) Tab. VII. Fig. 2.
s) Ibid. 3.
s2) Ibid. 4.
t) Theſaur. anat. IV. Tab. IV.
u) Collect. Differt. Tom. III. p. 250.
v) Tab. VII. Fig. 2. 5.
w) Sect. foetus cujus pars &c. p. 76.
x) Halleri Elem. phyſ. Tom. VI. p. 427.
y) Klein miſſ. V.
z) Muralt, vade mecum. p. 338.

Renes quidem fuerunt quatuor, valde variantes, quod etiam in naturalibus cadaveribus non raro contingit, uti *Bartholinus* a), *Euſtachius* b), *Hallerus* c) & alii obſervarunt d).

Oſſibus ſterni elevatis mediaſtinum unum, ab uno oſſe ſterni oriens in oppoſito finiebatur, caveas conſtruebat duas; unam altera majorem. Pleura ex unica conſtans lamina e) cingebat coſtas.

Cor unicum in medio, f) pulmones duo, g) naturales, niſi in infante dextro lobus ſupranumerarius, qui in ſitu latebat naturali. Haec facies anterior. In poſteriori pulmones ſolum replebant cavitatem pectoris.

Pericardium cor tegebat, h) cujus ſtructura mihi innotuit, & dubius, an cum Ill. *Hallero* i), an *Senaco* k), an *Kaau* l) conſentiam?

Glandula Thymus hic unica, non duplex m). Reliqua viſcera, oeſophagus, gland. atrabilares naturalia, cuique infanti propria. Hoc in ſitu. In ſpecie.

Ventriculi a cono cujus ſectiones circuli ſunt, n) differunt, dum a ſuperficie gnomoni ſimiles. o) Ventriculus dexter brevior, ſed amplior, curvatura externa rotundior ſiniſtro

a) Hiſtor. anat. Cent. II. p. 306.
b) Tab. I.
c) Opuſc. anat.
d) Haller. opuſc. pathol. Obſ. 59. Zimmermann varietat. naturae p. 41.
e) Ejusd. Elem. phyſ.
f) Tab. VII. fig. 2. Z.
g) Ibid. H. H.
h) Ibid. ⊖ ⊖.
i) Halleri Elem. Phyſ.
k) p. 13.
l) de perſpirat. Hippocrat. n. 151.
m) Sectio foet. bicip. p. 180. in opuſcul. anat. in 8vo.
n) Halleri Elem. Phyſiol. Tom. VI. p. 121.
o) Tab. VII. fig. 4. B.

ſtro. Oeſophagus, ſe curvando in illum intrat. p) Dexter ventriculus in inteſtinis delituit perpendiculariter poſitus.

Inteſtina duodena, hic duo, naturales tres curvaturas q) non perficiebant. Siniſtrum inteſtinum ventriculo ſiniſtro oblique poſito, ſerpentino modo inſerebatur, r) ¾ pollicis Rhenlandini longitudinis. s) Dextrum, tenuius, trium linearum longitudinis. t) Haec duodena confluunt in inteſtinum 32. & ½. Poll. Rhen. longitudinis, mire convolutum. u) Hoc inteſtinum, ſi licet nuncupare jejunum, in fine in duos findebatur canales v), dextrum 12, ſiniſtrum 13½. poll. Rh. longitudinis, 10. linear. ab initio in ſiniſtro appendiculus jam notatus inteſtinalis. Haec duo inteſtina, ſi licet ilea vocare, confluunt in caecis, quorum duo adfuerunt. w) Caecum dextrum 10¾, ſiniſtrum 8¾. P. longitudinis. Confluunt non in angulum acutum, x) ſed in perpendiculum, & quaſi caecum ex ileis continuari, y) inde valvula coli, quae per intruſionem ilei z) ope celluloſae a) ſic oritur, ut rima fiat oblonga, b) cum eminentia magna longe elliptica, c) dextrorſum in longam producatur caudam, d) ſiniſtrorſum quodammodo rotundior, e) quaſi de-

p) Ibid. Lit. C.
q) Acta Edinburg Tom. IV. Tab. IV. p. 80.
r) Tab. VII. fig. 5. lit. ccc.
s) Ibid. fig. 4. lit. E.
t) Ibid. G.
u) Ibid.
v) Ibid. lit. K.
w) Ibid. fig. 4. L. M.
x) Ibid.
y) Ibid.
z) Winslow Expoſit. Tom. III. p. 338.
a) Huybers de valvulis p. 18. 19.
b) Alb. annot. acad. L. III. Tab. V.
c) Morgagni Adverſ. III. fig. 2.
d) Alb. annot. acad. L. III. p. 15.
e) Heiſteri Compend. anat. Tab. II. fig. 7.

deeſt, & loco ejus ſolum rima oblonga, quae in latere dextro etiam defuit.

Proceſſus vermiformes duo. Siniſter incipiebat principio lato, anguſtatus iterum lateſcit. Dexter lato incipit principio, anguſtatur & acuminato fine deſinit, f) hic non longi. Valvulam g) nullam inveni. Cavitas, qua ſaepe caret, h) valde in noſtro ſubjecto magna, in qua nihil faecum, i) ſed lympha inveniebatur.

Ligamenta coli, naturaliter k) cum omentulis l) deficiebant, in rectum inteſtinum continuabantur quidem caeca aequalis craſſitudinis.

Inteſtinis diſſectis, ſuperficiem internam perluſtravi. Ubi inteſtina duodena ſe jungunt, ruga adfuit longitudinalis, m) ſine qua nihil valvuloſi apparebat in jejuno.

Ventriculo in ſiniſtro pylorus defuit, & ejus inteſtino duodeno loco valvularum *Kerkringii*, n) ſpirales quaedam rugae, quae aliis brevioribus augebantur o).

Ventriculo in dextro pyloro quid ſimile reperiebatur, p) ſed non verus pylorus, rugae quaedam oblique tendentes, glanduloſae aderant.

Hepar unicum, duobus conſtabat lobis, q) ſuperius inter ſe nexis v); ſuperficies ejus externa convexa, & inaequalis, s) margo

f) Tab. VII. fig. 4. lit. P. Q.
g) Comment Petrop. Tom. XII.
h) Hall. Elem. Phyſiol. Tom. VII. p. 118.
i) Morgagni Epiſt. 14. 17.
k) Illuſt. Hall. Elem. Phyſ. Tom. VII p. 116.
l) Garengeot Splanchnol. p. 177. §. 39.
m) Tab. VII. fig. 6. lit. d. e.
n) Spicileg. anat. Obſ. 39.
o) Tab. VII. fig. 6. Lit. f. f.
p) Ibid. g.
q) Ibid. fig. 7. AA.
r) Ibid. BB.
s) Ibid. CC.

margo anterior rotundior, & fiſſus, t) poſterior acutus, nectebatur hepar pluribus naturalibus ligamentis, quodque *Hallero* evenit. u) Ligamentum coronale v), quod vera eſt adhaeſio w), naturali fortior, ligamenta lateralia dicta x) quatuor fuerunt. Suſpenſorium unicum a parte anteriori tantum.

Superficies hepatis interna concava, praerupta, & aſpera, y) ſinu venae portae & lobo *Spigelii* carebat. Veſica fellea naturalis magnitudinis unica, in inferiori parte lateris dextri poſita, z) non piriformis, a) vel cylindricae figurae, b) ſed fabam quam optime repraeſentabat, c) e cujus ſuperiori parte ductus cyſticus emigrabat, inteſtinulo ſe inſerens. Accedit huic ductulo vas quoddam ſtramineae craſſitudinis, a veſicula hydatidem repraeſentante oriebatur, d) flectebat in forma trianguli, priori jungens e), circa veſicam felleam flectendo incedebat, ei inſinuabat in fundo. An vas lymphaticum? dantur vaſa lymphatica, f) & lactea g) naturaliter ex carne oriuntia, h) & tam magna, ut ſtylum recipiant. i) An pro ductu habeas hepatico? quia ille hic deeſt & nullum animal illo caret. k)

Re-

t) Ibid. D.
u) Deſcriptio foet. bicip.
v) Scharſchmid Splanchnol. Tabell p. 44.
w) Winslow Expoſit. pag. 264. Tom. III.
x) Ibidem.
y) Tab. VII. fig. 8.
z) Ibid. nro. 4.
a) Scharſchmidt anat. Tab. p. 48. Euſtach. Tab. X. fig. 2.
b) Roederer de foetu perfect. 25.
c) Tab. VII. fig. 8. n. 4.
d) Ibid. n. 5.
e) Ibid. n. 8.
f) Gliſſon. p. 222. Vesling. Syntagm. L. VI. p. 176.
g) Back. pag. 106.
h) Hiſtoir. de l'acad. des ſciences 1721.
i) Tilemannus Cous p. 15.
k) Halleri Elem. phyſiol. Tom. VI. p. 504.

Renes, a fabarum forma l) aberrantes nullum oſtendebant ſinum, m) inde ureteres infantis ſiniſtri ex media ſuperficie externa progignebantur; n) in infante dextro e contra, ureter dexter naturali propullulabat loco, ſiniſter ureter defuit. Alias veſicae naturales, & oblique recipiebant ureteres.

Glandulae ſuprarenales, naturales, rubellum in ſe continebant humorem: o) liquor hic affuſo ſpiritu vini non coagulabatur, ſed ei ſe miſcebat, dubito inde, an liquor naturalis, ſed quia *Wrisbergius* albido, p) & *Heuermannus* fuſco atque flavo humore q) repletos invenerunt; concedi poteſt noſtrum naturalem fuiſſe.

Structura renis eo diſſecto naturalis, ſed juxta ejus papillas grana apparebant alba rotunda duriuſcula: r) per microſcopium perluſtrata, nucléo incipiebant rotundo, s) margine fracto cincto, t) incurvus rotundiuſculo fine deſinebat. u) An calculi initium? dum vulgatiſſimum eſt, calculis infantes laborare. v)

Genitalia naturalia, hymene ornata, uti etiam Illuſt. *Haller* w) invenit; hymenis hujus figura ſimilis icone Illuſt. *Albini* x).

Abſolvi viſcera abdominalia, ſequuntur viſcera pectoris.

Pul-

l) Tab. VIII. Fig. 4. lit. τττ.
m) Ruyſch. Theſ. 3. Tab. IV. fig. 2.
n) Tab. VIII. Fig. 4. lit. γγ.
o) Winslow Expoſit. anat. Tom. IV. p 15. § 436.
p) p. 36.
q) Phyſiol. Tom. IV. pag. 96.
r) Tab VII. fig. 9.
s) Ibid. Fig. 10. Lit. A.
t) Ibid. lit. BBB.
u) Ibid. r.
v) Brendel Obſervat. Decad. III. n. 1.
w) Deſcriptio foet. bicip. p. 176.
x) Annot. acad. L. IV. Tab. IV. fig. 1. & 2.

Pulmones naturaliter cum corde per vaſa jungebantur, y) & naturales, niſi in infante dextro lobus ſupernumerarius accedebat: z) aquae innatabant, non puto ſignum eſſe inſpirationis, a) ſed putredinis b).

Cor hic unicum, a naturali cono complanato c) valde variat, dum ovalis quaſi figurae, dextrorſum latius, ſiniſtrorſum anguſtius. d) Muſcularis detracta tunica fuit ſtructurae, apex ejus quaſi duplex, e) fibras obliquas in ventriculo f) ſiniſtro, longitudinales, g) & transverſales, h) non inveni, ſed ex fibris ſpiralibus, quae in apicibus verticem conſtituebant quam elegantem, i) quorum dextra naturae quodammodo conveniebat, k) ſiniſtra ex rectis fibris in fine decuſſantibus facta. Saccus membranaceus duas poſſidebat auriculas, una naturaliter, altera major; l) in auriculis his fibrae muſculares valde indiſtinctae. m) Diſſectum cor obſervationi *Kerkringii* ſimile, n) tres poſſidebat ventriculos, duo ſepta, o) ventriculus medius, maximus, ſiniſter minor, dexter minimus, ſeptum dextrum trium linearum craſſum, alterum tenue & quaſi membra-

y) Tab. VIII. fig. 1. n. 1.
z) Ibid. 2.
a) Memoir. de l'acad. des ſciences. 1733.
b) Delineatio Juris criminal.
c) Tab. VIII. Fig. 2. n. 4.
d) Ibid.
e) Tab. VII. fig. 11. lit. aa.
f) Cowper Tab. XXII. fig. 2.
g) Syllab. Petropol. Tab. XV. Fig. I.
h) Cowper l. c.
i) Tab. VII. fig. 11. lit. aa.
k) Ibid.
l) Ibid bb.
m) Ibid. c.
n) Spicileg. anat. p. 139.
o) Tab. VII fig. 12. lit. D. E.

branaceum. Valvulae mitrales, tricuſpidales, p) *Euſtachii*, quae in adulto reticuloſae, q) in infante vix integrae occurrunt, r) adeo fuerunt confuſae, ut extricandis his impos eſſem. Trabes in omnibus aderant ventriculis, in medio tamen reliquis inſigniores. Foramina ovalia duo, quolibet in ſepto unicum.

Cerebrum naturale. Ad vaſa pertractanda me accingo.

Ex ventriculis lateralibus duae oriebantur arteriae s) aortae, & pulmonales ex ventriculo medio, aſcendunt &, uti *Albinus* t) & *Loeſeke* u) viderunt, confluunt inter ſe, v) hocce in ventriculo evacuabant ſe venae cavae, in lateralibus venae pulmonales, haec latere in dextro naturalis, latere in ſiniſtro aſcendendo in duos ſe dividit ramos w).

Haecce de vaſis cordis majoribus.

Aqua mihi haerebat, quomodo vaſorum diſtributionem ordiar, an a corde? an a funiculo umbilicali? ab ultimo videbatur mihi naturali magis convenire.

Funiculus umbilicalis hic *Chriſtello* x) unicus, & gemellis ſaepiſſime familiare, uti ex *Tulpio* y), *Büttnero* z) & Ill. *Hallero* a) liquet, etiamſi non negandum, quod aliquando duplex, b) vel unicus & fiſſus c). Longitudo funiculi latet, abſciſſum jam acce-

p) Winslow Expoſit. Tom. IV. p. 92.
q) Haller. Elem. phyſ. T. I. p. 390.
r) Trewius p. 52.
s) Tab. VIII. fig. 2. n. 1. & 3.
t) Annot. acad. L. II. fig. VII.
u) Obſervat. med. chirurg. Tab. III. fig. I.
v) Tab. VIII. fig. 2. n. 6.
w) Ibid. 5.
x) De partu Gemello.
y) Obſervat. L. III. Cap. XXXVIII. p. 247.
z) Anatom. Anmerkung.
a) Sectio foet. bicip.
b) Schurig. Embryol. p. 96.
c) Solingen Anmerkung 93.

accepi, craſſitudo noſtri ſubjecti trium linearum cum dimidio. Injectus fuit, & naturaliter ex duplici arteria & unica vena conſtabat.

Vena umbilicalis, naturaliter hepar verſus tendens, in duos ſe dividebat ramos d).

Prior ramus ſe dividebat in duos, quorum primus in tres iterum ſe dividebat: primus horum dextrorſum ſe in hepate, e) ſecundus hujus in inteſtinis craſſis, & tertius ejusdem in ſplene, ſe diſtribuebant. f)

Secundus ramus, hujus rami prioris ſiniſtri, medius, ad inferiora tendens, in inteſtinis tenuibus multis ramis ſe diſtribuit, g) & ventriculo dextro gaſtricas porrigebat.

Ultimus ramus, ſiniſtro in latere hepatis finiebatur h).

Alter truncus ſiniſter, i) priori tenuior, oblique ad inferiora tendens, in quatuor ſe dividebat ramos k).

Primus tam ſuperficialiter, quam etiam ad ſubſtantiam tendebat hepatis.

Secundus ad inteſtina infantis dextri tenuia.

Tertius venae cavae jungebatur.

Ultimus in ſplene & ventriculo infantis dextri.

Certe mirus hic luſus naturae, vena portarum, ex umbilicali orta, cum vena cava ſe duobus ramis junxit.

Vena pulmonalis naturalis, ejus proportio ad arteriam variabat. Optima capta experimenta docent, venam latiorem eſſe arteria, l) ut 2. ad 3. m); noſtro in ſubjecto arteria $4\frac{1}{2}$.

d) Tab. VIII. lit. C. D. fig. 3.
e) Ibid. E.
f) Ibid. F.
g) Tab. VIII. fig. 3. Lit. A. iii.
h) Ibid. lit. G.
i) Ibid. lit. D.
k) Ibid. H. I. K. L.
l) Helvet Memoir. de l'acad. des ſciences. 1718.
m) Meckel Abhandl. von einer Erweiterung des Herzens p. 5.

linearum, pro quadrato aderit 36, eodem modo se habebat in venis.

Vena cava superior, quum e corde egressa venam dedit azygos, ad caput naturaliter tendens se distribuebat ibidem.

Vena cava inferior, sinistrorsum quodammodo flectens, descendit, & perforat in margine hepar, confluit hic cum ramo venae portarum, hoc pacto ramum emittit insignem, qui oblique descendit, sub renibus in adiposa distribuitur, m *) hoc ramo dato parum descendens, emulgentes porrigit venas, hae simplices quidem, in dextro latere fissae, n) non in sinum, sed superficiei externae se insinuabant, o) non multum ab hinc, ramos a se vena cava dabat corpori cuidam glanduloso mihi ignoto, p) in quo nullum ductum invenire potui. Nonne pancreas? defuit illud, & nulla animalia pancreate carent. His ramis a se datis in inferioribus extremitatibus naturaliter finiebatur vena cava. Haecce distributio venae cavae infantis dextri.

Sinistri infantis vena cava superior, naturalis. Inferior vena priori modo hepar perforat, q) dextrorsum inclinans, ad diaphragma ramos praebebat; his datis, emulgentes venas emisit, hae non in sinum, sed superiorem partem renis intrabant. r) Latere in dextro duae venae, in sinistro nulla, loco hujus unica, a lumbaribus venis per superficiem inferiorem renis repens ei inserebatur: his datis corpori ignoto glanduloso vasa dedit, s) & naturali modo in inferioribus se distribuebat.

Phlebologia finita, ad arteriologiam propero.

Arteriae pulmonales cum aorta confluxae ramos praebent pulmonibus, qui ibi etiam distribuuntur.

Ar-

m*) Tab. VIII. lit. X. fig. 4.
n) Tab. VIII. fig. 4. vv.
o) Ibid.
p) Ibid. u.
q) Ibid. M.
r) Ibid. t. t.
s) Ibid. s.

Arteria aorta, naturalem transverſam t) facit curvaturam, naturales ad caput tendebat ramos, ad diaphragma usque naturalis, hoc perforato loco arteriae meſaraicae magnae & caeliacae in infante ſiniſtro unicum dedit ramum, u) a quo omnia viſcera ſine renibus arterias accipiebant, qui ramus in oppoſito infante defuit, ſic, ut viſcera oppoſiti infantis ab hac arteria nutrita, tuncque ad inferiora aorta tendens emulgentes continuabat, quae quolibet in infante latere in dextro ſimplices, v) latere in ſiniſtro duplices, w) in ſuperficie renum intrantes. Tunc ad lumbares vertebras aortae tendebant, in iliacas ſe dividentes internam & externam, externa naturalis diſtributionis, interna etiam niſi in arteria umbilicali; haec ab iliaca externa in infante ſiniſtro oritur, ad veſicam urinariam flectendo tendit, x) juxta illam aſcendit ad funiculum umbilicalem, in via emittit epigaſtricam y). In infante dextro arteria umbilicalis ſiniſtra priori ſimilis, dextra ex trunco juxta emulgentes oriebatur, z) priori modo tendens; nullas epigaſtricas praebebant.

Sceleton deſcribendum putavi, ſed ſimilis eſt ſceleto foetus Illuſtris *Halleri*, hinc ſuperſedeo.

Epicriſis ſequeretur, quia vero plura adhuc monſtra, jam inquiſita poſſideo, ad calcem ſequentium delineationum me converto.

t) Memoires de l'acad. des ſciences 1754. p. 28.
u) Tab. VIII. fig. 4. lit. v.
v) Ibid. lit. Φ. & q.
w) Ibid. lit. nn & pp.
x) Ibid. ll. dd.
y) Ibid. lit. k f.
z) Ibid. lit. i.

Explicatio Tabularum.

Figurae Tabulae VI. ad quartam, Tabb. VII. & VIII. ad tertiam partem naturalis magnitudinis ſunt diminutae.

Tab. VI. Fig. 1. Repraeſentat faciem anteriorem foetus bicorporei.
A. Portio funiculi umbilicalis.
BB. Capſula aponevrotica tegumentis tecta.
C. Mamma dextra infantis dextri.
D. — ſiniſtra — ſiniſtri.
E. manus dextra — dextri.
F. — ſiniſtra — ſiniſtri.

Fig. 2. faciem poſteriorem adumbrat.
AB. Coalitio amborum foetuum.
C. Funiculus umbilicalis a parte anteriori propendens.
D. Manus dextra infantis dextri.
E. Manus ſiniſtra — ſiniſtri.
F. Manus ſiniſtra infantis dextri.
G. Manus dextra — ſiniſtri a facie poſteriori pend.

Fig. 3. Tegumentis remotis muſculos conſpicuos reddit.
A. Latiſſimus dorſi dexter infantis dextri.
B. — infantis ſiniſtri.
C. Pectoralis magnus inf. ſiniſtri.
D. — — dextri.
E. Obliquus externus — —
F. — — — ſiniſtri.
αααα. Conjunctio Mſc. latiſſ. dorſi c. M. obliquo externo infantis dextri.
βββ. Conjunctio muſculor. pector. inter ſe.
γ Initium lineae albae.
δ ejus diviſio.
εεεε ejus curſus.
ζζ ejus inſertio.
ηηη Muſc. triangularis, quem puto obliquos eſſe degeneratos.

ϑ. Aponevrotica expanſio.
ι. Funiculus umbilicalis.
ι. Rectus abdominis inf. dextri.
κκκ. Lacertae muſculoſae.
λ. Muſc. ſterno-maſtoid. inf. ſiniſtri extremitate ſuperiori ſub muſc. latiſſ. dorſi deliteſcens.
μ. Muſc. ſterno-maſtoid. ſiniſter infant. dextr.
νννν. Muſc. ſterno-thyroid. & ſterno-hyoid. ſub muſculo deliteſcens.
ξ. Media pars platyſmamyoidis infantis ſiniſtri.
ο. Origo ejus a ſterno.
π. Inſertio ejus praeternaturalis.
ρ. σ. τ. Muſculus cleido-maſtoideus dexter infantis dextri valde latus & latiſſ. colli reſarciens.
υ. Muſculus deltoides infantis dextri.

Fig. 4. Muſculos denotat in facie poſteriori.
α. Fractura capitis in infante ſiniſtro unde orta, neſcio.
β. Muſc. latiſſ. dorſi.
γ. Muſc. ſterno-maſtoideus infantis ſiniſtri c. cucullari ſe jungens.
δ. — Cucullaris.
ε. Funiculus umbilicalis ab anteriori propendens.
ζ & η Muſculi praeternaturales.
ϑϑϑϑ. Coſtae infantis ſiniſtri.
ιιιιιιιιι. — dextri.
κ. Muſc. ſeratus antic. magnus.
λλλλλλλ. Muſc. obliqui externi abdom. origo.
μμμ. ejus conjunctio cum ſerrato magno.
νννν. Muſc. pectoral. magni.
ρ. χ. υ Latiſſimus dorſi infantis dextri lateris ſiniſtri.

Tab. VII. Fig. 1. Muſculos ſignificat praeternaturales.
α. Muſc. praeternat.
β. — trapezoides.
γ. — triangularis.
δ. — rhomboid.

ε. Cla-

ε. Clavicula.
ζ. Peritonaeum muſculis remotis.
η. Portio muſculor. claviculae.
ϑ. Muſculi abdominales peritonaeo incumbentes.
ι. Muſc. abdom. & tegumenta reclinata.
κ. Umbra capitis abſciſſi.

Fig. 2. 3. Situm viſcerum a poſteriori & anteriori facie adumbrant.

Fig. 2. Pars anterior.
AA. Hepar irregularis figurae.
B. Lig. ſuſpenſor. hepatis ab oſſe ſterno remotum.
ΓΓ. Ventriculi quorum dexter perpendiculariter, ſiniſter oblique poſitus.
ΔΔΔ. Inteſtina mire convoluta.
E. Funiculi umbilicalis portio tunicis tecta.
Z. Cor.
ΗΗ. Pulmones.
ΘΘ. Pericardium cor laxe ambiens.

Fig. 3. Situm viſcerum a parte poſteriori adumbrat.
1. Inteſt. colon ſiniſtr.
2. 2. 2. ejus convolutio.
3. 3. Proceſſus vermiformes.
4. Appendix praeternaturalis.
5. Appendicula a peritonaeo.
6. 6. Meſocolon.
7. 7. Pulmones.
8. 8. Mediaſtinum a ſterno ſeparatum.
9. 9. 9. Convolutio inteſtinorum tenuium.
10. Portio hepatis.
11. Sternum elevatum.
12. Coſtae abſciſſae.
13. Abdominis labia.

Fig. 4. 5. Repraeſentant ventriculum, inteſtina & hepar ex corpore remota.

Fig. 4.

Fig. 4. Ventriculi cum inteſtinis.
A. A. A. A. Conjunctio ſplenum cum ventriculis.
B. B. Ventriculi.
C. Oeſophagi ingreſſus infantis dextri.
D. — — ſiniſtri.
E. Inteſtinum duodenum infant. dextri.
F. — — ſiniſtri.
G. Confluxio amborum duodenorum.
H. H. Inteſtinum jejunum.
I. I. I. ejus plicae.
L. Inteſtinum ileon dextrum.
M. — — ſiniſtrum.
N. N. Ingreſſus inteſtini ilei in coecum.
O. O. Inteſtinum colon amborum foetuum.
P. P. Proceſſuum vermiformium initia.
Q. Q. Eorum finis acuminatus.
R. Appendiculus inteſtinalis.

Fig. 5. Situm ventriculi repraeſentat.
a. Lobus hepatis remotus.
b. Ventriculus dexter obliquus.
c. c. c. Inteſtini tenuis portio.
d. d. d. d. Convolutiones inteſtinorum tenuium ventriculum occultantes.
e. e. Portio inteſtini coli infantis dextri.

— Fig. 6. Inteſt. duod. c. portione jejuni a ventriculo abſciſſa & fiſſa.
a. Extremitas a ventriculo dextro ſoluta.
b. — — ſiniſtro abſciſſa.
c. — jejuno abſciſſa.
d. Papilla in confluxu duodeni.
e. ejus iter.
f. f. f. f. Rugae inteſtinales ſpirales.
g. Pylori loco plica ventriculi dextri.
h. valvulae oblique tendentes ſuperiores.

i. — inferiores longitudinales.
k.k.k. Glandulae ſolitar. in duodeno dextro.

Fig. 7. Hepatis ſuperficiem externam adumbrat.
A.A. Lobi hepatis in foetu penduli hic extenſi.
B.B. Loborum connexio.
C.C. Inaequalitates ſuperficiei externae.
D.D.D. Margo crenatus & varie fiſſus hepatis.
E.E. Margo ſuperior rotundus lobi poſterioris.
F.G. Lobi alii antrorſum valde propendentes.

Fig. 8. Superficiem internam hepatis denotat.
1. Lobus poſterior reclinatus.
2. 3. Lobi anteriores.
4. Veſica fellea.
5. Ductus cyſticus.
6. Vas quoddam ignotum.
7. Veſicula vel hydatis vaſi nexa.
8. 9. 9. 9. ejus iter.
10. Ramus vaſis ignoti ad veſicam felleam tendens & jungens in nro. 8.
11. Ingreſſus in veſicam felleam.
12. 13. 13. 13. 13. Margines hepatis.

Fig. 9. Ren in medio diſſectus.
α. α. Subſtantia corticalis.
β. Subſtantia tubuloſa.
γ. Corpuſcula peregrina.

Fig. 10. Corpuſcula peregrina armato oculo deſignata.
A. Nucleus.
B.B. Margo quaſi fractus.
r. Apex incurvus.

Fig. 11. Structuram adumbrat muſculoſam cordis.
a. a. Apex cordis bipartitus.
b. b. Ventriculus dexter.
c. Auricula anterior.

d.

d. Origo arteriae pulmonalis.
e. Portio venae cavae vix conſpicua.
f. Arteria aorta.
g. Vena pulmonalis.

Fig. 12. dimidiati cordis ſuperficies interna.
A. Ventriculus primus.
B. Ventriculus medius maximus.
C. — tertius minimus.
D. Septum cordis dextrum craſſum.
E. Siniſtrum tenuius.
F. Auriculae cordis portio.

Tab. VIII. Viſcera pectoris & vaſorum inteſtinalium diſtributionem repraeſentat.

Fig. 1. Connexionem cordis cum pulmonibus adumbrat a facie poſteriori.
1. 1. Pulmones.
2. Lobus pulmonum ſupranumerarius.
a. Vas ad lobum praeternat. tendens.
b. b. Aſperae arteriae.
c. Cor.
d. Pericardium.
e. Connexio cordis cum pulmonibus per vaſa.

Fig. 2. Connexio cordis cum pulmonibus a parte anteriori.
1. Arteria pulmonalis.
2. Aorta.
3. Confluxio arteriae aortae cum pulmonali.
4. Cor.
5. Vena cava.
6. Vena pulmonalis.
A. A. Arteriae & venae coronariae cordis.
B. B. Rami ad caput tendentes.
C. Ramus ad pulmones.
D. Ramus ad lobum ſupranumerarium tendens.

E. Aſpera arteria ſiniſtra.
F. Pulmones.
G. Lobus ſupranaturalis pulmonum.
H. Ramus venae cavae ad caput tendens.
I. Vena cava inferior.
K. Pulmo dexter.
L. Aſpera arteria dextra.

Fig. 3. Diſtributio venae inteſtinalis.
a. Funiculus umbilicalis.
b. Solutio rami anterioris C.
C. Truncus dexter anterior.
d. d. d. inteſtina tenuia.
e. e. Inteſtina craſſa.
f Proceſſus vermiformis dexter.
g. Appendix inteſtinalis.
h. h. Anterior lobus hepatis reclinatus.
i. i. i. Meſenterium.
k. Portio diaphragmatis.
l. l. Coſtae ab oſſe ſterno abſciſſae.
m. Cavitas pectoris.
n. Labia abdominis.
o. Ventriculus ſiniſter.
p. Meſenterium a quo inteſtina abſciſſa, ut commodius praeparari poſſit.
A. Ramus medius ad inteſtina tenuia tendens.
B. Secundus ad inteſtina craſſa.
D. Alter truncus.
E. Ramus in hepate ſe diſtribuens.
F. Ramus ad inteſtina craſſa tendens colicam repraeſentans dextram.
G. Ramus in hepate ſe diſtribuens.
H. — — etiam. —
I. Ramus in inteſtinis tenuibus finiens.
K. Ramus venae inteſtinalis cum vena cava jungens.
L. Ramus qui ſplenicam & coronariam ventriculi praebebat.
M. Vena coronaria ventriculi dextri.

Fig.

Fig. 4. Distributionem arteriae aortae & venae cavae repraesentat.

a. Introitus ureteris dextri infantis sinistri.
b. — — sinistri — —
c. Exitus arteriae umbilicalis in umbilico.
d. d. d. d. Flexurae arteriae umbilic.
e. Rami ab iliaca ad musculos tendentes.
f. Arteria epigastrica dextra infantis sinistri.
g. Vena renalis sinistra.
h. i. Arteria umbilicalis infantis dextri.
k. Arteria epigastrica infantis sinistri.
l. l. Arteria umbilicalis ejusdem infantis.
m. m. Arteriae iliacae.
n. n. Arteriae renales sinistrae infantis dextri.
o. o. o. Arteriae renales dextrae. — —
p. p. — — sinistrae — sinistri.
q. — — dextrae — —
r. Ramus aortae in mesenterio se distribuens.
s. Corpus glandulosum infantis sinistri.
t. t. Venae renales dextrae infantis sinistri.
u. Corpus glandulosum infantis dextri.
v. v. Venae renales dextrae infantis dextri.
w. w. Rami ad hepar tendentes.
x. Ramus a vena cava adiposus.
y. — venae intest. jungens cum vena cava dextra.
z. — — — — — — — sinistra.

A. B. Arteriae iliacae infantis sinistri.
Γ. Ramus intermedius inter venam cavam & intestinalem.
Δ Ramus venae intestinalis cum vena cava jungens.
E. E. Membrana adiposa venam intestinalem jungens.
Θ. Divisio venae intestinalis.
I. Vena umbilicalis.
K. Mesenterium reclinatum.
Λ. Divisio aortae in iliacas.
M. Arteriae aortae.

N. Iter venae cavae.
Ξ. Vena cava infantis ſiniſtri.
O. Tranſitus venae cavae per hepar.
Π. Arteria aorta.
P.P. Vena cava infantis dextri.
Σ.Σ.Σ.Σ. Vaſa in ſuperficie renum diſtribuentia.
T.T.T.T. Renes.
Υ.Υ. Ureteres.
Φ. Arteria emulgens dextra.
A.A. Cavitas pectoris.
B.B. Coſtae abſciſſae.
D.D. Lobus hepatis poſterior pendulus.
E.E. Veſicae urinariae.
F.F. Labia abdominis.
G. Muſculi abdominales poſteriores.
H.H.H.H. Crura foetus abſciſſa.

TANTUM.

OBSERVATIO
ANATOMICO-PHYSIOLOGICA
DE
FOETU BICIPITE
AD
ANTERIORA CONNATO

AUCTORE
D. GEORGIO CHRISTIANO ARNOLD
MEDICINAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PRACTICO LESNAE
IN POLONIA MAIORE ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE
CURIOSORUM COLLEGA NILEO III.

In fabrica corporis imponitur neceſſitas.

Fr. Bacon. de Verulam. Serm. Fidel.

I.

Mulier a) cui tertia periodo menſtrua jam revertente, menſes non fluxerant, abortu excludit fetum bicipitem, ad anteriora connatum, mortuum. Pondus ejus aequabat unciam dimidiam. Longitudo b) a vertice ad calcem erat 1. pollicis & 10. linearum, relictis pedibus in ſua flexione; ſi vero hi extenderentur, tenebat 2. pollices & $4\frac{1}{2}$. lineas menſurae Rhenanae. Latitudo autem in variis locis varia, uti poſtea in cujuslibet partis deſcriptione, & in tabula adjecta patebit. Color totius albus. Diſtinctae erant omnes partes, praeter obſcu-

a) Nullam eadem habuit notitiam ſimilitudinis aliquando viſae, nec primipara, quam inſcitiae accuſare poſſent imaginationis defenſores, plurium jam liberorum felix mater. Recte itaque monuit ILL. v. HALLER *in Deſcriptione fetus bicipitis ad pectora connati, Hannover.* 1739. 4to §. 1. de connatis fetubus hujus claſſis non legi, quod ex vitio imaginationis originem traxerint. Hinc omnino talem delineatum fuiſſe noſtrum fetum bicipitem dicimus, ſed de his in appendice.

b) Pondus & longitudo non ſequuntur numeros dierum, ſed forte naturam alimenti, & vim impulſionis, addo etiam modum aſſumtionis. Deinde etiam has menſuras turbat, quod fetus ſaepe dudum ante abortivum partum pereant, aut creſcere certe deſinant, atque adeo edantur mole minore, quam pro aetate naturalis foret. v. HALLER *in* H. BOERHAAVE *Praelect. Acad. T. V. P. II. Götting.* 1744. 8vo p. 207. *not. c.* adde quod terminus ipſius conceptionis admodum incertus ſit, de cujus exacta determinatione plurimi peritiſſimi deſperant. Quare menſuram varii variam faciunt. *Longitudinem* tertio menſe dicunt eſſe aequalem 3. pollices BUFFON, 6. pollices LEVRET, in eo nimii, ut optime monet HALLERUS *Element. Phyſiolog. L. XXIX. S. IV. §. XLII. p.* 371. *Tom. VIII.* 1. pollicem dat IDEM *l. c.* 1. pollicem & 6. lineas *Smellie Tab. VI.* 2. pollices BURTON.

t. 8.

obſcuritatem quandam in exprimendo ſexu, qui tamen poſt accuratius examen femineus apparuit. Situs totius bicipitis fere rectus, attamen capita jamjam anteriora verſus quodammodo incurvabantur, pedes autem verſus ſuperiora flexi conſpiciebantur, ut genua jam cum ima abdominis ora eandem altitudinem haberent.

Quae in ſingulis partibus viderim, quatenus videre licitum fuit, mox proferam, ſi monuero, quod in ſitu determinando hunc ordinem ſervandi mihi legem impoſuerim, ut anatomice definito ſpatio, hoc ad eum modum deſcriberem, quo in toto bicipite ſeſe oculis obtulit. Adjiciam ſimul pauca de uſu partium in notis ſubjectis, & de origine noſtri bicipitis & ſimilium, quos nomine hucusque Monſtrorum c) inſignitos invenimus.

Placentam non vidi.

2.

t. 8. *f.* 12. Ratione *Ponderis* iterum variant. In genere incerta pronunciat *W.* SMELLIE **Abhandlung von der Hebammenkunſt. Altenburg** 1758. 8vo. *L. I. C.* 3. *S.* 4. *p.* 123. tertio tamen menſe pondus fetus aeſtimat inter uncias 2. vel 3. *ibid.* 3. uncias cum MAURICEAU S. SCHARSCHMID **Abhandlung von der Geburtshülfe, Berlin** 1751. 8vo p. 30. & I. F. SCHÜTZENS **gründliche Anweiſung zur Hebammenkunſt, Hildburghauſen** 1770. 8vo p. 56. ut alia taceam: varia tamen de his collecta extant in locis *Hallerianis* modo citatis. Quod ſi autem inter ſe conferam, quae hucusque dixi, & ad ea referam longitudinem & perfectiorem conformationem noſtri fetus bicipitis, eum omnino cenſeo trimeſtrem, diebus non aeſtimatis; & licet pondere admodum levis repertus ſit, nulli ponderum traditorum reſpondens, tamen inde nil aliud ſequitur, niſi quod manca adhuc & incompleta, de ſtatu embryonis primis menſibus, ſit humana notitia. Nutritio laeſa fuit ob funiculum umbilicalem poſteriorem jam diu abruptum, hinc etiam potuit levior eſſe. Illud autem noſter caſus confirmat, quod abortus tempus plerumque cum menſtruorum periodo coincidat, frequentiſſime vero circa tertiam & intra quartam revertentem. A vi nimia ſanguinis ruentis in oſtia placentae utero appoſita, cauſari abortum, verum eſt; an exinde omnino contiguitas placentae cum utero probari absque dubio poſſit, dubitamus.

c) *Monſtrum* in ſenſu latiſſimo vocatur creatura, quae in relatione ad ſua ſimilia, ſecundum legem naturae conſuetam formata, deformis videtur, cadat haec deformitas in ſolam figuram, vel in numerum partium. Talia relative & apparenter

2.

Quae visa sunt absque dissectione a facie Bicipitis antica.

Ut a vertice ordiar. d).

Ca-

deformia dantur in omni naturae regno; quae si omnia narrare vellem, opus admodum prolixum & volumina mihi scribenda essent, id notasse sufficiat, dari etiam inter homines tales, quos monstra appellant. Humana monstra conceptus vitiosos viventes, non secundum naturae cursum consuetum formatos, vocat C. Bauhin. *de Hermaphrodit. & part. monstros. natur. Oppenheim.* 1614. 8vo p. 60. 61. Fetum in utero materno nunc inusitata & insolenti totius corporis, nunc partis saltem cujusdam deformitate contra naturam deturpatum, monstrum esse affirmat A. Q. Rivinus *Diss. de Puella monstrosa. Lipsi.* 1717. 4to §. 9. p. 13. Plures descriptiones collegit J. A. Kulmus *Description. fetus monstrosi. Gedan.* 1724. 4to p. 21. simul autem suum fetum inter monstra refert, ob raram ejusdem conformationem p. 22. Nec tamen omnem in homine apparentem deformitatem sufficientem judicat vulgus, ut pro monstro talis homo declaretur, quippe nonnullae earum frequentiores sunt, nec formam insigniter laedunt, facileque iis medetur, ut extuberantia partis aliqua levioris momenti, labium leporinum, naevi, digitorum nonnullorum concretio &c. aut in interioribus absconditae latent, nemini nisi in naturae thesauros inquirenti post mortem horum apparent, aut in locis vestibus tectis occurrunt, ut testium numerus auctus, minutus, aut eorum defectus. Aliae deformitates externae majores vulgo videntur, rarius occurrunt, & in parte notabili organica conspiciuntur, has vocant communi consensu monstra: huc referendae omnes mutilationes verae & apparentes, aut duplicationes membrorum majorum, eorumque augmenta, defectus, & defigurationes e. g. fetus apparenter duplices, connati, truncati, &c. quarum diversitates in fidis Auctorum observationibus videre licet. Cum vero extraordinaria semper sint, extraordinariam etiam requirunt attentionem. Haec non a curiositate sola, in qua plurimi acquiescunt, verum etiam a sciendi cupiditate incitetur necesse est, si inde utilitas quaedam ad scientias redundare debeat. Optandum esset, ut fido observatori semper concederetur occasio observandi, sed plura dantur saepe obstacula, potissimum ubi luctandum est cum praejudiciis aliorum, & omnibus adminiculis destituto omnia uni incumbunt. Licet relegatus fere ab eruditorum orbe, librorum apparatu magno & saepe etiam necessario destituar, tamen natura & ardor eam considerandi me non deserunt. Ignoscas itaque L. B. si non omnia jucunde fuerint dicta, suavitas venit usu; vera tamen quod sint scito. Si placent, ardorem & sedulitatem inter tot obstacula augebunt.

d) Non ita longus fuissem in describendo exteriore habitu hujus bicipitis, si pictor adfuisset ad manus: hinc uberiorem descriptionem non male vertat L. B. licet

per-

Caput duplex occurrebat, longitudinis 7 linearum: ita autem haec duo capita ad se invicem ponebantur, ut occiput lateraliter & quodammodo ad suam spinam retractum cerneretur, in quolibet latere unum. Faciem formabant communem auris; oculus albens, lateſcens; media frons; radix nasi & os cum suis labiis in duplo praesentia, cum simplici nasorum apice & mento. Ab uno occipite ad alterum spatium erat 1. pollicis & $1\frac{1}{8}$. lineae, quod erat latitudo capitum. A vertice capita sibi erant contigua, ita ut oculus dextrae sinister, dextro sinistrae puellae e) oculo, quam exactissime responderet & apponeretur, nec uterque appareret, nisi capitibus aliquomodo deductis, tumque ambo sursum directi essent. Intercipiebat autem continuitatem rima ad nasi apicem excurrens, ubi enim nasus a duplici radice ortus duplex produceretur brevis, ad eam partem quae cartilaginosa est, confluebat uterque sic, ut ejus apex simplex communis latam plagam referret. Per hanc nasorum combinationem, labium superius cujuslibet oris, a simili sejunctum, ad superiora quodammodo tractum, fere labium leporinum referebat. Labium oris cujuslibet inferius in situ naturali erat. Os ori contiguum, ut in iis, qui sibi a latere os osculantur; ejus rictus magnus. Lingua duplex. Menta iterum continua, ut ab his viderentur duae puellae in unum corpus confluere, exceptis extremitatibus f).

Collum

persuasus sim, majorem jucunditatem & claritatem in bona icone, quam in verbis esse.

e) Sequor in hac locutione communem usum dicendi, licet exacte dicere non possim duas fuisse puellas, quare etiam fetum bicipitem appello: ne tamen confunderem in observatione singulari L. B. prolixiore circumscriptione, usum retinui. Si quis autem de monstris synthetice scriberet, omnino in dicendo peccaret, si de duobus fetubus loqueretur, cum monstra bicorporea, fetus bicipites &c. describeret.

f) Prima est differentia nostri bicipitis ab aliis hujus classis in capitum conformatione & ad se invicem positione; quippe plurimi bicipites nascuntur capitibus

Collum unum videbatur commune duplici capiti, breviſſimum, unius lineae; adeo autem latum, ut ſi incurvationem aliquam ob tractionem capitum ad ſuam cujuslibet ſpinam, exceperis, eandem cum his latitudinem haberet. Praeterea paululum impreſſum erat, ex inclinatione capitum ad anteriora.

Sub collo *Pectus ſimplex* formabatur, nempe ſpatium $4\frac{1}{2}$. lineas longum, & ab angulo coſtarum dextrae puellae ad angulum coſtarum ſiniſtrae, 10. linearum latum, illud referebat: in cujus ſummo loco humeri duo cum productis adhaerentibus partibus ponebantur, dexter dextrae & ſiniſter ſiniſtrae puellae; a ſe invicem diſtabant $4\frac{1}{2}$. lineas, cum ſcapulae lateralem pectoris partem occuparent. Quilibet ex ſuo articulo prodeuns,

ſejunctis, liberis, a ſe invicem ideo reclinatis. Quale exemplum vidi aliquot abhinc annis. „Anno nempe 1770. primipara edidit fetum bicipitem, reliquis par„tibus praeter colla duplicia non duplicatis. Capita ſejuncta a ſe reclinata erant „ita, ut dextrum perpendiculariter cum ſuo collo, ſiniſtrum autem cum ſuo col„lo ad angulum, (nam a dextro reclinatum erat) trunco ſimplici inſiſteret. Pe„ctus erat latiſſimum, uti in connatis eſſe ſolet, ſternum duplex tangendum, re„liqua ſolita forma. Abdomen ad pectus anguſtius erat. Sexus femineus. Ca„pita bene formata erant, proportione autem ſimul ſumta aequabant caput ma„gnum ſimplicis fetus maturi, ſingulum autem minus erat. „ Verum cum in noſtro bicipite capita partim ſejuncta, partim combinata appareant, omnino inter rariora hanc bicipitum conformationem referendam eſſe cenſeo. Haec capitum combinatio, non a quam proxima appoſitione eorundem & hinc facta coalitione originem traxit, quod ex retractione utriusque capitis ad ſuam ſpinam probo, hinc potius ſeparata manſiſſent, quare minime haec conjunctio coalitus dici meretur. Hanc vero capitum retractionem ideo factam eſſe ſuſpicor, partim quo oculi duo contigui, nunc ſurſum directi, ob minorem ſinguli capitis mobilitatem, ſurſum videre potuiſſent, & alta contemplari; partim quo eo liberior aëris in naſorum apicem ſimplicem communem ingreſſus fuiſſet: oris denique duplicis harmonica diſtantia eam requirere videbatur. Auris duplex tantum erat, utrinque optime ad externa una locata, interius inutilis fuiſſet altera poſita, ubi nullus aëri externo acceſſus datus fuiſſet, ſine quo nec ſonus percipi poteſt. Haec pauca obiter notavi de uſu partium, quatenus in forma noſtri bicipitis ab anterioribus in capite conſtitutarum occurrebant.

deuns, tendendo ad ſuum cubitum quodammodo flexum, 5½. lineas emetiebatur: inde antibrachium cum juncta manu ad apices digitorum 7. lineas tenebat. Digiti omnes formati cum ſuis articulis, deſignati quoque ungues lineis circumſcriptis profundioribus.

Pectus videbatur ſimpliciter deſcendere ad confinia *Abdominis ſimplicis*, quod ad confinia coxarum, a vertice 1. pollicem & 5½. lineas diſtantium, lateſcebat, ut ab unius ad alterius *coxas duplices* a latere appoſitas eſſet 1. pollex & 1. linea. Inde magis deſcendens ora ſua ima, a vertice 1. pollicem & 9. lineas diſſita, *funiculum umbilicalem* ſuſcipiebat, quem *anteriorem* dico. Abdominis longitudo erat 8½. linearum.

Nates duplices a latere, ut earum portio anterior, alia poſterior eſſet, ponebantur. Inter eas diſtinguebatur orificium ani cuilibet puellae proprium, a quo continuabatur interfemineum ſeu perinaeum ad ſuam vulvam, quam tamen nondum ex omni parte diſtinctam fuiſſe §. 1. monuimus.

Pedes quatuor ad quodlibet latus duo, ſurſum flexi, locabantur. Longitudo erat a coxis ad genu 6. linearum; a genu ad calcem 4½. lineae; a calce ad digitorum apices, in quibus pariter ſtigmata unguium deſignata erant, 2. linearum.

3.

Quae viſa ſunt absque diſſectione a facie Bicipitis poſtica.

Caput a poſteriore bicipitis facie maſſam deformem indiviſam referebat. In initio colli depreſſio magna erat & ſigna tenſae cutis manifeſta. g) A vertice 9. lineis (adeoque anterioribus linea inferiores §. 2.) humeri apparebant dextrae ſiniſter & dexter ſiniſtrae puellae: adeo ut eſſent humeri quatuor cum productis partibus, duo anteriores, duo autem poſteri-

 ores.

g) Tenſionem hanc manifeſtam a vi externa illatam fuiſſe accuratiore examine inſtituto obſervavi: poſt inciſionem enim inveni has partes profunde ſatis laeſas fuiſſe, quoniam poſſeſſor illico ſtudio conſervandi filum transducere conatus fuerat.

ores. Cum ex ſuo articulo egrederentur contigui conſpiciebantur, in medio pectoris poſterioris conſtituti, quod primo intuitu dorſum Bicipitis referebat. Mox autem a ſe recedebant, cum quilibet ad ſuum cubitum procederet, donec manus curvatae denuo ad ſe invicem prope finem abdominis inclinarent. Longitudo apparens minor erat quam anteriorum: nempe a ſcapula ad cubitum 5. lineas, abinde ad apices digitorum $6\frac{1}{2}$. lineas tenebat. Longitudo pectoris eadem quae anterius §. 2. nempe $4\frac{1}{2}$. linearum. Latitudo autem ejusdem vix $6\frac{1}{8}$. lineas aequabat. In abdominis parte inferiore a vertice 1. pollicem & 8. lineas diſtante, cernebatur depreſſio cum ſtigmate h); & ſub hoc finis erat poſterior abdominis, quod ita terminabatur, ut ejus finis anterior cui inſerebatur funiculus umbilicalis §. 2. adhuc lineam inferius propenderet, quare longitudo abdominis poſterioris erat $7\frac{1}{2}$. linearum. Nates poſteriores & pes conſpiciebantur.

A latere nil praeter occiput, & ſpinam naturali modo flexam, cum coxis, natibus, & quae his ſubjacent & adjunguntur, in duplo obſervavi, uti paſſim notavi.

4.

Ut autem proportio partium, qualem in hoc Bicipite obſervavi cum diſtantia earundem uno intuitu L. B. pateat, exhibeo tabulam ſequentem:

h) Stigma adeo exiguum erat, ut primo intuitu plane non obſervaretur, ſed tantum depreſſio talis cerneretur, quae maximam ſimilitudinem cum ea fovea habebat, quam poſt funiculi deligationem, ſub nomine umbilici omnes noſcunt. Stigma appenſum album erat, tenue, & uti inferius §. 5. 6. 8. patebit, omnino funiculus umbilicalis fuit, forte jam pridem abruptus. Diameter ipſius vix lineam dimidiam aequabat, nec poterant aperturae in eo diſtingui. Voco hunc *funiculum umbilicalem poſteriorem.*

Tabula

TABULA i) proportionem & distantiam partium bicipitis exhibens.

A calce ad pedis digitos. v. §. 2.				' - 2.
A genu ad calcem. v. §. 2.				' - 4½
A coxis ad genu. v. §. 2.				' - 6
A cubitu ad digitos posteriores. v. §. 3.				' - 6½
A cubitu ad digitos anteriores. v. §. 2.				' - 7
A scapula ad cubitum posteriorem. v. §. 3.				' - 5½
A scapula ad cubitum anteriorem. v. §. 2.				' - 5½
A vertice.	Ad Coxas. v. §. 2.		0'	0' 1.5½
	Ad funiculi posterioris insertionem. v. §. 3.		0'	0' 1.8
	Ad funiculi anterioris insertionem. v. §. 2.		0'	0' 1.9
	Ad humeros posteriores. v. §. 3.		'	' - 9
	Ad humeros anteriores. v. §. 2.		'	' - 8
	Ad flexum pedem extremum. v. §. 1.		0'	0' 1.10
	Ad pedum extensorum apices. v. §. 1.		0'	0' 2.4½
Abdominis posterioris. v. §. 3.				' - 7½
Abdominis anterioris. v. §. 2.				' - 8½
Pectoris posterioris. v. §. 3.				' - 4½
Pectoris anterioris. v. §. 2.				' - 4½
Colli. v. §. 2.				' - 1 - 4½
Capitis. v. §. 2.				' - 7

LONGITUDO ET DISTANTIA.

Distantia humerorum posteriorum. v. §. 3.			contiguii.
Distantia humerorum anteriorum. v. §. 2.			' - 4½
Coxarum. v. §. 2.		0'	1.1.
Pectoris posterioris. v. §. 3.		'	' - 6½
Pectoris anterioris. v. §. 2		'	' - 10
Capitum amborum. v. §. 2.		0'	1.1⅛

LATITUDO ET DISTANTIA.

i) Non molis augendae gratia hanc tabulam apposui. Quid inde didicerim brevibus exponam. Lati-

§.

Quae visa sunt incisione cutanea facta.

In rimam quae vertices & frontes separabat §. 2. cultrum tuli,

Latitudo capitum maxima erat inter reliquas, nec tamen adeo excessiva, ut proportionem totius laederet, verum potius harmonica, nam tantum paululum superabat latitudinem coxarum, ita ut illa ad hanc esset uti 105. ad 104. Quae proportio infanti satis naturalis videtur, nam exinde quod coxarum diameter fere aequalis sit diametro capitis, partum agripparum caeteris paribus aeque facilem judicant obstetrices ac ilium, qui fit cum capite praevio. Si itaque adolevisset noster biceps, utique ad partum proportionatus fuisset mutatis mutandis. Sed non tantum ad partum, verum etiam ad formam proportionatum fuisse ex nostra tabula patet. Inter varias diametros per partes capitis ductas maxima est, quae a vertice ad symphysin maxillae inferioris ducitur: nam si diameter in fetu perfecto ab una aure ad alteram sit aequalis $3\frac{1}{2}$. pollici, & ab osse frontis ad verticem $4\frac{3}{4}$. pollices aequet, diametrum inter verticem & dictam symphysin $5\frac{6}{10}$. pollices facit ex multiplici observatione. I. Burton *a new system of midwifery. London.* 1751. 8vo p. 4. 5. uti cum plurimi sequuntur. De proportione autem naturali capitis externa fetus perfecti, & de ratione ejus ad peluim matris differit egregie G. Keyselitz, *de partus Agripparum difficultatibus. Lipsi.* 1767. 4to §. 2. Ex his patet quod diameter ab aure ad alteram, seu latitudinis (dl.) ad diametrum a vertice ad maxillae inferioris symphysin, seu longitudinis (DL) uti 1. ad $1\frac{24}{40}$. vel dl: DL = 480: 768. In nostro autem bicipite diameter ab uno occipite ad alterum, ad diametrum a vertice ad symphysin maxillae inferioris est, uti $1\frac{35}{40}$. ad 1. vel dl: DL = 900: 480. Nam diameter latitudinis duorum capitum in ratione ponitur ad longitudinem simplicis. Quodsi autem dividas illam, tunc erit latissima diameter duplicis capitis divisa ad diametrum simplicis longitudinis uti 1. ad $1\frac{1}{17}$. seu $\frac{dl}{2}$: DL = 480: 512. adeoque longitudo maxima. Variatio autem proportionis a termino variato diametri pendet, nam ille ultra aures paululum extenditur quidem, sed de quolibet capite iterum pars quaedam quasi resecta judicanda adeoque $\frac{dl}{2}$ non perfectam dimidietatem duarum latitudinum dat. Ratio capitis ad totam longitudinem extensi bicipitis erat uti 14: 57. Pectoris longitudo ad totam longitudinem erat uti 9: 57. pectus enim exiguum est ut 2: 21. v. Haller, *Element. Physiol.*

tuli, & incisionem versus posteriora direxi k), apparuerunt tunc sequentia.

Cutis laxa facile discindebatur, sed quo capita separarem, per substantiam albicantem fortiorem resistentem, cultrum ducere debui. Hac discissa minime encephalon apparuit, sed a temporibus vera haec conjunctio capitum per malas ad os

Physiol. L. XXIX. S. IV. §. *XXXIX.* & *ibidem* in nota *a* ponit Cl. Buffon rationem pectoris ad reliquum corpus aestimare uti 2: 14. aut 3: 21.

Abdominis longitudo erat ad totum corpus uti 17: 57. Maximum ob volumen hepatis ad genu usque propendens: posterioris autem uti 15: 57.

Artus superiores celerius grandescere notat *Idem l. c.* §. *XLI.* In nostro casu fuerunt ad totam longitudinem uti 25: 57. Artus inferiores minorem habebant longitudinem, nam si subtraham ad minimum tres lineas a longitudine quam in tabula posui a coxis ad pedem extremum = $12\frac{1}{2}$. lineae, i. e. a summa altitudine marginis iliorum ad articulum circiter femoris, abinde erunt ad extremum pedem $9\frac{1}{2}$. lineae, eritque eorum ratio ad totam longitudinem, uti 19: 57.

Ex his patet abdomen fuisse vastissimum, dein caput, ultimum tenuisse locum pectus. Abdomen anterius longius, posterius brevius fuisse. Pectus anterius latius, posterius angustius, uti 80: 49. si utrumque comparaveris. Quare distantia anteriorum humerorum, posteriorum autem nulla, nam contigui erant. Haec volui proferre, reliqua L. B. aequo judicio judicabit minime disharmonica fuisse.

k) Diu haesitaverum, cum mihi oblatus fuisset hic fetus cum expressa conditione illum minime dissecandi, an fides habenda? an integrum redderem? Confiteor quod ideo externorum accuratiorem & prolixiorem descriptionem exaraverim, ut ex aliqua parte utilis esset ejus contemplatio. Vicit tamen discendi cupiditas, & mediam eligendo viam mihi & possessori hujus fetus consului; anterius integrum praeter abdominis imam regionem umbilicalem reliqui, quo oculis curiosis consulerem. Posterius autem eum dissecui, & post considerationem & exemtionem partium easdem non tantum reposui, sed etiam consutum nunc integratum reddidi. Monere id debui, ut L. B. mihi ignoscat, quod non omnium partium historiam potuerim describere. Maxime doleo, quod in mechanismum superiorum, & potissimum vasorum aëreorum non potuerim inquirere. Quae potui praestiti, & si morositatem aliorum, mollitiem & teneritatem partium non vicissem.

os continuabatur, quod tamen ſejunctum erat. Inter dictas partes vix aliud erat, quam membrana, nec carnis veſtigium ullum, ob mollitiem tamen & teneritatem in mechanismum hujus conjunctionis non licuit inquirere l). Cava narium vidi duplicia, ita ut ſimul quatuor eſſent. Apex naſorum ſimplex ſepto intermedio diviſus ſolito more, ut una apertura apicis reſponderet duobus cavis narium, alia aliis duobus m). De-

l) Hanc combinationem capitum minime fortuitam aut morboſam fuiſſe, nec coalitus nomen mereri §. 2. *not. f.* ex retractione capitum probavimus, niſi eandem velles naturalem dicere; nam cum is coalitus morboſus dicendus ſit, qui actionem laeſam comitem habet, *b.* HEBENSTREIT & G. C. SPRINGSFELD. *Diſſ. de partium coaleſcentia morboſa. Lipſ.* 1738. 4to. in noſtro autem bicipite nullam videam actionem laeſam, verum accurata contemplatio ſuadeat, hanc combinationem ad fines certos attingendos, adeoque ex inſtituto factam fuiſſe, naturalis omnino dicenda. Certo immobilitas conciliabatur utrique capiti, adeo ut motus a ſe & ad ſe invicem vix poſſibilis, idque ex hac combinatione; haec immobilitas neceſſaria erat, & maxime ſalutaris pro bicipite ſi adoleviſſet, ſub hac conformatione. Cum enim duobus naſis datus eſſet ſimplex apex, & communis ad aërem ducendum locus, nunc vigilans & dormiens tuto & libere aërem haurire potuiſſet; e contra ſi adeo propinqua attamen ſejuncta fuiſſent utraque capita, liberrimo utrisque conceſſo motu, ex mutuo duorum capitum acceſſu proximiore, potiſſimum tempore ſomni, metuenda facillima ſuffocatio fuiſſet, ſibimetipſis enim praecludendo viam per quam datur aëris acceſſus ad pulmones. Si vero nimium a ſe invicem capita potuiſſent deduci, niſi omnino diſtractio aut ruptura apicis naſorum timenda fuiſſet, neſcio an absque dolore tenſivo poſſibilis cogitari poſſit? Nonne ex his omnino concludendum, quod ſapienter haec combinatio inſtituta fuerit? a delineatione itaque ipſa adfuit. In eo me confirmabat magis, quod nullam carnem interpoſitam viderem, & ipſa ſubſtantia durior eſſet. Poterant tamen capita ſimul antrorſum & verſus poſteriora moveri; levem permittebat haec conformatio retractionem ſinguli ad ſuam ſpinam, ad contemplanda altiora cum oculis interioribus. Articulationem capitum cum vertebris non potui perſcrutari, id quod omnino doleo.

m) Uti autem ad apicis ſimplicis duorum naſorum conſtitutionem, optime quadrabat utriusque capitis combinatio *not. l.* & per hanc acquirebatur naſorum

Descendi nunc in locum colli depressum §. 3. & laxam cutim, qualis in fetu esse solet, facile separabilem, dissecui; dumque eam ad longitudinem dividerem, inveni eam interposito contextu celluloso raro ad subjacentes carnes revinci. Cum carnem nondum discissam contemplarer, vidi, quod colla & pectora quasi bina ad posteriora nostri bicipitis sibi ad lineam rectam contigua essent, linea superficiali intercedente, minime autem rotunditatem naturalem servarent, verum applanata essent. Profundius fila cellulosa dictas partes inter se firmiter jungebant.

Per humeros contiguos §. 3. minime secare potui, resistebat enim quid durum cultro.

Paulo inferius ad confinia abdominis omnia sic confluebant, ut vere unum abdomen vastissimum cerneretur, cum duplici pelvi ad latera posita. Cutis circa illud cum carnibus firmiorem nexum alebat. In eo loco ubi depressio cum stigmate §. 3. cutim caute dissecui, & inveni filum ab eo productum tenue, ad carnes tendens.

rum amborum ad se invicem accessus, ita vice versa optima harmonia erat inter apicem nasorum communem & conjunctionem utriusque capitis. Ad totam hanc conformationem facilitandam cava narium prope suos fines inferiores ad alterius lateris cava oblique accedebant, ut tandem interna nasorum latera, hoc est latus dextrae sinistrum & dextrum sinistrae puellae, sibi invicem contigua fierent. Huic contiguitati affigebatur apicis simplicis septum, dum pinni narium duo firmarentur ad latus utriusque nasi externum. An magis commode, servata commoda & justa amplitudine, quatuor pinni locati fuissent, cum adeo conjuncta essent bina capita? Anne per ampliorem aditum major copia aëris simul in pulmonem hauriri potuisset, quam per locum perangustum? Necessarium nolo dicere, nam nulla pars corporis necessaria est, verum ad hanc conformationem aptissimum fuisse hunc archetypum summae sapientiae, affirmo. Ubi deformitas? si vero vocabulum placet ad minimum eandem admirabilem optimo cum jure dicendam cum F. Licet. *de Monstris, Amstelod.* 1665. 4to *C.* I. esse quis non judicat? conformationem singularem potius dicendam, cum deformitas ideam imperfectionis sub se comprehendat. Perfectio autem corporis humani propria non in relatione ad alia, sed ex ipsa sua constitutione judicanda.

Funiculus umbilicalis anterior hic ibi tumidus, deinde tenuis, non plura quam tria loculamenta habebat, nempe duas arterias umbilicales, venam ſimplicem umbilicalem & urachum unum continebat.

6.

Quae viſa ſunt diſſectis carnibus.

ABDOMEN. HEPAR. LIEN.

Diſciſſis carnibus apparuit *Peritonaeum* undiquaque vaſtum abdomen cingens. Ad illud, dum aperiretur, multis productionibus celluloſis revinctum inveni *Hepar duplex* n) totum cavum abdominis propemodum replens, ex rubro flaveſcens o). Alterum erat majus, alterum minus, quorum illud anterius, hoc autem poſterius ponebatur.

Majus

n) Rariſſimam hanc fabricam monuit *v.* HALLER. *Deſcript. fet. bicip.* §. 4. *b.* „ Quaſi geminum vidit HOFMANNUS, E. N. C. *Dec.* I. *An.* IX. X. *Obſ.* IV. & „ quatuor lobos PARAEUS *L.* XXIV. RIOLAN. *de monſtro nato Lutet.* ZOD. MED. „ GALL. *Ann.* I. *M. Aug. Obſ.* IX. Sed duo hepata diſtincta obſervationes tres „ habent, neque eae optimae. CAELII RHODIGINI. *Antiqu. Lect. L.* XXIV. apud „ SCHENCK. E. N. C. *Dec.* II. *Ann.* X. *Obſ.* 33. *Acta Vratislav. Verſuch.* XXIV. „ *p.* 459. & in alia claſſe HEYLAND *de monſtro Haſſiaco*, „ cujus deſcriptio quoque extat in *appendice ad* F. LICET. G. BLASII *l. c. p.* 311. Fateor quod his perfectis non fiderem oculis meis, quare denuo partes luſtravi, ſed veſicula fellea appenſa, diſtinctio in lobos, inſertio funiculi & fili marcidi §. 3. 5. figura, color, ductus tandem venoſus cujuslibet, ſatis me confirmarunt omnino duo vera hepata adeſſe, quorum alterum anterius, alterum poſterius erat. Lego in puellis a pectoris parte ſuperiore ad umbilicum usque connatis, hepata arcte tamen inter ſe adhaerentia, adfuiſſe. CL. DU MONCEAU, *Journal de medicine par Mr.* A. ROUX *Tom.* XXVIII. *a Paris* 1768. 8vo. *M. Juin. Obſ.* 3. *p.* 522. *ſqq.* vid. *Comment. de rebus in ſcient. natur. et medic. geſtis Vol.* XVIII. *P.* II. p. 219. *Lipſ.* 1772. 8vo.

o) Trimeſtri fetui hepar album G. HARVEI, *Exerc. de Generat. animal. Amſtel.* 1651. 12mo. *p.* 236. molle & pene mucoſum primis menſibus *v.* HALLER *Elem. Phyſ. T.* VIII. *L.* XXIX. S. IV. §. XL. *p.* 365. Cum itaque color in noſtro

jam

Majus et anterius hepar p) in duos lobos majores diviſum, cum appenſa *veſicula fellea*, non tantum omnem abdominis anteriorem faciem, quae interius cernebatur, occupabat, verum etiam poſteriora verſus continuabatur ita, ut ſupra mediam poſticae faciei partem protenderetur. Surſum ad diaphragma peritonaeo cinctum attingebat; inferius autem tantum ſpatium $1\frac{1}{2}$. lineae pro inteſtinorum portione relinquebat. Hinc nil apparenter in abdomine quam hepar. Forma naturalis, diviſio itidem, praeter quod lobulum ſic dictum minimum, ſeu tertium diſtinguere non potuerim. Subſtantia adhuc mollis. Ad hoc hepar anterius tendebat vena funiculi umbilicalis §. 5. ab ima abdominis anteriore ora ſurgens §. 2.

jam flaveſcens fuerit, inde concludere poſſem noſtrum bicipitem ad minimum tertium menſem expleviſſe, multum tamen hunc terminum non ſuperaſſe, uti infra patebit. Bina haec hepata omnino abdomen admodum turgidum reddiderunt *v.* §. 4. *not. i.* notum enim eſt, quod abdomen fetus etiam eminus ſit amplius et prominulum, ſi cum pectore comparetur, idque ab hepate. *Idem l. c. p.* 364. erat autem abdomen ad pectus in noſtro bicipite uti 442: 180.

p) Admodum deformem magnitudinem habebat, ut ad illa optime referri poſſet, quae ſub nomine hepatum monſtroſorum veniunt: nec mirum, cum in omni fetu hepar ſit maximum, ob ſanguinem ex placenta ad hepar venientem, ejusque vaſa extendentem. Quod cum explicet *v.* HALLER *l. c. et L. XXIII. p.* 482. *et* 485. ſequentem rationem tradit „ Vena umbilicalis = 729. Vena portarum „ = 400. ductus venoſus = 121. ergo pars ſanguinis umbilicalis per hepar diſtri- „ buta = $\frac{608}{729}$. quae tota moles hepati adulto decedit: & totus ſanguis hepaticus „ eſt = 1008. de quo in adulto decedunt 608. „ His nunc poſitis, cum per noſtrum hepar anterius, poſt deſtructum aut abruptum funiculum umbilicalem poſteriorem §. 3. *not. b.* ſimul quantitas ſanguinis deberet inferri, quae ad alterius puellae (ut ita dicam) nutritionem & incrementum neceſſaria erat, omnino ratio longe major ponenda, immo fere duplicanda erit, nam ſiniſtri corporis partes, ad quas nullus amplius ſanguis de placenta per ſuum hepar accedebat, aeque bene formatae, ejusdemque magnitudinis ac dextrae erant. Quare credo poſt hanc factam mutationem, & derivationem ſanguinis placentae ad hepar anterius directam, hoc tantam ingentem magnitudinem acquiſiviſſe, decreſcente altero. Erat autem ratio magnitudinis anterioris, ad poſterioris hepatis volumen fere uti 7. ad 2.

naturali facta inſertione in ſuam foſſam, terminabatur more conſueto. Emergebat ex hepate *ductus venoſus unus*, quod hic noto ad abſoluendam hiſtoriam hepatis.

Minus et poſterius hepar q) pariter in duos lobos dividebatur, reliquam abdominalis cavi faciem poſteriorem replebat, cum *veſicula fellea* appenſa, majus tamen inferius ſpatium relin-

q) Minus mihi videbatur, partim quoniam anterius tantum ſpatium occupabat, partim autem, quoniam ipſi decedebat illa enormis quantitas ſanguinis, ex placenta olim aduenientis per venam umbilicalem nunc excaecatam. Quare cum ex inanitione vaſorum olim admodum extenſorum, lumina vaſorum hepaticorum venoſorum ab umbilicali ſanguine repletorum minuerentur, omnino ex volumine minuto ſingulorum, minutio totius neceſſario oriebatur. Sive nunc dicas minui ramos, quos ſparſerit vena umbilicalis intra hepar cum *v.* HALLER *I. c. Deſcript. fet. bicip. §. V. b. p. 8. Comment. in* H. BOERHAAVE *Praelect. Vol. III. §. CCCXLI. not. k. Icon. Anatom. Faſc. I. Gotting.* 1743. *fol. Icon. II. Oment. not. b. Prim. lin. Phyſiol. Gotting.* 1765. 8vo. §. *DCXCIV.* & aliis, qui ideo etiam ductum venoſum ramum venae umbilicalis eſſe contendunt, reliquos autem ſingulos aequiparant capacitati venae portarum. Sive cum aliis hos ramos potius venae portae tribuas, & receptacula communis ſanguinis umbilicalis & venae portarum dicas, cum *b.* C. I. TREW, *de differentiis hominis nati et non nati, cujus germanicam verſionem tantum poſſideo Norimberg.* 1770. 4to *p. 68. III.* & ductum venoſum in relatione ad hepar officio abducentis vaſis ſimul fungi cum *b.* HEBENSTREIT. *Anatom. homin. recens nat. repetit. Lipſ.* 1738. 4to *p. 7.* ſtatuas. In utroque caſu verum erit, vena umbilicali abrupta, vaſa hepatica venoſa lumine ſuo minui. Ipſe *Ill. v.* HALLER dicit, poſtmodum ramos venae umbilicalis repleri a vena portarum, quid impedit dicere, hos ramos venae portarum olim ſanguine umbilicali ſimul fuiſſe repletos? Attamen id unum praeterire non poſſum, quod deinde major fiat vena portarum, adeoque etiam decrementum vaſorum hepatis non poſſit in ratione exacta decedentis ſanguinis venae umbilicalis poni. Fit autem vena portae major ob ſanguinem in coeliaca & meſaraica vaſa copioſiorem irruentem, & ad eam revertentem naturali modo. Ratio itaque luminum vaſorum venoſorum hepaticorum, ſyſtematis portarum, poſt partum ponenda, in illo deceſſu ſanguinis placentae, & acceſſu coeliaci & meſaraici novo. His de cauſis minutum fuiſſe hepar poſterius credo, & deinde potius in incremento naturali, quale poſt partum eſſe ſolet, augmentum cepiſſe: copioſiorem autem ſanguinem, ratione habenda habita, per ſyſtema venae portae proprium motum fuiſſe.

relinquebat inteſtinis ad inferiora poſitis, ut plus quam duas lineas aequaret; nec ſuperius adeo ſeptum reprimebat, quod eſt abdomen inter & pectus, quam quidem anterius hepar. Forma itidem naturalis, ita ut ſua convexa ſuperficie parietes abdominales, ſua concavitate autem cavum abdominis & inteſtina ſuppoſita, reſpiceret. Suſcipiebat filum r) §. 5. ubi vena umbilicalis inferi ſolet. Emergebat ex eo *ductus venoſus* longe minor ſua diametro, quam ille, qui ex majore & anteriore hepate ſurgebat, marceſcens, cum nunc utilitate ſua maxime deſtitueretur.

Lienem nullum vidi s).

7.

Quae viſa ſunt remotis hepatibus.

OESOPHAGI. VENTRICULI. INTESTINORUM CANALES. PANCREATA. MESENTERIUM.

Re-

r) Ex toto hoc decurſu recte concludo, hoc filum quondam venam umbilicalem fuiſſe jamdiu abruptam aut excaecatam: nam cum ab ima abdominis ora poſteriore §. 3. aſcenderet, per carnes autem §. 5. & peritonaeum ad hepar poſterius ductum, huic more venae dictae conſueto inſereretur, omnem curſum venae umbilicalis explendo, eandem olim fuiſſe merito judico.

s) Lien minor & rubicundior eſt in fetu quam hepar *v.* HALLER *l. c. L. XXIX. p.* 366. *et L. XXI. p.* 394. duo, tres lienes uti apud FALLOPIUM paſſim reperti ſunt, potiſſimum in hujus claſſis bicipitibus. v. IDEM *Deſcript. fet. bicipit.* §. *V. p.* 10. 11. KULM. *l. c. p.* 10. §. 14. *Fig.* 3. *zz.* Deſtituti liene leguntur apud ARISTOTEL. *de Generat. animal.* L. *IV. C.* 4. *p.* 246. *Tom. III. Phyſ. edit. latin. Frf.* 1593. 8vo; plura exempla habet TH. BARTHOLIN. *Anatom. quartum renovat.* L. B. 1673. 8vo. *p.* 155. *a* KERKRINGIO *ſpicileg. anatom. Obſ. XI. p.* 31. deſcriptos fetus liene deſtitutos, pro non adeo confirmatis cenſet C. L. ROLOFF *de fabrica et functione lienis. Frf. ad Viadr.* 1750. 4to. *p.* 4. *l.* Varia praeterea citantur a S. T. QUELMALZ *de Liene. Lipſ.* 1748. 4to. §. 6. & in *v.* HALLER *Phyſ. Elem.* L. *XXI.* Miratus admodum ſum, quod ego nullum in noſtro bicipite invenirem, & niſi notas manifeſtiſſimas poſterioris hepatis inveniſſem v. *not. n.* hanc rariſſi-

Remoto hepate duplici §. 6. ventre nunc denuo inſpecto *nullum Omentum* t) apparuit. Inter concavitates hepatum autem ponebantur verſus ſe invicem *ventriculi duo* u), parum a ſe diſtantes, quorum ſitus fere perpendicularis erat, ſiniſter tamen aliquam obliquitatem ſervabat. Ad quemlibet deſcendebat *oeſophagus*, *duplex* hinc viſus. A quolibet autem continuabantur inteſtina, ut a ventriculo ad anum usque ſua cuilibet puellae, & duplicia convoluta eſſent. Subjiciebantur duobus ventriculis *duo pancreata*, cuilibet ſuum.

Meſenterium ſimplex v), latum, egregiis arcubus ornatum, validum, utrumque inteſtinorum canalem nectebat.

8. *Quae*

rariſſimam conformationem vix credidiſſem. Lienis vicinitatem cum ventriculo non abſolute ad vitam requiri, legi in *ejusd. deſcript. cit. l. c.* porro notum eſt eundem ex animalibus ſine ſummo vitae periculo exſcindi poſſe, eademque vitam degere non maxime incommodam. An lieni ſimilis, excepta ſecretione bilis, functio cum hepate? Certo in noſtro bicipite hepar duplex lienis defectum reſarciviſſe videtur. Poteſt adeo homo formari cum vita perfecta, absque liene, verum inde non concludo ad inutilitatem lienis.

t) Cum omentum quarto demum menſe incipiat apparere HARVEJ. *l. c. p.* 237. v. HALLER. *Phyſiolog. Elem.* L. *XXIX. p.* 366. hunc terminum nondum attigiſſe noſtrum bicipitem, & trimeſtrem tantum fuiſſe, aut primis ſaltem diebus quarti menſis vivere deſiiſſe, confirmato magis animo dico. v. §. 1. *b.* §. 6. *o.*

u) Duos plerumque ventriculos habent bicipites. Ita autem binos poſitos inveni, ut cardiae utraeque eſſent ad ſe invicem locatae, pylorus autem quilibet verſus ſuum hepar reſpiceret. Hinc commodiſſima in ſubſequens inteſtinum duodenum inſertio ductus pancreatici & cholidochi communis.

v) Rariſſimam hanc fabricam admodum miratus ſum, verum optaſſem, ut paulo maturior fetus fuiſſet, quo in ipſam ejus compoſitionem potuiſſem inquirere. Ut autem omnia, quae de ea obſervavi, facilius intelligi poſſint, hoc addere neceſſarium mihi videbatur. Inteſtina dextrae puellae ab hepate anteriore exceſſivae magnitudinis urgebantur ſiniſtrorſum, dum ſiniſtrae puellae inteſtina a ſuo hepate licet non adeo magno, tamen multo majore, quam quidem volumen lienis fuiſſet,

ſimul

8.

Quae visa in abdomine posticо & imo.

RENES. URETERES. PELVES. VESICAE. UTERI. VAGINAE. VASA MAXIMA.

His omnibus remotis §. 6. 7. faciem abdominis posteriorem, in nostro autem bicipite lateralem, lumbos nempe duplices, lustravi. Inveni ad spinam quamlibet *Renes succenturiatos* seu *capsulas adiposas*, & *Renes veros* duos, simul *quatuor*, magnos,

simul dextrorsum pellerentur. Inde nata vicinia utriusque intestinorum, potissimum tenuium, convoluti, & aptitudo, quin unum mesenterium eadem conjungeret. An ex hac vicinia patet, quod aptissimum, & humano more dicendi necessarium fuerit, duo convoluta intestinorum simplici mesenterio annectere? ita mihi videtur: nam licet cum tempore causae hae, intestina in angustius spatium cogentes cessassent, tamen cum de die in diem ipsa magis explicata fuissent, eandem fere rationem viciniae ad se invicem habuissent, dum simul pristinis minutis alia iterum augerentur, quam quidem hoc tempore, quo contemplari haec contigit. Videbatur originem suam solam trahere a spina peritonaeo obducta dextrae puellae, nam ad sinistram rarum tantum contextum cellulosum vidi. Arcus vidi pro ratione hujus aetatis validissimos.

Quod si meam sententiam de usu hujus mesenterii simplicis dicere debeam, non satis mirari possum optimam & sapientissimam harmoniam. Videbatur mihi commoda admodum distributio sanguinis in nostro seu fere hanc conformationem requisivisse. Hac autem ipsa postmodum factum est, ut cum arteriae umbilicales sinistrae puellae, seu posteriores, post abruptum funiculum umbilicalem posteriorem collapsae essent, sanguinis major copia per idem circularet. Lex enim posita est, ne extremae partes inferiores tanta copia sanguinis extendantur, nec incremento nimis cito proportionem justam & illam peregregiam symmetriam cum damno aliarum partium laedant, ut derivatione sanguinis ad placentam per arterias umbilicales facta, vasa magis inferiora a metuenda extensione liberentur, cum vis maxima in dictas arterias impingeret. Sed postquam huic obstaculo invincibilia opponerentur ab exacecatis arteriis umbilicalibus, & a vasis inferioribus arctioribus & difficilius adhuc explicabilibus, ea ad vasa coeliaca & mesaraica utpote liberiora & proxima delata est, quorum rami nunc lumine aucti magis conspicui facti, ar-

magnos, uti ſolent eſſe in fetu. A quolibet rene continuabatur ureter, ut numerarentur *ureteres quatuor*. Hi deſcendebant ad *Pelvim duplicem*, bini ad ſingulam a latere conſtitutam, ſupra cujus anteriorem partem, nunc ad abdomen praegrande propendens directam, eminebat *Veſica urinaria duplex*, ad quamlibet pelvim una, oblonga, vacua w). Harum quaelibet ſuſcipiebat duos ureteres ſolito modo. In dextra a fundo urachum continebant binae arteriae umbilicales ad funiculum anteriorem umbilicalem §. 5. tendentes. Siniſtra emittebat filum marcidum, ab aliis duobus filis marcidis comitatum, haec arterias umbilicales, illud urachum cenſeo, properabant ad ſtigma §. 3. ſeu funiculum umbilicalem poſteriorem.

Uteri duo, exigui, extra pelvim longe emergentes, cum annexis partibus, & *Vagina duplex*.

Vena

cus illos validiores exprimebant. Ex arteriis nunc ad ſyſtema venoſum delatus copioſior ſanguis idem expandebat, cumque illud radices ſpargat ſyſtematis portarum F. A. WALTHER. *de vena portae Exercitat. altera. Lipſ.* 1740. 4to., hoc itidem auctum a recepto copioſiore ſanguine, ſanguinem dictum hepati tradebat, inde per ſuas vias redibat ad cor. Poterat tamen per leges anaſtomoſium, ob vim nunc maximam per inferiora dextrae puellae, portio ſanguinis ad anteriora deferri, & per hepar maximum circulare. Sic reſtituebatur aequilibrium circulationis, quod inſequebatur aequale utriusque puellae incrementum. Anne ad majorem dilatabilitatem vaſorum per meſenterium currentium, accedente vi impellente, faciebat fotus exhalantium in eo vaſorum copioſiſſimus?

Nunc quidem non affirmo, hanc totam conformationem ad ideam morbi inſecuturi factam fuiſſe, ſed ſimul cum ea aptitudinem conjunctam fuiſſe, ut ſanguinis circulatio ab accidentibus turbata, potuiſſet per novas vias attamen ordinarias continuari, priſtinis licet viis deſtructis, ſervata vita etiam commoda. In quolibet enim homine apparet, Deum optimum ita quemlibet hominem conformaſſe, ut plures poſſit injurias perferre, nec illico vita nec ejus commoditas ſemper laedatur. An etiam hoc mechanismo lienis abſentia ex parte reſarcita fuit?

w) Urinam ſubinde continet; alias nullam ut certo vidi. γ. HALLER. *Elem. Phyſ. L. XXIX. S. IV. §. XL. p.* 368.

Vena cava inferior, & *Aorta descendens*, in qualibet spina apparuerunt, donec per diaphragma transeuntes, limites abdominis desererent.

9.

Quae visa in pectore a posterioribus aperto. x)

MEDIASTINA. THYMI. DIAPHRAGMA.

Cultrum nunc per humeros contiguos duxi §. 3. & per conjunctionem inter summas scapularum apices resistentem, §. 5. transegi. Occurrebat firma admodum tela cellulosa, ratione hujus aetatis habita, carnes intercedens, sese decussans, ligamentosam dixisses. *Mediastina tria*, alterum *posterius*, alterum *dextrum*, tertium denique *anterius & sinistrum*. Superius glandula *Thymus duplex*. Inferius *Diaphragma unum*, latum, fornicatum, in medio inter spinas angustatum, suis cruribus duplicatis duplici spinae affixum y), inter quorum divaricationes aortae iter capiebant: duplici foramine pertusum a latere pro transitu venae cavae, ita ut dextra per dextrum, sinistra per sinistrum foramen intraret pectoris cavum. In medio inter spinas autem, foramen denuo duplex, prope se invicem formatum erat, pro transmittendo duplice oesophago ad suum ventriculum.

10.

x) Quoniam partes secundum eum ordinem describo, uti sese mihi obtulerunt, hinc ipsum cavum pectoris non prius lustrare potui, quam exemtis demum visceribus in eo contentis. Quare ejusdem accuratiorem descriptionem inferius §. 13. dabo.

y) Fabricam hanc satis communem licet non constantem observat *Idem Descript. c.* §. *VI. a.* simul autem notat etiam variationes, *b.* Quatuor habet KULMUS *l. c. p.* 11. *T. III. F. IX. g. g.* duas ad quamlibet spinam, uti nostro, quatuor ad singulam, simul octo appendices.

10.

Quae visa discissis mediastinis.

PULMONES. PERICARDIUM.

Post aperturam mediastinorum factam, remotis ex postico oesophagis, apparuerunt *Pulmones*. Erant autem *Pulmonum tres lobi*, separati, magnitudine diversi. Ille, qui dextrum locum occupabat, praeter vasa connexa, a reliquis separabatur; maximus erat, variis incisionibus distinctus, omne spatium pectoris dextrum replens, adeoque *dexter* lobus pulmonalis vocandus. Qui anterius & sinistrorsum cernebatur, ex parte exigua sinistrum spatium occupabat, minor priore, major tertio, *sinister & anterior* lobus pulmonalis dicendus. *Posterior* inter utrumque ponebatur intermedius, magis versus posteriora directus, minimus, a sinistro separabatur, per lamellam cellulosam teneram mediastini postici, sed adeo brevem, ut tantum maxime posticam partem attingeret, licet reliqua ejus portio liberrima esset. Substantia alba, densa, non omne spatium replebat.

Anterius, postquam mediastina & pulmones quodammodo retracti fuissent, mediastino autem anteriore & sinistro dissecto, apparuit magnum illud cordis velamentum, quod *Pericardium* dicitur. Formam & nexum habebat naturalem, situm autem magis perpendicularem z) servabat, spatium omne pectoris sinistrum replebat, praeter paruam portionem lobi sinistri & anterioris lobi pulmonalis in eodem locatam, regioni tamen pectoris fere mediae anterius affigebatur. Mucro hinc fere perpendiculariter, cum aliqua tamen obliquitate insistebat septo transverso. Ad hoc peramplum cordis velamentum tendebant vasa maxima sanguifera, & apponebantur thymi. §. 9.

11.

z) Perpendicularem notat v. HALLER. *l. c.* §. *IX. Fig. IV. A.* Similem censeo situm dissecti *c. c.* apud KULMUM *l. c. Tab. II. Fig. III.* In utroque casu mucro medio diaphragmati insistit. In nostro non multum ab hac norma declinavit. Pendet autem situs pericardii a situ cordis ipsius, cujus est pallium.

11.

Quae vasa maxima ad Pericardium tendebant. aa)

Vasa sanguinea maxima ita ad Pericardium ferebantur, ut Vena cava inferior dextra anterius & a latere dextro ab eo reconderetur, dum sinistra similis de diaphragmate emergens dextrorsum flexa, posterius magis in illud susciperetur. Venae pulmonales tres a dextris transversim non procul a se positae ad illius oram dextram tendebant, dum simul proxime ad has duae venae cavae superiores a superiore pericardii parte reconderentur. Sinistre & anterius, uti quoque ex parte dextra superiore, arteriae ad superiora tendentes, inferius magis & ad latus utrumque aortae descendentes emergebant. Dextrorsum & antrorsum egrediebantur tres arteriae pulmonales.

12.

Quae visa dissecto Pericardio.

Cor. Auriculae. Ventriculi. Arteriae.

Dissecto nunc Pericardio a posteriore parte, post effluxum sat copiosae lymphae turbidae, quae *aqua pericardii* sic dicta fuit, in conspectum venit *cor unum*, rubellum, satis magnum, conicum, ad perpendiculum fere positum, tamen sua basi latissima dextrorsum inclinans, apex admodum obtusus erat. In eo *Auricula una* bb) maxima, transversim & dextror-

 sum

aa) Haec omnia describo qualia vidi, antequam Pericardium dissecarem, accuratiorem autem vasorum ortum & cursum, quatenus eum distinguere & observare licuit, mox §. sequente tradam.

bb) Auricula frequenter una, & satis consueta conformatio in iis hujus classis, quibus duo cordis ventriculi, v. Haller *l. c.* §. *XVI. a. XVII. a. p.* 38. Dantur tamen tres ventriculi cum tribus auribus, & quatuor cum totidem auriculis Kulmus *l. c.* §. 19. *p.* 13. Videtur itaque numerus auricularum correspondere numero ventriculorum in partubus duplicatis, ad duos autem ventriculos unam positam auriculam sufficere.

ſum fere ad lineam horizontalem poſita, ſi ea a baſi cordis ducatur. Ampla admodum, ut primo intuitu cor novum appenſum videretur. Anterius magis locabatur. In eam recipiebantur venae §. 11. dictae, hac ſcilicet ratione. Prope ſe, fere ad perpendiculum influebant duae venae cavae ſuperiores, in faciem auriculae ſuperiorem: ad marginem ejus dextrum verſus pulmones ſitum tendebant venae tres pulmonales: facies ſiniſtra poſterior verſus baſin cordis reperiunda, venam cavam ſiniſtram ſuſcipiebat: in faciem autem magis inferiorem anterius inſerebatur vena cava inferior dextra, ſimiliter ut antecedens oblique. Margo auriculae ſiniſter cum baſi cordis carnei confluebat ſic, ut cum ventriculo anterius & dextrorſum poſito latior nexus eſſet, quam cum altero. Cum eam diſcinderem, patuit ex eadem via duplex, absque ſepto intermedio (quare etiam non dabatur foramen ovale) ad cava cordis duplicia: ea quae ad ventriculum anteriorem ſeu dextrum ducebat, recta erat; is vero aditus, qui ad poſteriorem ſeu ſiniſtrum ventriculum ſpectabat, obliquum concedebat transeunti iter. Fabrica auriculae videbatur naturalis.

Ventriculos duos adfuiſſe diximus: alius erat anterior, alius poſterior, & cum magis perpendicularem ſitum cor haberet, dexter & ſiniſter majore cum jure quoque dici potuiſſet, quam in aliis. Eorum ut & valvularum & forma & fabrica naturalis fuit, niſi ut quilibet appendicem haberet robuſtam carneam, ad ortum arteriarum acuminatam, ad oſtium autem verſus ipſum cor reſpiciens latiorem, fere triangularem, ex qua arteriae cuilibet ventriculo propriae exoriebantur. Cava haec bina ſibi fere aequalia erant ſua capacitate, eminebat autem cum ſua appendice carnea ſiniſter ventriculus prae dextro. cc)

Robur

cc) Cor dextrum, uti aeque longum, ita non magno diſcrimine minus robuſtum quam ſiniſtrum. A. SPIEGEL, *de format. fet. p.* 24. uterque ventriculus paris magnitudinis & craſſitiei. HARVEI *l. c. p.* 235. in trimeſtri & quadrimeſtri fetu. v. HALLER, *Icon. Anat. faſc. IV. T. I. foram. oval. Fig. VI. not.* 13. *p.* 12. pene aequales

Robur quoque aequale viſum in utrisque dd). Ex appendice ventriculi anterioris, ſeu dextri emergebant binae Arteriae ad pulmones, diſtinctae, quae ad ſuam originem ſolitis valvulis, cuilibet propriis, muniebantur, uti quae ex appendice ventriculi poſterioris, ſive ſiniſtri, oriebantur duae ſeparatae Aortae, quod diſſectis his appendicibus patuit.

Arteria pulmonalis itaque *duplex* dextra & ſiniſtra, ita diſpergebatur, ut utrique ſua eſſet capacitas, via, & finis diverſus. Quae dextra erat, maxima, longe aortam dextram diametro ſuperabat. ee) Poſt factam conjunctionem cum Aorta dextra, ope ductus arterioſi ampliſſimi, dabat ramum nunc arctior facta, pro trunco lobo pulmonali intermedio minimo §. 10. cum ſua continuatione autem finiebatur ipſa in lobo pulmonali maximo dextro. Quae vero ſiniſtra, exilis, ſine nexu cum Aorta, ad ſolum lobum pulmonalem ſiniſtrum currebat, in quo terminabatur.

Arteriae Aortae duplices, itidem dextra & ſiniſtra. Quae tendebat ad ſiniſtram ſpinam, quam ſiniſtram Aortam dico, diametro major erat, poſt emiſſum, prope ſuam originem, dummodo de appendice mox deſcripta emergeret, magnum ramum,

aequales in tenero fetu. J. B. SENAC *Traité du Coeur. Paris* 1749. 4*to p.* 227. Siniſtrum ventriculum ampliorem vidit in fetu 5. & 7. menſium. J. F. MECKEL. *Memoir. de Berlin. T. XII. p.* 56. quod tamen nunquam in humano fetu vidit, uti teſtatur, qui eum citat, v. HALLER *Elem. Phyſ. L. XXIX. S. IV.* §. *XLIV. p.* 374.

dd) Aeque valentem notavit, IDEM. *l. c.* quo uniantur vires cordis ad circulationem, quae per vaſa diverſa fit.

ee) Exactam rationem reddere non poſſum. Aortam autem ad Pulmonalem arteriam = 441 : 625. nonnunquam eſſe, & admodum variare pro diverſo tempore & aetate fetus notum eſt. Rationem quam habet, poſt varios calculos ponit uti 5 : 6, & poſt conjunctionem factam per ductum arterioſum illius lumen ad pulmonalis eſſe uti $4\frac{1}{2}$: 4. adeoque pulmonalem longe arctiorem fieri, IDEM *Icon. Anat. l. c. p.* 11. *not.* 12.

ramum, quem arteriam coronariam cordis vocant, mox transverſim ad horizontem currebat ad ſuam ſpinam. Ex hac transverſa Aorta ſiniſtra naſcebantur duo trunci vaſorum ſuperiorum ad ſiniſtram puellam pertinentium, ex ejus autem facie poſteriore tendebat ramus transverſim ad poſteriora, qui erat arteria ſcapularis aut axillaris ſiniſtrae puellae dextra aut poſterior: poſſes utrumque conjungere & in genere nominare arteriam ſcapularem aut axillarem poſteriorem dextram. Poſtmodum deſcendebat uti ſolet ad ſpinae ſiniſtrae tractum, ſub nomine Aortae deſcendentis ſiniſtrae.

Aorta autem dextra, quae ad ſpinam dextram currebat, minus ampla, nulla edita coronaria aſcendebat & flectebatur: ex hoc aſcenſu & incipiente flexura naſcebantur duo trunci vaſorum ſuperiorum dextrae puellae, nam ſcapularis ſeu axillaris poſterior ſiniſtra oriebatur breviſſima, ex aorta dextra jam deſcendente, ejusque facie poſtica, transverſim tendendo ſuam ſcapulam mox attingebat. Poſt factam autem conjunctionem cum arteria pulmonali maxima dextra, deſcendebat nunc lumine aucto ff) ad ſpinae longitudinem. gg).

13. *Quae*

ff) Aorta cum ductu arterioſo eſt ad truncum ex corde uti 43: 39. IDEM *Elem. Phyſ. l. c. §. XLVIII. p.* 383.

gg) Quo omnia in unum congeram locum, hic de harmonica fabrica cordis & vaſorum, nec non de uſu harum partium pauca addam. Ne tamen L. B. confundere videar, ad quaedam argumenta omnem meam contemplationem reduxi.

1. *Situs cordis & vaſorum maximorum in noſtro bicipite ſapienter & non absque fine factus eſt.* Situs cordis naturalis maxime conſuetus, uti notum, eſt is, cum planum inclinatum fere referat, ut coni baſis altius & verſus anteriora & poſteriora dextrorſum, apex autem, quem obtuſum diximus, magis inferius & ſiniſtrorſum verſus diaphragma locetur. Hac ratione videtur optima diſtantia originis & finis vaſorum obſervari, quae neceſſaria, ſi vis cordis ſanguini impreſſa, ſuum effectum in vaſcula minora & minima continuare & praeſtare debet, habita ratione vaſorum & humorum diverſorum, diverſum. Haec omnia autem ad Phyſiologiam generalem

lem pertinent. In fetubus bicipitibus ad pectora connatis, quibus cor unicum, ſitus ejus perpendicularis obſervatus eſt. Id. *Deſcript. fet. l. c. Fig. V. A.* Kulmus *l. c. T. II. Fig. III. d.*: ſic enim in medio conſtitutum, aequali non tantum vi, ſed etiam diſtantia, duplici quaſi corpori ſanguinem tradere potuit. Cum autem in noſtro bicipite cordi relinqueretur tota ſiniſtra portio pectoralis cavi, pericardio affixo ad ſternum potiſſimum ſiniſtrum §. 10. 13. pulmonibus dextram replentibus, omnino magis commode cor locabatur ſervata aliqua obliquitate, quam ſi perpendiculariter cum ſuo apice diaphragmati inſtitiſſet. Baſis per hanc inclinationem verſus dextra aliquantulum directa, ab utraque ſpina aequalem fere diſtantiam ortui maximorum vaſorum conciliabat. Sic ſervatum aequilibrium, ſervata quoque ſanitas fuit. Nec ſine fine Auriculae deſignatus eſt ſitus transverſus, fere horizontalis ad dextra, ut per ſingula eam. Ponamus enim, hunc ſaccum perampium, omnem ſanguinem venoſum excipientem, in loco altiore magisque erecto poſitum fuiſſe, proportione reliquorum ſervanda ſervata, nec ſpatium ſuffeciſſet, & preſſio in oſtia ventriculorum ſuppoſita ſanguinis auricularis nimia, & venarum inferiorum inanitio difficilis, niſi plane impoſſibilis fuiſſet. Ad latus autem dextrum reflexa, plurimis venis magis vicina erat, ſi cavam inferiorem ſiniſtram excipias, quae tamen ipſi flexura facta §. 11. itidem facilius appropinquabat, quam ſi auriculae ſitus alius fuiſſet. Cor ſuis appendicibus elongatum, commode ſuas arterias duplices diſtinctas emittebat, harum tamen originem ſimilem, absque hac compoſitione, viderunt Obſervatores. Per elongationem potiſſimum ventriculi poſterioris ſeu ſiniſtri efferebantur origines Aortarum, hae autem hac ſua elatione finibus ſuis maxime appropinquabant. Continuatio itaque facilis vis cordis per Aortas, ſed aeque facilis per arterias pulmonales, potiſſimum dextram ex ſimili elongatione ventriculi anterioris ſeu dextri. Situs quoque vaſorum cordi proximorum notari meretur. Aorta ſiniſtra mox cum egreſſa ex corde eſſet, transverſim flectitur ſiniſtrorſum poſt emiſſam coronariam cordis, cumque horizontalis propemodum continuaretur, ex hoc transverſo decurſu trunci vaſorum ſuperiorum ſiniſtrorum emittuntur, qui optime ſanguine peripherico ſuae aortae imbuti, non poterant omnem vim ejusdem cruoris excipere, ſed reſtabat abundans copia, ſufficiens ad proſpiciendum omnibus vaſis, quibus proſpicere ſuum officium erat, quae vi cordis maxima continuo promovebatur, accedentibus adjumentis motus conſuetis, per ſuum ſyſtema & vaſa inde continuata, ad extrema usque. Nullus ejus nexus cum pulmonali arteria, quae alias cum ſuo ſanguine continuat circulationem per Aortae inferius ſyſtema. Hac autem ratione mechanismus ſimplex reſarciebat mechanismum compoſitum. Aorta autem dextra aſcendens ſimiles truncos, ex ipſo ſuo aſcenſu, vaſorum ſuperiorum, qui excipiebant ſanguinem aortae vi cor-

dis maxima impraegnatum, & non tantum periphericum, verum etiam illum, qui in axi conſtituebatur: Sic autem ſuam aortam exhauriebant, ut ejus truncus in arcum porro flexus, non niſi paruam portionem ſanguinis ex ventriculo poſteriore ſeu ſiniſtro accepti, promoveret. Similitudinem decurſus, ortus vaſorum ſuperiorum, & nexus cum pulmonali hujus aortae invenio in *v.* HALLER *Ic. Anat. Faſc. IV. T. I. foram. oval. Fig. VI. S. V. X. Y.* Haec de ſitu. An in eo caſus? Ubinam harmonia laeſa? Quae deformitas? Quid horrendum? Omnia Tua opera Domine ſapienter facta ſunt!

II. Numerus & ratio cordis, ejus partium & vaſorum, horumque diſtributio & anaſtomoſes, in noſtro bicipite, optimam, egregiam harmoniam oſtendunt, & Artificem ſummum ſapientem, propter aptitudinem ad fines impoſitos perveniendi, viſam, teſtantur. Cor unicum aequa lege ſanguinem ſuum diſtribuit, totaque fabrica ſimplicior eſt & concinnior. IDEM *Deſcript. bicip. l. c.* §. XI. *not. c. p.* 18. nec tamen alia minus concinna, nec illa neceſſaria. Auricula una ampliſſima, ſatis ſuae functioni ſufficiebat, nempe ad ſuſcipiendum omnem ſanguinem venoſum, utriusque puellae, tanta quantitate, quanta neceſſaria eſſet ad ventriculos cordis juſte replendos. Cum ex ea ad dictos binos ventriculos via pateret, non neceſſaria altera auricula, nec ſeptum, adeoque foramen ovale impoſſibile, ſine eo, ut finis perderetur, quem mox diximus in colligendo venoſo ſanguine, eique iter concedendo ad cava cordis conſiſtere. Ventriculi cordis duo, ſatis communi lege reperiuntur, cum enim duplex genus arteriarum ex corde naſcentium ſit, ex ſingulo ſingulum oritur; licet & aliter obſervatum fuerit unum ex altero oriri. In noſtro bicipite duplicatum genus arterioſum, ex ſingulo cavo cordis duplici origine, ob duplicatas quas adibat partes, propagabatur. Hinc duo ventriculi, quatuor Arteriae, binae cuilibet, anteriori pulmonales, poſteriori aortae, minime numerum disharmonicum ſiſtunt. Verum nec in ratione harum partium deformitas. Via duplex diverſa ex auricula ad ventriculos, ad anteriorem recta, ad alterum obliqua, non inconſulto facta mihi videtur. Nonne per hanc obliquitatem ingreſſus ſanguinis quodammodo difficilior in cavum cordis poſterius? Nonne hac preſſione continua ſanguis aliqua ex parte denſior factus ſimile quid obivit, quod ipſi alias contingere ſolet in pulmonibus, dum per rectam viam facilius, nempe ſine hac preſſione, cruor auriculae ad cavum anterius ſolito modo rueret? Cava cordis ſimilis roboris & fere ejusdem capacitatis erant, uti mos in tenero fetu, vide *not. cc. dd.* uſum hinc eundem utriusque in noſtro bicipite ſtatuere oportet: Quare ſanguis ſimilem in utroque ſubibat actionem, cum condenſaretur & promoveretur per utraque aequa lege, vi & portione. Quodſi autem plus ſanguinis promoveret ventriculus cordis poſterior, utpote in noſtro bicipite longior, non mirandum,

dum, cum non tantum ſolus aortam ſiniſtram, ejusque totum ſyſtema absque adjutore ſocio, ut alias fieri ſolet, replere deberet, ſed praeterea lex ipſi impoſita eſſet, aortae dextrae truncum ſanguine proſpicere. Hinc in diſtribuendo reſtitutio aequilibrii. Ratio vaſorum arterioſorum varia, & inter ſimilia & inter diſſimilia. Arteria pulmonalis dextra maxima, longe minor ſiniſtra, adeo ut proportio inter priorem & alteram ad minimum eſſet uti 6. ad 2. Arteria aorta dextra minor ad ſiniſtram maximam ad minimum erat uti 5. ad 9. Pulmonalis maxima ad minorem aortam, utraeque dextrae, erat fere in ratione naturali. Maxima aorta & maxima pulmonalis arteria ſibi lumine fere aequales erant. Haec autem omnia ſapienter. Arteria pulmonalis maxima quantitatem ſanguinis continebat, qualis neceſſaria erat, ad replendas non tantum ejus ramificationes, ad lobum pulmonalem dextrum & intermedium minimum tendentes, verum etiam ad continuandam repletionem arteriae aortae dextrae inferioris, cujus truncum ita replebat, ut lumine nunc aucto ſuum fontem ſuperaret. Hinc neceſſaria ejus amplitudo ſumma. Secus cum minore ſiniſtra, quae pulmonali lobo ſiniſtro tantum deſtinata, parvam portionem ſanguinis attamen ſufficientem, promovebat, quare ſi amplior fuiſſet, ſuum pulmonem cum portione ſanguinis, ſuae diametro proportionata, oneraſſet. Par fere ratio aortarum. Siniſtra maxima erat, quae omnem ex corde poſteriore recipere debebat ſanguinem, qui ſufficiebat ad repletionem non tantum vaſorum cordi propriorum, verum etiam totius cum ea cohaerentis ſyſtematis. Cum vero dextra reſiduam portionem cruoris ex eodem ventriculo venientis tantum ſuſcipere, minoris capacitatis ut eſſet maxime conveniebat, alias nunquam tota potuiſſet repleri, reliquis circumſtantiis ſubſiſtentibus. Ortus coronariae ex ſiniſtra aptior, quippe quae propior cordi cum transverſim flecteretur. Nec trunci vaſorum ſuperiorum ſiniſtrorum ex eadem aptiorem originem capere poterant. *v. I.* Scapularis poſterior dextra e facie ejusdem poſtica orta, breviſſimam viam ad ſcapulam emetiebatur. Ortus ſimilium truncorum aliter ſe in dextra habebat *ibid.* haec enim absque damno fere exhauriri poterat, quod reſarciebat copia per ductum arterioſum ampliſſimum ex pulmonali maxima adveniens: ex hoc noviter repleto trunco demum ſcapularis ſiniſtra oriebatur, breviſſima via ad ſuum locum tendens, eundem truncum in ipſius commodum pro parte deplebat, quem cum maximo damno exhauſiviſſet, ſi altius originem ſuam cepiſſet. Quis non videt aptitudinem, quare inter vaſa dextra conjunctio illa conſueta facta fuerit? partim ex eo, quod haec ſibi proxima eſſent, dum ſiniſtra aorta a reliquis mox recederet, partim ex aptitudine luminum ad hunc mechaniſmum componendum. Qualis ordo partium! Quantum opus, ſumme ſapientis, ſuo Auctore dignum! Omnia Tua opera laudem Tuam perorant Domine! & ego ſilerem?

III. Circulatio ſanguinis in noſtro fetu bicipite, ideam divinae ſapientiae exprimit. Circulationis norma ſingularis eſt in fetu, de qua praeter opera maxima phyſiologica non cito niſi *b.* TREW, cujus ſupra §. 6. *not. q.* mentionem feci. Ductus arterioſus pulmonem non tantum liberat, ſed inde quoque fit, ut cor ſiniſtrum inprimis ſanguinem ad caput, minori parte ad inferiora pellat, cor dextrum ad inferiora omnino ſola. *v.* HALLER *Icon. Anat. l. c. n.* 13. *p.* 12. Adducit vena umbilicalis neceſſarium ſanguinem, liberat fetum cruore ſuperfluo arteria duplex umbilicalis. Jam brevibus circulationem in noſtro bicipite olim naturalem deſcribere volo, qualem ex ſectione perſpicere licuit. Sanguis, ſive ex una placenta duplice funiculo, anteriore & poſteriore, fetui annexa; ſive ex duplice placenta venerit, cui ſingulae ſingulus funiculus conceſſus fuerit: Sanguis inquam placentae per duas venas umbilicales venit ad hepar, per anteriorem ad anterius §. 6. per poſteriorem *ib. not. r.* ad poſterius *ibid.* Ibi affuſus cruori, qui per ſyſtema venae portarum circumducebatur, partim per ductum venoſum immediate in venam cavam inferiorem infundebatur, maxima autem ejus portio ſimul cum ſanguine portarum circumducta per vaſa venoſa hepatis, more tandem ſolito eidem venae cavae tradebatur. *l. c. not. q.* Nunc omne flumen ſanguineum partium inferiorum in duplici vena cava commodiſſime vehebatur in auriculam cordis unicam *I.* In hac confundebatur cum cruore venarum cavarum ſuperiorum, quem hae fundebant reducem a ſuperioribus in eandem auriculam. Hactenus modo ſatis conſueto: verum cum in eandem quoque venae pulmonales deponerent ſanguinem reducem ex pulmonibus, facta eſt receptaculum omnis ſanguinis venoſi. Jam auricula, ex hoc continuo affluxu ſummum repleta, ex ſua vi contractili in ſpatium minus nitente, a pondere ſanguinis premente irritata, contrahebatur, ſanguinem contentum conquaſſabat & neceſſario miſcebat. Maſſam hanc ſanguineam, totius bicipitis mixtam, urgebat auricula in aditum ventriculorum, qui nunc deplebantur. Superata itaque vi valvularum cordis cedentium, ſanguis recta in dextrum irruebat, cum preſſione autem in ſiniſtrum cordis cavum urgebatur. Repleti ventriculi ad contractionem fortiorem ob fortiorem fabricam, appendicibus adhuc auctam, a ſanguine contento ſtimulati, elevatis nunc ſimul valvulis verſus auriculam poſitis, contracti, ſuum ſanguinem in quatuor arterias urgebant. In hac promotione non tantum quilibet ſuum proprium munus exercebat, ſed anterior ſuam conſuetam communem functionem ſimul praeſtabat. Proprium ipſi anteriori erat, ſanguinem promovere per utrasque arterias pulmonales, earumque omnes ramificationes per pulmones diſperſas ſufficiente ejusdem copia replere, quo hic cruor, vi cordis anterioris impraegnatus, trajiceretur per pulmones, & inde reduceretur per vaſa venoſa ad cordis auriculam, *I.* Proprium erat cordi poſteriori ſanguinem, ſua vi notatum, in aortam ſiniſtram urgere, huic tantam copiam ſubminiſtrare, ut omnibus

bus ejus ramificationibus sufficeret: porro tantum cruoris in dextram injicere, quantum necesse erat ad repletionem ramificationum ejus superiorum, residua simul portione aliqua pro trunco continuato. Inde ramificationibus dextrae aortae inferioribus maximum evenisset damnum, sed commune munus ventriculi anterioris hoc resarciebat, dum sanguinem sua vi impraegnatum per ductum arteriosum immitteret aortae sanguine orbae. Sic liberato pulmone, & dilata aorta aequilibrium restitutum est. Quare aequale utrisque ventriculis robur. Cum enim cum aequali vi, ex utroque sanguis, cui eadem nota impressa erat, projiceretur, per omnia vasa eadem motus celeritas ut fuerit necesse est. Arteriae nunc suum a corde susceptum sanguinem, sua propria vi contractili ad ultima urgebant, & hoc mechanismo composito motum sanguinis arterioſi progressivum absoluebant, dum simul superflua quantitas per arterias umbilicales quatuor, anteriores §. 5. & posteriores §. 8. ejiceretur de corpusculo nostri bicipitis, ad loca ubi placentae insererentur. Deinde in venas veniens latex ruber, gradu inverso ad cor cum novo sanguine placentae accedente regrediebatur. Sic itu & reditu ejusdem continuato, modo mox dicto circulatio sanguinis in nostro bicipite absolvebatur. Qualis catena harmonica inter omnes recensitas partes! Admirandus circulus functionum cujus altera alterius causa, ultima primae. Si simplicis fetus circulatio miraculum, quis in compositi circulatione minus admiranda videbit? Omnia enim opera Creatoris miracula.

IV. *Vitae unius, simplicis compos factus noster biceps, simulque ad eam commode continuandam, injuriis licet etiam gravioribus accedentibus, aptus visus, specimen est diffundentis se in infinitos Archetypos divinae sapientiae benignissimae.* Circulatio humorum est fons vitae corporeae mirandus. Hujus centrum cor, in iis nempe, quibus cor datum fuit. Sanguis communis totius bicipitis, miscetur in auricula, traditur ventriculis, nullibi alius, in ambobus sibi similis, aequali vi expellitur, vis cordis aequalis propagatio & effectus: it, redit; hinc nutritiae materiae aequalis dispensio, & communicatio omnium affectionum, quae unius motui circulatorio sive in fluidis sive a solidis acciderint, ceu boni quid esset, sive unum laederet, mox alteri communicabatur. Sic si altera cibum sumsisset, nutritio alteri, quae non comederat, nihilosecius aequali portione tradita fuisset, dum chylus cum sanguine venoso in auriculam communem influeret. Vim vitae aequalem conclusione tantum elicere potuimus, tamen si supervixissent, credo omnino, quod pulsus in utraque puella tangendus, suis rhythmis fuisset aequalis. Quid ex his aliud sequitur, nisi id, binis quasi corporibus unam datam fuisse vitam? quanta sapientia! quanta misericordia! Cum autem aeque facile id, quod vitam laedit unius partis, alteri communicaretur, necessario si utrumque laesione non posset

reſiſtere, utrumque corpus laeſioni vitae occumberet. Merito enim ILL. v. HALLER, *Deſcript. cit.* §. XVI. *not. b.* dubitat, de obſervationibus cum maxima veritate factis, quas habemus de fetubus ſimilibus, ubi unus alteri ſupervixerit. An haec conformatio opus fortuitum? ubinam deſideratur maxima regularitas? Non tantum noſtro bicipiti vita communis ſimplex data erat, ſed etiam conceſſum ipſi, ut ſi alterutri corpori quid acciderit, alterius mechaniſmus damnum ſocio illatum, illico repararet, & aequilibrio totius reſtituto, vitam communem commodam continuaret. Hoc optime in noſtro bicipite patet, qui tamen abruptioni funiculi umbilicalis poſterioris ſupervixit, aequo omnium partium continuato incremento: cum hepar anterius cederet copiae ſanguinis majori, per venam umbilicalem anteriorem advenienti, quae ad nutritionem utriusque aequalem ſufficiebat, uti ad repletionem pariter vaſorum, hepate tantum poſteriore minuto §. 6. *not. q.* Superfluus autem ſanguis ne oneraret vaſa inferiora, per vaſa meſaraica potiſſimum ſuperiora motus, prae caeteris facillime cedentia, recurrebat per vias venoſas ad cor, §. 7. *not. v:* cum arteriae umbilicales poſteriores excaecatae eſſent, cedentibus autem vaſis meſenterii ſimplicis, reſtitutum fuit aequilibrium & vita communis ſatis commoda ſervata. Quanta harmonica aequilibrii reſtitutio, impoſſibilis, niſi data fuiſſet ex providentia ſingulari Omnipotentis conjunctio viarum ſanguiferarum utriusque puellae, ut nunc tuborum communicantium leges ſubire potuerint. An ad imperfectionem noſtri bicipitis concludendum, quoniam non tantum vita, ſed etiam poſſibilitas ad eam commode continuandam, ipſi conceſſa fuit?

V. Reſpiratio eadem communis noſtro bicipiti, ſi ſupervixiſſet, fuiſſet, licet non potuerim in mechaniſmum vaſorum aëreorum inquirere, tamen id quod vidi prolatam ſententiam confirmare videtur. Oſtium commune unius apicis naſorum ad aërem hauriendum §. 2. 5. *not. l.* pulmonum tres lobi prope ſe locati §. 10. 13. mechanismum compoſitum, ſed non disjunctum oſtendunt reſpirationis. Duas adfuiſſe larynges, & arterias abinde continuatas aſperas, ſeparatum os §. 2. & disjunctum collum §. 5. 14. omnino ſuadent. Bronchiorum autem diſtributionem non vidi, nec de probabilibus, ſed de viſis dicere conſtitui.

VI. Animam an duplicem, an ſimplicem habuerit noſter biceps, neſcio. Duo cerebra adfuerunt, nam diſciſſa conjunctione capitum encephalon minime apparuit §. 5. Verum cum in ortum nervorum non licuerit inquirere, & mollities ipſa obſtitiſſet, nil affirmare, nil negare poſſum, & ſi omnia vidiſſem, ad numerum tamen animae inde non potuiſſem concludere. Medico ſatis eſt ſciviſſe, unam vitam vixiſſe, *IV.* & neſcio, ſi talis biceps ſuperviveret, ac in foro quaeſtio eſſet, an ipſi jus unius an duorum hominum competeret, neſcio inquam, anne ex aequitate plus in eum con-

13.

Quae visa exemtis visceribus. §. 9-12.

THORAX. CAVA PECTORIS.

Exemtis nunc pulmonibus §. 10. & corde §. 12. lustravi formam ipsius thoracis. Cavum erat pleura obductum, posterius admodum angustum, dextrorsum admodum latum, sinistrorsum minus amplum, anterius planum, in lateribus anguloſum. Anterius in medio positum erat *Sternum*, admodum latum, in cujus medio linea satis profunda ducta conspiciebatur, ut omnino *duplex* hh) accretum videretur. Nudum os quidem non vidi, tamen ex conformatione ipsius, etiam per tegumenta, satis manifesta vidi, quod utrumque appareret a latere sibi appositum, ita ut margo sinister dextri sterni, ad lineam rectam apponeretur margini dextro sinistri sterni. Ubi autem haec sternorum conjunctio, ibi externe locus erat, in quo videbantur connata corpora nostri bicipitis.

A spina qualibet producebantur costae, angulo breviore & acutiore formato, ex spinarum inflexione: ab hoc angulo antrorsum ferebantur longiore corpore, quam quidem solito modo, interjectaque cartilagine, pro varia altitudine diversa, sterno inserebantur. Claviculae duae, summam anteriorem thoracem claudebant. Inferiores limites figebat diaphragma, pleura investitum §. 9.

Poste-

conferendum esset, quam quidem ex jure uni competeret, licet non dicerem ipsum gaudere jure duorum hominum oportere. Si vero de numero animarum sententias varias legere cupiat quidam, & opera de monstris scripta ALDROVANDUM, LICETUM, aliosque adeat, itidem loca HALLERIANA. §. XV. *not. a.* & KULMUM *l. c. S. IV.* §. 1-5. *p.* 33. *sqq.*

hh) Et haec appositio sterni duplicis singularem conformationem sistit. Sternum duplex utpote satis in hac classe consuete aliud anterius, aliud posterius invenio in *Descript.* HALLER. *F. IV. C. T.* & similiter apud KULMUM *l. c. T. III. F. XI.*

Posterius videbatur, quantum quidem videre licuit, acsi in medio, interveniente illo contextu cellulosо *ibid.* processus vertebrarum dorsalium transversi elongati, dorsum nostri bicipitis formarent. An fuerint fragmenta costarum posteriorum? Claudebant summum dorsum scapulae posteriores duae, inferius autem terminabatur idem a septo transverso.

Totum hoc cavum sponte in duas cameras dividebatur, dextram & sinistram, cui accedebat tertia posterior, nulla membrana a posterioribus ad anteriora excurrente, has cavitates a se invicem separante ii), nisi quod mediastinum anterius inter pulmones & pericardium esset. Jam circumscriptiones & contenta addam. Camera dextra a costis dextrae puellae formabatur; a spina ad sternum ejusdem extendebatur; ad spinam angusta, angulosa; antrorsum lata & plana; admodum ampla:

ii) Quo eo clarius pateant quae nunc protuli, de mediastinorum, quorum numerum triplicem feci, ortu, situ & progressu, mihi dicendum est, ne ideam confusam in hac observatione relinquam. Scio quidem quod in naturali statu a pleura continuetur illa productio, quae pectus dividit, dum simul hujus duplicatura a se recedens anterius & posterius saccum format sub nomine mediastini anterioris & posterioris. Secus in nostro bicipite. In sacco cellulosо, qui ad partem posteriorem pectoris inter spinas positam, formabatur, continebantur duo oesophagi, quare eundem dixi mediastinum posticum. Ab hoc sacco continuabatur lamella inter lobum pulmonalem intermedium & sinistrum, quam tamen non vidi ad anteriora pertingere. An ob mollitiem lacerata fuerat? hanc dico dextrum. Circa ipsum autem pericardium a sterno surgebat saccus tenuis cellulosus, idem circumvolvens, hunc sinistrum & anterius voco mediastinum. Jam porro, si ab eminentia spinae dextrae lineam ducerem, eam nec dexter, nec sinister lobus pulmonalis, cum sua eminente superficie, superabat, intermedius omnino, quare ejusdem portionem ad tertiam refero cameram nempe posteriorem. Si porro dividerem pectus in eo loco, ubi in medio sterno linea erat, omnes pulmones dextrum tantum locum replebant, exigua autem portio lobi pulmonalis sinistri hanc lineam transgrediebatur inferiora versus, quare hanc ad sinistram strictissime retuli. Posset tamen ita distribui, ut pericardium sinistram, reliquam regionem & dextram & posteriorem replerent pulmones.

ampla; continebat lobum pulmonalem dextrum maximum, partem magnam ſiniſtri, & latam portionem intermedii minimi. Siniſtra a coſtis ſiniſtrae puellae formata, a ſpina ad ſternum ejusdem producebatur; ad illam pariter anguloſa & anguſta, antrorſum lateſcens; itidem perampla; a pericardio cum contento corde & appoſitis thymis fere replebatur, ſpatio tantum exiguo pro parte reliqua lobi pulmonalis ſiniſtri relicto. Poſterior minima a diſtantia ſpinarum a ſe invicem circumſcribebatur: Continebat in mediaſtino poſtico binos oeſophagos, & partem acutam lobi pulmonalis intermedii, quae de ſuperficie duorum reliquorum eminebat.

14.

Colla duplicia viſa, communi cute convoluta. Ulteriorem ſectionem inſtituere haud potui.

APPENDIX.

De Origine noſtri fetus bicipitis & *ſimilium, quos communi voce* MONSTRA *vocant.*

15.

Cum ex inviſibili aliquo in actum ducto, novus exoriatur homo, quis de rebus, nunquam ſenſu acutiſſimo, optimeque armato, attingendis, expertus loqui poteſt? Conſentiunt tamen omnes in his obſcuritatibus, per congreſſum fecundum aliquid, quod ſtamina omnium partium corporis humani continet, in vitam cieri, & ab eo momento hominem nobis inviſibilem vitae initia capere, donec ſenſim ſenſibilis factus,

ſe totum articulatum oculis offerat. Modum quo ex inviſibili tandem viſibilis fit, uti notum eſt, Evolutionem vocant, quippe epigeneſin, ut minus probabilem, minus naturae conſentientem, & mechanismum non multum a caſu fortuito aberrantem, niſi denuo ultimam cauſam aliunde quaeras, cum ſummis in arte viris rejicimus. Ea autem prima partium diſpoſitio ſolidarum, ad vitam ducendam facta, ſecundum ſitum, nexum, proportionem, & numerum neceſſarium, dicitur Delineatio primitiva. Hanc delineationem ad leges ſummae ſapientiae factam eſſe, harmonia partium ad finem ſuum conſequendum ſuadet. Cauſam delineationis primae agnoſcimus cum *Pſalmiſta* Legislatorem naturae, SUMMUM CREATOREM. Tempus, quo ſummus Creator eandem ſuſcipit & agit, quis determinabit? aſt cum ſupra dixerimus, per conceptionem delineatum hominem vivificari, idque analogia in pullo ſuadeat kk), omnino delineationis tempus conceptionem non ſequi optimo cum fundamento ſtatui, neſcio quis negabit? Haec ipſa prima partium corporis humani diſpoſitio & numeratio ad vitam ſuam neceſſaria, non poteſt mutari.

16.

Poteſt tamen primitiva partium locatio & diſtributio per accidentia nova mutari, ſed ſemper cum laeſa ſanitate, ita ut haec laeſio ſit in ratione cauſae laedentis, & in relatione quam pars laeſa habet ad ſanitatem totius corporis, erit tamen vitium evolutionis potius vocandum. Ipſae cauſae laedentes non ſemper patent; attamen cum vires evolutionis pendeant a motu vario, varii liquidi, per loca varia, varie dilatabilia, omnino

kk) Cum totam hanc Phyſiologiae generalis partem, multae diſceptationes magis quoque ſaepe obſcurent, videantur varia in ILL. v. HALLER *Element. Phyſ. T. VIII. L. XXIX. S. II. p. 77-176. & S. IV.*

omnino videtur, quod si horum aliquid praeter naturam mutetur, & expansio, attractio, pressio, derivatio, aut revulsio augeatur, minuatur, tollatur, etiam incrementum, partium singularium, si singulares causae, omnium, si universales, augeri, subsistere, aut minui posse. In ultimo casu, si universalis sublatio virium evolutionis, mors, si in juniore fetu, in quo nondum articulatio membrorum visa est, accidit, annihilatio dicitur. Si vero quaedam tantum vires evolutionis cessant, partes ratione magnitudinis juniores videntur, emaciatae, rugosae. Hinc easdem ob rationes in variis locis obstructio, effusio, ruptura, luxuriatio, tumores morbosae indolis, absque fine ad sanitatem naturalem oriuntur, & maculas variae magnitudinis pro magnitudine causae, appendices, accretiones, concretiones, fissuras, paralyses, extenuationes, & quae hujus indicis sunt, praebent: quae plus & citius nocent, imo post partum saepe lethalia sunt, prout in systemate vasorum cordi propiore, & in locis ad vitam maxime necessariis, inveniuntur. Quae in systemate vasorum remotiore a corde nata, semina morborum chronicorum, citius tardiusve post partum oriundorum, plurium immedicabilium spargunt. Quae in vasis cutaneis praeter naturam absque tumore fiunt, naevos sic dictos sistunt, pro vario vasorum systemate, & vario humorum genere & indole, nec non pro varia potentia causae, varii coloris, figurae, & ambitus: saepe tantum formam laedunt, quae formae laesio, etiam non raro in visceribus, propter errorem humorum & causas huc facientes, conspicitur. Varii motus fetus, pressiones, ictus, & omnia quae unius visceris gravitatem specificam augent, aut quae illud a suis vinculis liberant, causare possunt transpositiones viscerum & partium, cum laesione sanitatis & vitae, prout visceris & partis ratio est ad vitam & translocationis ad totum. Huc referas luxationes, inversiones, e. g. cordis, ventriculi, viscerum morbosas, distractiones & similia, cum actione laesa.

Tempus, quo haec delineationis praeter naturam mutatio, ſeu turbatio, hincque enata vera deformitas in fetu oriri poteſt, omne illud eſt, per quod fetus in utero moratur. Nam non tantum in exitu ipſius de ovario, & in ejus tranſitu per tubam admodum anguſtam, ad uterum, plures formae & ſitus partium laeſiones fieri poſſe, hasque ſemel factas, ut plurimum irreparabiles eſſe, probabile eſt: verum etiam quasdam ſerius per ſuas cauſas naſci poſſe, veriſimile videtur, quas ſi leviores & propiore a partu tempore factae fuerint, medicina nonnunquam feliciter abſtulit. Nonnunquam etiam ſub partu ſugillationes, diſtractiones, fracturas, luxationes, rupturas, oriri, hasque per totam vitam ex incuria & inſcitia matrum & obſtetricum durare, ac pro congenitis ſaepiſſime vendi, experientia triſtis teſtatur.

17.

Quae vero partium locatio & diſtributio facta eſt cum mechanismo ad finem certum, absque laeſione actionis cujusdam eidem corpori competentis, eam omnino primae delineationis typum exprimere, ſtatuere oportet. In genere enim notarunt obſervationes hucusque factae, non dari delineationem duorum corporum ex omni parte aequalem, ſed ſemper diverſam, ita tamen, ut diſcrepantia major vel minor ſit, licet haec non ita evidenter in externa facie conſpiciatur, in ortu, progreſſu, nexu, ramificatione, capacitate &c. vaſorum, nervorumque, ut varietates alias, etiam muſculares, taceam, invenienda ſemper. Veriſſimum itaque eſt, ad vitam communem ducendam, tot diverſas delineationes, quot homines, factas eſſe, adeoque infinitis fere cauſis eundem finem attingi poſſe. Differt hinc quilibet ab altero, nec leve fundamentum, in hac cuilibet peculiari delineatione, propriae cuilibet

libet homini, ſic dictae, naturae. Cum tamen maxime conſpicuae partes, in majore numero hominum, ſimilem typum exprimant, ideo vocatur communi conſenſu delineatio naturalis, ſi potiſſimum viſcera & vaſa majora, nec non externa membra numerum, ſitum, & proportionem plurimis conſuetum retineant, adeoque conſueta pariter vocanda: nec tamen exactam aequalitatem habent. Haec itaque prima quaſi ſpecies eſt Delineationis maxime conſueta, ubi variatio in minoribus partibus.

Alia eſt differentia delineationis, quam cernimus, cum partes quaedam interiores etiam notabiliores, aut plane deficiant, aut in alium uſum impendantur, ſine eo ut vita huic corpori propria commoda, nec ſanitas, nec perfectio laedatur. Sic per penem exonerabantur inteſtina ſuis fecibus, in eum ultimo ſuo fine breviſſima deſinentia, compendio novo, attamen harmonico, ll) facto. Sic notum exemplum de reflexo nervo guſtatorio ad cutem occipitis, quare nullus guſtus huic homini competebat. Cum autem ex inſtituto cum quatuor ſenſibus homo appareret, quis hanc delineationem confuſam, aut vitiatam, nominabit? naturalem ejus delineationem voco, minus tamen conſuetam.

Alia eſt differentia, cum viſcera cum fine ſitum ſuum aliter habeant, quam quidem in delineatione maxime conſueta, ut cordis inverſio ex inſtituto facta, cum annexarum partium conſentiente harmonia; translocationes viſcerum ſapienter factae; transpoſitiones vaſorum & nervorum ad vitam ſingularem inſtitutae; declinationes inſigniores eorum &c. Haec pariter minus conſueta delineatio.

ll) Vid. *Act. Petropol. Vol. III.* deſcriptum a DUVERNOY ſub titulo: *Monſtrum Caſanienſe*, quod citat v. HALLER *Deſcript. bicipit. p. 7. not. a. & p. 36. VII.*

Alia eſt differentia, cum numerus viſcerum & partium tectarum variet abundantia & defectu, quam quidem in plurimis conſpicitur. Numerum enim vaſorum & nervorum in omni corpore variare, in pluribus etiam ſtrata muſcularia, ſupra jam notavimus, experientia teſte. Ren ſimplex; teſticulus ſimplex, triplex, nullus. Uterus duplex. Lienes plures, & ſimilia, inſtar exemplorum adducta ſufficiant.

Alia eſt differentia, ubi partes externae numero variant, cum ſapiente mechanismo, ut quidem capita duo; duplicati artus; bicorporei fetus; digiti ſex; caput nullum, & alia pars deficiens, quarum catalogum varii etiam fide digni fecerunt. Hanc omnino delineationem naturalem, minus conſuetam partium externe conſpicuarum, uti antecedentes minus conſuetam partium internarum, dicere oportet.

§ 8.

Quod ſi nulla actio a corpore petatur, quae ipſi ex ſuo mechanismo primo impoſſibilis ſit, nec perfectioni cujusdam contrarietur propriae, quod unus non ad omnia, ſed hic ad haec, ille ad illa factus ſit. Variationes illae non contrariantur perfectioni propriae eorum, qui iisdem gaudent, nec actio, quae ipſi corpori revera omni tempore impoſſibilis fuit, deficere poteſt. Cum itaque tale corpus ad omnes actiones ipſi competentes, praeſtandas aptum ſit, perfectum omnino judicandum. Cui plus datum, ab eo plus poſcetur. Si itaque in delineationibus cum fine ad regulas minus conſuetas factis, perfectio hominis non laedatur, quae cuilibet ſingularis eſt: Quid quaeſo contrariatur, Deum optimum omnipotentem, in his ſuis operibus ſummos immenſae ſuae ſapientiae & potentiae theſauros nobis aperire? Singulares ſunt tales minus conſuetae

ſuetae conformationes, ſed ſingularia quoque exhibent ſpecimina ſummae ſapientiae. Jus ipſi ſummo Creatori competit forma hominem induere, qualis ipſi placet. Legislator legem, non lex Legislatorem ſummum figit. Sat nobis ſciviſſe, quod quae minus conſuete facta, ſapienter facta ſint. Finem ſpecialem ignoramus, nec neceſſarius nobis ſcitu erat. Dedit Deus membra cuilibet, ut homo eadem convertat in ſui creatoris laudem, omnia membra, quotquot ipſius voluntati ſubmiſſa ſunt, iis libere utendi. Hic finis corporis maxime conſuete formati. Hic quoque finis minus conſuete formati.

19.

Quod ſi haec ad noſtrum fetum bicipitem applicem, ex tota ejus deſcriptione, uti in notis adjectis notavi, patet, non tantum externam proportionem partium ſapienter inſtitutam fuiſſe vid. *Tabulam* §. 4. & *not. i.* ſed etiam interiorum compoſitionem, mechanismum ſumme ſapienter factum, oſtendere. Non indignum opus ſummae ſapientiae! Delineatum autem, & talem conceptum, nec poſtea demum quaſi transformatum fuiſſe, nec ex ruderibus duorum corporum olim ſejunctorum compoſitum, noſtrum bicipitem, illa in omnibus partibus obſervata optima harmonia, nobis credere imponit. Poſſem & contra epigeneſeos defenſores argumentatione de corde ejus ſimplici uti, ſed relego eosdem ad locum egregium Ill. v. Haller mm).

Hactenus dicta ſufficiant, limites forte obſervationis ſingularis deſcribendae transgreſſus. Si non omnia exhauſta fuerint,

mm) *Deſcript. fet. bicipit.* §. *XV. not. b. p.* 26. & *not. a. p.* 27. *ſqq.* ad finem ejusdem paragraphi cum notis ſubjectis.

fuerint, ſcio & de aliis alios melius dixiſſe, & in ſingularium dijudicatione ſaepe multos errores ſubrepſiſſe. Potiſſimum ſi non omnem de origine ſic dictorum monſtrorum ambitum expleverim, ad ulteriorem per experientias obſervationem haec reſervo. De prima autem locatione partium nullam majorem hucusque ſapientiam acquiſivi, niſi quam dictum illud vetus Chriſtiani Ciceronis exprimit nn): *Dei ſunt omnia, conceptus ipſe & corporis informatio, & inſpiratio animae, & partus incolumis.*

nn) LACTANTIUS *de opificio Dei.*

FINIS.

HISTO-

HISTORIA
VENENORUM VEGETABILIUM
SUEVIAE INDIGENORUM

STUDIO

D. JOANNIS FRIDERICI GMELIN

IN UNIVERSITATE GEORGIA AUGUSTA GOETTINGENSI PROFESSORIS PHILOSOPHIAE ORDINARII ET MEDICINAE EXTRAORDINARII ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM COLLEGAE ET SOCIETATIS TIGURINAE SODALIS.

Hiſtoria venenorum vegetabilium Sueviae indigenorum.

Quodſi attenta mente perpendamus ſingularum ſcientiarum humanarum dignitatem, eamque metiamur ex utilitate, quam ſingulae in reliquas eruditionis & artis humanae partes diffundunt, nulla profecto erit, quae homine magis digna ſit, quae medicum, quae oeconomum, quae philoſophum magis deceat, quam quidem res herbaria, ut mireris ſane, eſſe adhuc in tanta cognitionis humanae luce, de qua noſtrum gloriatur ſeculum, eſſe adhuc malevolos ejus detractores, qui nobiliſſimam ſcientiam, tot modis in genus humanum beneficam, homine, ſeriis rebus occupato, quin ipſo medico, qui tamen efficaciſſima ſanitatis praeſidia per hanc ipſam cognoſcere didicit, aut niſi cognoſcat, nimis ſecurus & in ſalutem aegrorum injurius in ſola aut pharmacopoei, aut magis ignari rhizotomi fide acquieſcit, indignam, aut, ſi molliter loquantur, inutilem, & ſolis otioſis quaſi rem ludicram relinquendam reputantes, toties Botanicis, qui in ſtirpium natura & uſu indagandis verſantur, acclamant:

O quantum eſt in rebus inane.

Etſi latiſſime pateat campus emolumentorum, quae exinde in vitam, ſanitatem, voluptatem & commoditatem hominum redundant, nulla tamen in re melius de ſalute gentis humanae meruit, nulla in re contemtae hujus diſciplinae inſcitia graviores dedit poenas, quam dum aut improvida inſontium ignorantia herbas vitae hominis quam maxime infeſtas cum ſalubribus aut edulibus miſcendo, ſicque mortem pro medicina cibove ſuggerendo, aut nefanda veneficorum nequitia, inopinas immerentibus attulit neces, qui, niſi omnes, certe tamen plerique, modo aut qui collegerunt has ſtirpes, aut

qui

qui arceſſiti fuere ad aegri ſanitatem reſtituendam medici, in cognoſcendis plantis earumque in corpus humanum aut funeſtis aut ſalutaribus effectibus exercitati ſatis fuiſſent, vel ab omni plane mortis periculo praecaveri, vel ex orci faucibus eripi potuiſſent facillime.

Dum de venenis loquor, ea volo corpora, quae in ipſum humanum corpus, quamvis parca manu ſive intus ingeſta, ſive extus adplicita, indubitatis fide dignorum Virorum experimentis atque obſervationibus lethalem exſerere efficaciam comprobata ſunt. Multa ex his ſunt, quae impune devorantur ab animalibus, quorum alias fabrica ſtructurae corporis humani quam proxime accedit, & quorum aut ſanitas compluribus aliis herbis, homini nunc ſalubribus, nunc ſaltim innoxiis, laeditur graviſſime, aut ex improviſo exſtinguitur vita, ut, ſi nullibi, certiſſime tamen hic, fallaciſſima ſit concluſio, ab efficientia hujus vel illius vegetabilis in animal quodcunque ad eandem in corpus humanum exſerendam, ac viciſſim facta: Quamobrem nunquam admiſi in animalibus aliis tantummodo facta pericula, ut ex iis de virulenta vi hujus vel iſtius ſtirpis in corpus noſtrum exercenda judicarem, tametſi dentur caſus, in quibus veri ſimillimum eſt, ſi quidem modus agendi cominus innotuerit, eodem fere modo etiam nobis nociturum, quod aliis proxime, quod fabricationem corpoream ſpectat, nobis affinibus, exitiale fuit.

Hac vice ea tantummodo viroſa vegetabilia, quae in illa, quam ego patriam colo, Germaniae parte, Sueviam puta, ſua ſponte in agris, arvis, pratis, hortis, ſylvis, montibus incultis progerminant, pertractare animus eſt; haec fida naturam ipſam ſecutura manu, ſermone plano, & a terminis artis, toties minus exercitatos ab intimiori ſtirpium notitia deterrentibus, maxima, qua fieri unquam poteſt, cura depurato, deſcribenda, externa eorum, ſenſus olfactus & viſus quam maxime ferientia, ex quibus ſaepiſſime & feliciſſime interna attributa colligere, ſaltem multa cum veritatis ſpecie hariolari li-

cet, indicia adnotanda, & atrociſſimas illas noxas, quas ſingula pro indole & mixtione ſua, pro majore vel minore copia, qua aſſumuntur, pro ratione & conſtitutione corporis, in quod agunt, alias atque alias, modo graviores, modo leviores ſanitati vitaeque hominis inferunt, ex fidis digniſſimorum Medicorum, tam vi ingenii & acumine, quam probitate ſua illuſtrium, obſervationibus decerptas, recenſendas mihi ſumſi; quomodo damnum illatum reſtaurari, ſanitas laeſa reſtitui, mors imminens vel differri vel abigi plane poſſit, hactenus intactum relinquo, neque hic meum eſſe puto, longius in uſum excurrere, quem eadem lethifera corpora tum in vita communi ad occidenda aut pellenda nociva animalia, tum in ipſa arte ſalutari in debellandis pertinaciſſimis morbis *) praeſtant prudenti manu adhibita, quae proſperrimo cum eventu hinc inde debita cum circumſpectione, a veri nominis Medico nunquam neglecta, nunc extus, nunc intus adplicuit & veterum laudabilis ſagacia, & hodiernorum praeſertim Medicorum feliciſſima audacia.

Omnia nunc virulenta haec vegetabilia duplici ratione vitae hominis inſidiantur; alia innata ſua, eaque fixiori utplurimum, acrimonia omnia, quae contingunt, ſolida viva mirum in modum irritant, adrodunt, os internum, gulam, ventriculum, inteſtina inflammant, exulcerant, convellunt, conſentienti cum his partibus univerſo ſyſtemati nerveo millenas turbas cient, per patula in inteſtinorum canalem vaſculorum reſorbentium oſcula in maſſam humorum recepta peſtifera ſua acrimonia omnia fluida inficiunt, ſicque ſexcentis exagitatum & ſuppreſſum tandem malorum generibus ſerius ocius corpus enecant; alia mox, & quaſi nullo interveniente in vitam corpoream effectu, vapore ſuo & magis volatili odorato principio ipſam, ut ita dicam, animae ſedem petunt, omnes, quae ab

*) De hoc nuper demum egregie commentatus eſt Hahnius, Ultrajectinorum Profeſſor Celeberrimus, in Oratione de uſu venenorum in medicina. Traj. ad Rhen. MDCCLXXIII.

ab animae cum corpore commercio pendent, facultates, memoriam, imaginationem, reminiſcentiam, ipſum adeo ingenium & judicium, ſenſus internos atque externos, motus voluntati mentis ſubjectos aeque ac ſpontaneos, aut mille modis turbant, aut ſubito ſuſpendunt, amneſias, amentias, deliria, furores, ſomnolentias, ſopores, lethargos, apoplexias, epilepſias, paralyſes, caecitates, ſurditates, & plurima alia oculorum, aurium, narium, linguae, muſculorum & nervorum vitia creant, ex quibus millena alia mala denuo propullulant, & ſaepiſſime mors ipſa conſequitur; alia denique conjunctis ex utroque hoc nocendi modo viribus, corpus, & quae cum hoc intime conjuncta eſt, animam violentiſſime invadunt, eo majus vitae periculum intentantia, quo magis compoſitum eſt, ex quo agunt, peſtilens principium.

Si botanicas notas ſequamur, alias nunc harum ſtirpium graminibus accenſendas eſſe, totus loquitur externus habitus; aliae mox triſti florum colore, vel nauſeoſo odore, anguem ſub herba latere, ſuſpicionem movent, luridae ideo phytologis appellatae; in aliis pedunculi, qui flores geſtant, ex apice caulis aut ramuli quaſi radii ex centro prodeunt, & ſic umbellam, qua noſtrates contra ardores ſolis aeque ac contra pluvias ſeſe defendunt, referunt, umbellatae vel umbelliferae hinc dictae; aliae pulchritudine & decore florum aliis praecellunt, a notiſſimo genere lilia nuncupatae; in aliis inſignis ſtaminum ſive genitalium virilium copia intima floris, qui apici pedunculi inſidet, occupat; hae polyantherae aut polyandrae botanicis audiunt; in aliis flos diſtentum ferarum rictum refert; hae ringentium a nonnullis inſigniuntur nomine; aliae vulneratae ſuccum lactei coloris acrem plorant, fructusque ferunt tricoccos, hinc tricoccae dictae Royeno, a potiſſimo, quod huic tribui ſubeſt, genere, tithymali aliis. In omnibus, quas hactenus recenſui, claſſibus eſſentiales, ſit venia verbo, floris partes duplici obvolvuntur integumento, altero externo, utplurimum viridi, ſive non colorato, calice aut perianthio

dicto, altero interno colorato, ſive alio quam viridi colore imbuto, corolla dicto; habentur autem plantae, in quibus alterutrum hoc involucrum deficit, incompletae ea de ratione ab auctoribus nominatae; ſunt denique fungi, ſub quorum dubio ordine plurima venenoſa militant vegetabilia.

I. Gramina.

Lolium (temulentum) ſpica ariſtata, ſpiculis compreſſis multifloris; Linn. Syſt. Natur. per regna tria naturae. T. II. Edit. XIIma Holm. 1767. p. 100. Spec. plantar. Edit. IIIia. T. I. p. 122.

Lolium annuum locuſtis diſſitis. Haller hiſtoria ſtirpium indigenarum Helvetiae inchoata. Bernae 1768. T. II. p. 205. nro. 1420.

Gramen loliaceum ſpica longiore. Caſp. Bauhini Pinax theatr. botanic. Baſil. 1623. p. 9.

Lolium gramineum ſpicatum, caput tentans. Joann. Bauhin. Hiſtor. plantar. univerſal. Ebrodun. 1651. T. II. p. 437. (cujus ceterum icon peſſima.)

Lolium & triticum temulentum. Lobel. Icon. T. I. p. 35. f. 1.

Infelix Virgilii lolium.

Perſis: Scheilam.

Graecis: Aera, Zizanion.

Italis: Loglio, Gioglio.

Hiſpanis: Yoio, Zizania.

Anglis: Darnel, Yvray.

Belgis: Dolik, Twalk, Kueweyſen.

Gallis: Yvraye, Yvroye, Luille, Zizanie.

Germanis: *Sommerlolch*, *Toeberich*, *Tollkorn*, *Lülch*, *Durt*, *Kuhweizen*, *Mausweizen*, ſi quidem inter hordeum naſcitur, *Twalch*, ſi inter ſecale, *Treſpe*, *Trapſendort*, *Treſpdorp*, *Treyzen*, & ſi inter avenam, quod vitium nobis frequentiſſimum eſt, *Schwindelhaber*, *Tobhaber*, *Dippelhaber*.

Naſci-

Naſcitur in agris frumentariis, tritico, hordeo, ſecali, avena conſitis, (rarius inter linum) aut natura ſua juſto humidioribus, aut inundationibus pluviisque praegreſſa hieme & vere crebrioribus nimium humectatis, ſub his conditionibus, ipſius incremento mire faventibus, melioris frumenti vigorem ſupprimentibus, adeo ſaepe frequens, ut fabuloſae illi opinioni anſam dederit, quaſi triticum in lolium degeneraſſet, inaudito naturae ſibi ſemper ſimilis phaenomeno.

Quod durationem ejus ſpectat, ad ſtirpes annuas ſive eas pertinet, quae ſingulis annis cum herba & radice pereunt, & per ſola ſemina ſuam propagant ſpeciem.

Culmi ejus duorum utplurimum pedum altitudinem attingunt, ſunt, qui quinque pedes excedunt; ſtriatos nonnunquam invenias, & plerumque nonnullis nodis, quaſi geniculis inaequales, foliis praeterea, qualia graminibus competunt reliquis, glabris amictos; ſingulum culmum terminat ſpica viridis, interdum rubens, quaſi ab utroque latere compreſſa, crebris iisque longis, rariſſime, ſi unquam, nullis ariſtis exaſperata, pedem utplurimum longitudine aequans; haec iterum ex minoribus ſpicis compoſita, magnitudine & numero variis, ut nunc quatuor tantummodo, nunc octo, nunc duodecim, nunc octodecim numeres, omnes alternis ſummi flexuoſique culmi lateribus arcte adpreſſas; ſi in ſingulas haſce ſpicas minutius inquiras, infimam uniuscujusque partem tenet ſolitarium folium longitudine univerſam ſpicam, cui ſubſidet, aequans, recta rigida utplurimum ariſta terminatum, quod calycis ſive glumae nomine inſignire ſolent Botanici; omnes hae minores ſpicae conflatae ſunt ex octo floſculis, aequalibus; qui ſinguli binis viridibus aequalibus foliis, quorum alterum ariſta nonnunquam munitur, alterum planum eſt, & figura ſua ovum refert, incluſum habent rudimentum ſeminis unicum, germen ſive ovarium dictum, cui bini ſtili ſeu tubae inſident, & circumponuntur terna ſtamina, qui ſinguli etiam relinquunt ſemen ovatum, ex fuſco nigrum, ab utroque latere com-

compreſſum, ſubdulcis ejusque non ingrati ſaporis, nullius, quemadmodum tota reliqua planta, odoris, magnitudine feminibus frumentorum vulgatiorum inferius.

A lolio perenni, quod noſtris agricolis *engliſches Raigraſs* nomine venit, facile diſtinguas funeſtum hoc gramen, ariſtis illis longis rariſſime deficientibus, ſpicis minoribus longiori intervallo diſtantibus & radice annua; a reliquis graminum generibus ſolitario illo folio, quod ſingulis minoribus ſpicis ſubeſt. Farinae aut pani, aut alii cuicunque mixtioni ineſſe lolium, ex eo dignoſcas, ſi vera ſint, quae R. I. Camerarius diſſert. de lolio temulento, Tubing. 1710. tradit, quod maſſae hae in aqua coctae largiſſimam projiciant ſpumam; quod eadem farina aquae miſta fermenteſcens non adeo increſſetur, quemadmodum farina ſecalina; quod non tanta cum vi ebulliat, & quod deſtillationi, quam Chemici vocant, commiſſa, non caeruleum, uti reliqua frumenta, ſed rubicundum primo protrudat ſpiritum.

Semina igitur hujus graminis ſola, a bonorum frumentorum & ſpeciatim avenae ſeminibus minus ſollicite ſeparata, cum his commiſta, forma pultis, placentae, farinae, panisve, praecipue calidi, qui modus nocendi inter pauperes annonae caritate preſſos frequentiſſimus eſt, graviſſima, vix mitiora, poſtquam fermentando in ſpiritum ardentem aut cereviſiam tranſiere, gignunt mala; & ne ipſae quidem in conclavi clauſo a lolio torreſcente ſurgentes exhalationes R. J. Camerarii l. c. p. 8. culpa hac carent: Videas inde natas in hominibus creberrimas temulentias, *a)* permanentes capitis dolores, & gravedinem ac vertiginem, *b)* ſoporem & ſomnum ſaepe

a) Communi Scriptorum tum veterum, tum recentiorum obſervatione.

b) Ariſtotelis jam, Theophraſti & Galeni teſtimonio, quod exemplis confirmant Jo. Rud. Camerarius Syllog. memorabil. medic. & mirabil. natur. arcanor. Cent. III. Auguſt. 1624. Caſ. 91. p. 202. Seeger in R. J. Camerarii diſſert. c. p. 10. aliique plures.

pe inexpugnabilem, *c*) ſenſuum externorum hebetudinem ac depravationem, oculorum caliginem & rigorem, aurium tinnitum & perverſum uſum, *d*) leves & temporarias amentias & ſtupores, *e*) tremores artuum atque univerſi corporis, *f*) virium animalium proſtrationem, *g*) extremorum frigus, *h*) impotentiam loquendi deglutiendique, *i*) pectoris oppreſſiones atque anguſtias, *k*) ſtomachi dolores & violentas praeſertim ad utrumque oſtium conſtrictiones, conatus vomendi inanes, vomitus, *l*) ſudores largos, etiam frigidos, *m*) urinas copioſas, *n*) crebras quoque convulſiones, *o*) aliquando in paralyſin abeuntes, *p*) rariora ſanguinis profluvia, deliria, oculorum vitia permanentia, morbum attonitum, ipſamve mortem, *q*) rariſſime repentinam. *r*).

Ex granorum horum per ignem facta reſolutione, quam ſi ſequi velis, haec a multis aliis innoxiis, quin etiam ſalubribus, parum differre, deprehenderes, vix aliquid certi de modo, quo agunt, judicare licet; id certe ex recenſitis illorum effectibus

c) *Seeger* l. m. c. Linder de venenis. Lipſ. 1739. p. 538. Wierus de praeſtigiis daemonum. Baſil. 1564. III. p. 18.

d) Seeger l. c. Burghart Medicor. Sileſiac. Satyr. I. p. 47.

e) Wierus l. c. Burghart l. c.

f) Seeger l. c. R. J. Camerarius & Valentini Ephem. Nat. Curioſ. Dec. III. A. 2. p. 187.

g) Seeger & Burghart. II. cc.

h) Burghart. l. c.

i) Idem & Seeger. II. cc.

k) Iidem II. cc.

l) Iidem II. cc. & Gottl. Schober Act. Erudit. Lipſienſ. ann. 1723. p. 446.

m) Seeger & Burghart. II. cc.

n) Seeger l. c.

o) Wepfer Ephem. Nat. Curioſ. Dec. II. a. 3. p. 365. Schober, l. c.

p) Sulzer Breslauer Sammlungen. 1723. menſe Januar.

q) Burghart & Schober. II. cc.

r) Schober l. c.

effectibus patescere videtur, principem illorum humano corpori tantum infestam efficientiam particulis magis volaticis niti, quae conjectura ex eo quoque firmatur, quod vel solae hujus seminis integri adhuc excalefacti, aut in panem coacti & adhucdum calidi exhalationes sensuum aciem obtundant, teste R. J. Camerario, l. c. & quod asseverante Illustr. Linnaeo aut omnem plane nocendi vim, aut plurimam tamen ejus partem amittat, ut primum panis eo infectus vel torretur, vel refrigeratus est.

II. Plantae luridae.

Hae etiam a principe, quod sub hoc ordine militat, genere solanorum aut solanacearum indigitantur nomine, viscosae ut plurimum vel potius unguinosae tactu, graves vel ingratae olfactu, tristes, si certe florentem plantam spectaveris, solumque forte solanum nigrum exceperis, aspectu; his commune est, folia habere alternatim cauli adpositа; in floribus habere quinque stamina, singula fertilia, unicumque tantummodo ovarium, simplici tuba & stigmate instructum, quare pentandris suis adnumeravit Ill. Linnaeus, oligantheris celeberr. van Royen; habere praeterea exterius & interius floris tegumentum, quod corollam appellare placuit phytologis, ex uno folio continuo conflatum, in quinque tamen, tot scilicet, quot sunt stamina, segmenta discissum, quae ratio est, cur omnes has stirpes isostemonum tribui inserat Ill. Hallerus.

2. Datura (stramonium) pericarpiis spinosis erectis ovatis, foliis ovatis glabris; Linn. Syst. Nat. II. p. 170. Spec. plant. I. p. 255.

Stramonium foliis angulosis, fructu erecto muricato, calice pentagonio; Haller enum. I. p. 258.

Solanum foetidum, pomo spinoso oblongo. C. Bauh. Pinax. p. 168.

Stra-

Stramonium. Blakw. T. 313.

Stramonium vel Datura fructu rotundo ſpinoſo, flore albo ſimplici. Knorr theſaur. rei herbar. I. S. 13.

Gallis: Pomme epineuſe, Noix Metelle, Herbe aux ſorciers, Herbe aux Magiciens, Herbe des Demoniaques, Herbe du Diable, Herbe a la Taupe.

Belgis: Doorn-appel, Dollen-appel.

Anglis: Thorn-apple.

Graecis: Barykokkalon.

Germanis: *Stechapfel, gemeiner Stechapfel, Dornapfel, Rauchapfel, Stachelnus, Dollkraut, Tollkraut, Igelskolben.*

Annuam hanc ſtirpem, a menſe Majo ad Septembrem usque floridam, Europae olim hoſpitem, nunc inquilinam, in agro Tubingenſi, proxime ad portam Nicarinam, ad latus dextrum aedium publicarum *Zimmerhütte*, proxime ad portam Hirſavienſem, & juxta viam publicam Luſtnavienſem invenias.

Radix lignoſa, craſſa, inaequalis, fibroſa.

Caulis in numeroſos ſeſe late diffundit ramos, qui ſinguli iterum iterumque in binos diſcedunt ramuſculos.

Folia magna, lata, glabra, laete virentia, in angulis, quos exſurgentes rami conſtituunt, longis petiolis inſiſtunt, altero alteri ex adverſo poſito, plana, tenera, venoſa, figura ſua ad ovum quodammodo accedentia, & margine angulis ſinubusque, dimidiam lunam referentibus, exſculpta.

Flores grandes in angulis, quos rami vel ramuſculi cum caule aut ramis conſtituunt, vel etiam in ramis, & quidem in axillis foliorum brevibus pedunculis inſident: Exterius eorum tegmen ſive perianthium oblongum, inferius ventroſum, longam tubam referens, & quinque diſtinctis angulis inſtructum, ſuccreſcente fructu marceſcens & deciduum, ſola inferius minuta particula, quaſi circulo reſecto, relicta, quae ſemper rigidior facta, & verſus pediculum, qui calicem ſuſtentat, re-

flexa, fructum ſuccingit: Interius floris involucrum ſive corolla albidum vel album, exteriori longius, infundibuli ſpeciem prae ſe ferens, ut ex praelongo tubo in latum plicis multis inaequalem deſinat limbum; angulis quinque diſtinctum, qui ſinguli in mollem mucronem abeunt: Stamina longitudine ſua perianthium plerumque aequant, vix conſpicuo filamento ſuffulta, alia ab aliis diſtantia, apicibus oblongis, obtuſis & compreſſis inſtructa: Ovarium mediae inter ovatam & quadratam figurae, glanduloſo annulo circumdatum, tubam protrudit ſimplicem rectam, quae fili ſpeciem prae ſe fert, ad ſtamina longitudine ſua accedit, & ſtigmate craſſo, obtuſo, & quaſi ex duabus bracteis compoſito terminatur.

Capſula, quae ſemina recondit, oblonga & erecta, extus craſſis, acutis iisque rigidis in maturo fructu aculeis denſe ſtipata, quaſi ſollicita natura incurios homines & bruta animalia ab uſu viroſae hujus ſtirpis dehortari vellet, quo majorem maturitatis gradum attigit, in quatuor partes ſive valvas ſua ſponte dehiſcit, per bina ſepta transverſa decuſſantia, quorum alterum univerſam fructus longitudinem, alterum tantummodo $\frac{3}{4}$ partes ejus percurrit, ſquamis convexis ac punctatis, quibus ſemina inſident, inſtructum, intus in quatuor loculos, quorum bini in ſuperiore fructus parte in unum rurſus confluunt, diſtincta.

Semina rugoſa, renes figura ſua aemulantia, nigra, numeroſiſſima, preſſim ſibi invicem incumbunt, ſaepiſſime infauſtiſſimo cum eventu pro ſeminibus nigellae divendita, a quibus tamen manifeſtiſſime in eo diſcrepant, quod majora longe & latiora, aut nullum ſpirent, aut certe non aromaticum odorem.

Vegetabilis hujus & herba *a*) ejusque vapores in conclavi clauſo exhalantes, *a**) & flores, *b*) & fructus, *c*) &

a) Doederlin Commercium literar. Noric. 1744. p. 15.

*a**) Stoerck *Abhandlung von dem ſichern Gebrauch und der Nutzbarkeit des Stechapfels, des Bilſenkrauts und des Eiſenhütleins, überſetzt von* Schinz. Zürch 1763.

b) Ex Garcia J. Bauhinus l. c. T. III. P. II. p. 625.

c) & ſemina praecipue eorumque torreſcentium exhalationes *c**) nunc malo dolo, nunc ex imprudentia ingeſta in Aſia & America *d*) aeque ac in Europa, pro alia atque alia doſi, forma, mixtione, corporis, in quod recipiuntur, conſtitutione, inebriant, *e*) memoriae exercitium aut ſuſpendunt aut tollunt, *f*) deliros, *g*) amentes, *h*) inſanos, quin rabioſos *i*) reddunt homines, ſagarum ſomnia inducunt, *i**) convulſiones,

c) Sauvages noſolog. methodic. T. III. P. I. Amſtelod. 1763. p. 364. Eſſays and obſervations read before a Society of Edinburgh. Vol. II. art. 11. p. 217.

*c**) Schinz in praef. ad Ill. Stoerckii Abhandlung. p. LXX.

d) De Aſia v. J. Bauhin l. m. c. Sauvages l. c. p. 364. Kaempfer amoenit. exotic. faſcic. III. obſerv. 15. p. 650. niſi haec potius ad Daturam Metel pertineant, quemadmodum videtur Celeberrimo Guerin differt. de vegetabilibus venenat. Alſatiae. Argentor. 1766. p. 31. De America v. Tranſactions of the americain Society for promoting uſeful Knowledge. Vol. I. 1769. of phyſ. art. 3. Krauſe *Unterricht von der Gärtnerey. Berlin* 1773.

e) Commerc. liter. Noric. 1744. p. 14.

f) Sauvages l. c. ex a Coſta J. Bauhinus l. c. Ill. Linnaeus amoenit. acad. Vol. V. p. 154. Schinz in praefat. ad Stoerckii Abhandlung c. p. LXIX.

g) Nunc ferocius, Kramer commerc. liter. Noric. 1733. p. 252. nunc mitius & grate. Lobſtein ad Guerin. diſſertat. c. p. 72. Sauvages l. c. Kaempfer l. c. (ſi quidem eadem ſit planta) Eſſays and Obſervations read bef. a Societ. of Edinb. l. c. Büchner Miſcellan. Wratislavienſia. 1727. p. 122.

h) Quo ſceleſto artificio uſos fuiſſe lenocinium exercentem feminam & effoetum ſcortatorem, ut inſontes puellas ad venerem proclives redderent; Sauvages l. c. & p. 376. Kaauw Boerhaave Impet. fac. dict. Hippocr. Lugdb. 1745. p. 282. ut eo minori cum periculo facinora ſua patrare poſſint, latrones aliosque nequam; Kramer, Sauvages, l. c. T. II. P. II. p. 429. ex Garcia J. Bauhinus ll. cc. ut maritos ſuos tranquillos habeant ſcelerum ſuorum ſpectatores, adulterae Indae. Bernier apud Schinz l. c. p. LXX.

i) Ephem. nat. Curioſ. Dec. III. A. 3. Obſ. 170. Commerc. liter. Noric. 1744. p. 14. Lobſtein l. c. p. 73.

*i**) Sauvages l. c. T. III. p. 593.

nes, *k*) tremores, *l*) ſudores frigidos, *m*) ſopores, *n*) tendinum plerumque ſubſultibus *o*) ſtipatos, ipſum morbum attonitum *p*) excitant; artuum vigorem, mobilitatem & ſenſibilitatem ſupprimunt vel delent, *q*) ſiccitatem & ſitim creant intolerabilem, *r*) vires cordis mirifice minuunt, *s*) ſenſuum aut aciem obtundunt, aut exercitium tollunt, vertiginem, *t*) praeternaturalem pupillae eamque refractariam dilatationem, *u*) oculorum ſcintillationes, rigores *v*) & loquendi impotentiam, *w*) nunc immodicos in univerſo corpore ardores, *x*) nunc membrorum frigus generant; *y*) nonnunquam etiam inanes vomendi

k) Nunc univerſum corpus, ut nulla pars libera maneat; Lobſtein. l. c. Commerc. liter. Nor. 1744. p. 14. 16. Kramer. l. c. nunc quaedam tantummodo membra concutientes; Kaauw Boerhaave, Sauvages & Büchner ll. cc. his etiam arte ſua plantam hanc aut affinem clam ingerente excitatis non idolo obſeſſas virgines veſtales ignarae plebeculae offerunt gentilium ſacerdotes Brachmanes, Kaempfer. Amoen. exot. Faſc. III. p. 651.

l) Labiorum, manuum & pedum. Kaauw. l. c.

m) Lobſtein l. c. ex Barrete Haller. l. c. I. p. 259.

n) Modo praecedentes, modo ſequentes, delirla aut convulſiones; nonnunquam profundiſſimos, interdum ſtertoroſos, furibus & moechis quam maxime opportunos. Sauvages, Kaauw Boerhaave, Commerc. lit. Nor. ll. cc. Troppanneger medicin. legal. p. 296.

o) In quo effectu notam veneni principem ponit Ill. Haller. l. m. c.

p) Büchner l. c.

q) Sauvages l. c. Med. Eſſ. and Obſervat. read bef. a Societ. of Edinb. Vol. II. p. 247.

r) Sauvages l. c. Med. Eſſ. a. Obſ. of Edinb. l. c. Miſcell. Lipſ. XI. P. II. p. 241.

s) Ut pulſum celerem & parvum interruptum tetigerint Medici. Medic. Eſſ. a. Obſ. r. bef. a Soc. of Edinb. l. c. Kaauw Boerhaave l. c.

t) Medic. Eſſ. of Edinb. l. c.

u) Lobſtein l. c.

v) Kaauw Boerhaave l. c.

w) Idem & Sauvages. ll. cc.

x) Lobſtein l. c. Commerc. litter. Noric. 1744. p. 14.

y) Med. Eſſ. and Obſerv. of Edinb. Vol. II. l. c.

di conatus atque in regione ventriculi pruritum ad ſcalpendum incitantem, z) temporarios abdominis tumores, *aa)* atroces capitis dolores, *bb)* faciei rubores, *cc)* menti horrorem, *cc*)* impudentiſſimam libidinem, dentium ſtridorem, inſpirationem diuturnam, exſpirationem celerrimam *dd)* inducunt, atque haud raro ſubito, vel brevi tamen temporis ſpatio occidunt, *ee)* externe etiam oculis impoſita ejus folia triſtiſſimam pupillae produxere paralyſin. *ff)*

3. Datura (Tatuta) pericarpiis ſpinoſis erectis ovatis, foliis cordatis glabris dentatis. Linn. S. N. II. p. 170. Sp. pl. I. p. 256.

Stramonium majus purpureum. Rai. hiſt. p. 748.

Blaeulichter Stechapfel.

Floret Auguſto & Septembri ad latus ſiniſtrum aedium publicarum *Zimmerhütte.*

Priori quam proxime accedit, in eo tamen differt, quod duplo priore major ſit, quod caulis ejus laevis dilutiore purpurae colore, puncta alba interſperſa habeat, & ad acutum dividatur angulum, quod flores ejus pallide caerulei, & quod dentes, qui marginem foliorum circumcludunt, multo ſint acutiores.

Tot notis externis & gravi etiam odore cum priore conveniens planta, vix dubium ſupereſt, quin eandem quoque cum illa in corpus humanum edat funeſtam efficacitatem, licet certa,

z) Commerc. lit. Nor. 1744. p. 14.

aa) Ibid. & Lobſtein. l. c.

bb) Commerc. litter. Noric. 1744. p. 16. Ill. Stoerck. l. c. p. 6.

cc) Kaauw Boerhaave, Lobſtein, ll. cc. Commerc. liter. Nor. 1744. p. 14.

cc)* A contuſa datura & euphorbio naribus admotis, van Eems in Boerhaav. praelect. de morb. nervor. T. I. p. 237.

dd) Kaauw Boerhaave l. c.

ee) Sauvages & Büchner l. c. Krauſe l. c.

ff) Ex Raji obſervatione Guerin. l. c. p. 31.

certa, quae conjecturam hanc confirment, nobis desint testimonia.

4. Hyoscyamus (niger) foliis amplexicaulibus sinuatis, floribus sessilibus. Linn. S.N. II. p. 170. Spec. plant. I. p. 257.

Haller histor. stirp. indig. Helvet. I. p. 254. no. 580.

Hyoscyamus vulgaris & niger. C. Bauhin. Pin. p. 169. Knorr thesaur. rei herbar. I. P. 3.

Hyoscyamus vulgaris J. Bauhin. Hist. plant. univ. T. III. P. II. p. 627.

Hyoscyamus niger. Blackw. T. 550.

Apollinaris Cordi.

Arabibus: Bendtsch, Sicaran.

Graecis: Hyoscyamos.

Italis: Giusquiamo.

Hispanis: Velenho, Velenno, Meimendro.

Anglis: Hennequalt, Hanebane, Henbayne, common wild Henbane, black Henbane.

Belgis: Bilsen, Swerte Bilsen, Bilsencruyt, ende Bilsencruydt, swart Bilsenkruyd.

Gallis: Hanebane, Endormie, Herbe aux tignes, Jusquiaume, Jusquiaume noir.

Ungaris: Belend.

Germanis: *Bilsenkraut, gemeines Bilsenkraut, schwarzes Bilsenkraut, Bilsensamen, Dollkraut, Schlafkraut, Ziegeunerkraut, Rindswurzel, Säubonen, Teufelsaugen.*

Frequentem in montibus, sterilibus, saxosis, incultis, Majo & Junio floribus onustam biennem hanc reperies plantam.

Unguinosus, qui universam plantam obducit, viscus, & gravis, virosus, ingratissimus, somnifer odor, diu etiam digitis tangentium adhaerens, de latente veneno suspectam reddunt stirpem.

Radix crassa, rugosa, pinguis, dulcis, foris fusca, intus alba, longa, fusi quodammodo prae se fert speciem.

Reliqua planta longiusculis iisque mollibus pilis obtecta.

Caulis

Caulis craſſus, ulnam ſaepe altitudine ſuperans, foliis plurimis obſeſſus, ramos multos ex alis foliorum protrudit.

Folia molliſſima, inferiore ſui parte caulem arcte amplectentia, ad utrumque marginis latus triangularibus iisque acutis dentibus inſtructa, qui amplos inter ſe relinquunt ſinus, a radice ad caulis usque apicem decreſcentia, alias etiam magnitudine inaequalia, ut inter majora ſaepius intercurrant minora.

Flores nullo vel breviſſimo petiolo ſuffulti, quini, quaterni, terni, bini, ſaepiſſime ſolitarii, alternatim cauli vel ramorum lateri verſus apicem eorum adſidentes, ſpeciem ſpicae, quam ſecundam vel unilateram ſalutare Botanicis placuit, formant. Exterius viride integumentum floris figura ſua campanam utcunque refert, matureſcente fructu inferiore ſui parte amplius redditur, in ſegmenta acuta inaequalia diviſum, foris hirſutum, marceſcens & rigidius factum permanet, & maturum fructum includit; interius floris involucrum luteolum, & venis ſubtiliſſimis purpureis, cancellos & retia formantibus, exaratum figura ſua accedit infundibulo, cujus brevis tuba inaequali, patente, in ſegmenta obtuſa iniqua diſciſſo terminatur limbo. Filamenta inaequalia, inclinata, purpurea ſuſtinent apices ſulphureo polline refertos: Ovarium ſubrotundum, annulo pulpoſo cinctum, breviſſimo quaſi petiolo innixum, in tubam tenuem purpuream abit, quam craſſum, rotundum, inclinatum & excavatum terminat capitellum.

Fructus ovum figura ſua refert, per totam longitudinem ſulco percurſus, operculo, globum dimidiatum aemulante, matureſcente fructu ſua ſponte decidente, tectus per tenue, pellucidum ſeptum transverſum in binos aequales loculos partitus, in maximis ſepto transverſo adfixis, ovi dimidiati ſpeciem prae ſe ferentibus receptaculis ſemina recondit numeroſiſſima, nigra, parva, renes figura ſua aemulantia, punctata atque aſpera.

Partes hujus plantae variae, exhalationes ipſae, *a*) radices, *b*) herba, ſive cruda, ſive in ſucco expreſſo, *c*) ſive in decocto, *d*) ſive in unguento, *e*) & ſemina potiſſimum *f*) aut foris

a) Ephemer. Nat. Curioſ. Dec. III. ann. 7. 8. obſerv. 66. IX. & X. append. 179. de magno Boerhaavio Haller. l. c. p. 254. & Eems l. c. T. I. p. 236. S. G. Gmelin, optimus Patruelis, Flor. ſibir. T. IV. p. 93.

b) Cum radicibus gentianae luteae commiſtae, Miller Figures of the moſt beautifull, uſefull and uncommon plants. Vol. I. Lond. 1760. cum radice oenotherae biennis comeſtae, Id. *allgemeines Gärtnerlexicon aus dem engliſchen überſezt. 2ter Theil Nürnberg.* 1772. p. 300. loco radicum cichorei Intybi comeſtae, Wepfer. Hiſtor. cicut. aquatic. Baſil. 1716. p. 230. S. Paulli Quadripart. botan. p. 247. Wedel Ephem. Natur. Curioſ. Dec. I. ann. 3. p. 33. obſ. 21. Hünerwolff ibid. Dec. III. ann. 2. Schulz. ibid. ann. IV. & V. p. 126. obſ. 124. El. Camerarius Act. Nat. Curioſ. Vol. I. p. 250. & disquiſit. extemp. de venenor. indole & dijudicatione. Tub. 1725. Büchner. Miſcell. phyſ. med. mathem. 1729. p. 60. Alberti jurisprud. Med. I. p. 271. Patouillart Hiſtoire de l'Academie de Paris 1737. p. 78. J. G. Gmelin B. Patruus, *Reiſen durch Sibirien* III. p. 511. Storch *Abhandlung von Kinderkrankheiten. Eiſenach* 1750. IV. p. 470. Threlkeld Synopſ. ſtirpium hibernicar. Dubl. 1727. p. 12. 13. Sauvages Noſolog. method. T. III. P. I. p. 366. P. Borellus hiſtoriar. & obſervat. med. phyſicar. Cent. IV. obſ. 45. Raulin vapeurs p. 269. 270. v. etiam Philoſoph. Tranſact. nro. 429. Journal de medecine & de chirurgie 1756. Fevr. 1763. Juill.

c) Chevalier (ſi quidem ſit herba, neque alia plantae pars) Hiſtoire de l'Academie de Paris 1709. p. 50. eadem herba in acetario. Bertrand l. m. c. 1737. la Serre Ephem. Nat. Cur. Dec. II. a. VI. p. 162. in annonae caritate preſſo ſene ex uſu crudae herbae, atrociſſima mala ipſa morte terminata excitata vidit lectiſſimus amicus, Weinmann, Reutlingenſium medicus ordinarius.

d) Clauder, Grünwald & Scaliger. E. N. C. Dec. II. A. I. p. 340. Dec. II. A. 6. p. 362. D. III. A. 9. 10. in app. p. 178. Sauvages l. c. p. 366.

e) Qua ſub forma uſurpatae plurimum debere ſagarum phantaſmata, Gaſſendi & Lacunae teſtimonio conſtat.

f) Matthiolus Comment. in VI. libr. Dioſcor. &c. Venet. 1565. p. 1064. Helmont Jus Duumvirat. §. 22. loco ſeminis anethi Alexandrinus apud J. Schenck, Obſervat. med. rar. novar. admirab. & monſtroſ. L. VII. p. 879. Jo. Matth. Faber Strychnomania. Aug. Vindel. 1679. Lobel Nov. ſtirp. adverſ. Antwerp. 1576. p. 107.

foris ſub ſpecie fumi, *g*) ſacculi, *h*) lotionis, *i*) vel ſagarum artificio *k*) adplicita, & per oſtia vaſorum in ſuperficie corporis diſperſa, reſorpta, aut per anum forma clyſmatis, *l*) vel per os *m*) varia ſub forma corpus ingreſſa pro alia atque alia doſi, *n*) for-

107. J. Bauhinus. l. c. Ill. Haller l. c. Miller *Gärtnerlexicon*, p. 541. Barrere obſervat. d'Anatomie. 1753. Bierling adverſ. curioſ. Cent. I. n. 2. Jen. 1679. Blair miſcellan. obſervat. in phyſ. anat. ſurgery and botanik. Lond. 1718. p. 82. P. Spindler obſervat. centum, Francof. 1691. obſ. 14. Williſ. de anima brutor. exerc. II. p. 227. Wedel. l. c. Grünwald. ibid. Dec. III. A. 9. 10. p. 179. Garmann (ſi vera ſit fabula) ib. D. III. a. 7. 8. J. Conr. Gmelin, B. Patruus, ex recenſione Ehrhardi Commerc. litter. Noric. 1736. p. 101. 102. pro avellanis, Sloane philoſoph. Tranſact. n. 451. Planchon Journ. de Medec. &c. T. XIX. p. 43. Stiſſer Act. Helvet. T. V. p. 333. Hoyer Act. Nat. Curioſ. Vol. V. p. 261. Jacobaeus Act. Haſnienſ. I. p. 209. de Rueff Nov. Act. Nat. Cur. Vol. IV. obſ. 59. p. 243. Amicus ſuaviſſimus, Ofterdinger, Balingenſium Poliater expertiſſimus.

g) Lobel, J. Bauhinus, Jacobaeus, Faber, Grünwald, de Rueff. ll. cc. Hagedorn, obſervat. & hiſtor. med. pract. Lipſ. 1698. Cent. III. n. 98.

h) Scaliger & Grünwald ll. cc.

i) Clauder l. c.

k) Forma ſcilicet unguenti ano immiſſi, quo artificio paſtor ſe pro lubitu ſagarum celebri conventui intereſſe poſſe, perſuaſiſſimum ſibi habebat, Gaſſendo teſte apud Garidel hiſtoire des plantes, qui croiſſent autour d'Aix & dans pluſieurs endroits de Provence. Aix 1715. & ſui etiam temporis lamias uſas fuiſſe, Lacuna Annotat. in Dioſcorid. Lugd. 1554.

l) La Serre & Grünwald ll. cc. Marquet Venimecum de botanique 1773. Paris. Vol. 2.

m) Non mutata aut forma acetarii, oleris, obſonii, medicamenti, Ettmüller teſte Crantz. l. c. p. 49. Navier Recueil periodique IV. p. 114. Matthiolus, Helmontius, Alexandrinus, Jo. G. Gmelin, Alberti, Borellus, S. Pauli, Miller, Ill. Haller allique ll. cc. Ofterdinger.

n) A medio ſeminis ſcrupulo maximum vitae periculum, Ehrhard. l. c. a ſcrupulo epilepſiam, J. G. Gmelin l. c. a binis ejus drachmis amentiam, Helmontius l. c.

forma, *o*) modo adplicandi, *p*) pro alia atque alia hominis, cui adhibetur, aetate, *q*) vitae genere, *r*) reliqua corporis conſtitutione *s*) alia atque alia, modo mitiora, modo atrociora, modo temporaria, modo permanentia, modo continua, modo remittentia, modo intermittentia & certo temporis ſpatio recurrentia, modo eodem tempore conjuncta plurima, modo ſe invicem inſequentia, modo pauciora; modo excuſſo veneno cedentia, modo remanentia aut tunc demum nata, ſanitati ipſique vitae inferunt damna; deliria levia, *t*) laeta,

o) Sic recens, cruda, nuda planta intus ingeſta violentius agit, quam effoeta, decocta, in extractum inſpiſſata, aut acido vegetabili oleove munita & involuta, quo fit, ut volaticae nocentiſſimae plantae partes vel abigantur, vel enerventur, unde monachorum apud Wepferum l. c. ſalvata vita, unde, quod priori forma fuit venenum, poſteriori prudenti praeparatione & uſu fit medicina.

p) Sic per os in ventriculum ingreſſa, ceteris paribus, potentiſſime agit, quod ſic ſenſiles & conſentientes univerſi corporis nervi diutius exhalantium particularum actioni exponantur; ſic calide adhibita planta vehementius & citius operatur, quam frigide uſurpata, quod hac ratione particulae virulentae, a reliquis extricatae & copioſiores tanto liberius, tanto celerius, tanto majori cum efficacitate & penetrare in corporis interiora, & nervos tam in origine, quam in decurſu ſuo ferire poſſunt.

q) Aliter afficiunt infantes, aliter adultos, aliter ſenes, illos plerumque ceteris paribus gravius, potiſſimum eo, quod nervi magis ſenſiles, muſculi magis irritabiles hoſtem hunc expulſuri majores turbas inducunt, ut etiam necent. Wedel. E. N. C. D. I. a. 3. p. 32.

r) Sic ruſticos neci datos S. Paulli l. c. cauſſidicum, ſtudioſos Schulze l. c. monachos ſervatos referunt Helmontius, Ryſer apud Wepfer. Chevalier & Grünwald ll. cc. ſtudioſos furentes, coquum ſopore oppreſſum, Schulze l. c.

s) Alium in ſanos, alium in aegros exſerunt effectus, ut, quod ſanis omnibus, quod aegris plurimis nocentiſſimum fuit corpus, docentibus Ill. Stoerckii periculis, in convulſionibus & furoribus aliisque affinibus morbis, nulla febre ſtipatis, cauto & circumſpecto uſu praeſtantiſſimum ſit medicamentum.

t) Sauvages, Wedel & J. G. Gmelin ll. cc. de ſodali Ill. Hallerus l. c.

laeta, *u*) ridicula, *v*) tranquilla, *w*) triſtia, *x*) ſagarum, *y*) febre ſtipata, *z*) graviora, *aa*) rixoſa, *bb*) permanentia, *cc*) periodica, *dd*) ferociora, *ee*) & ferociſſima; *ff*) amentias, *gg*) ſtupores, *hh*) ebrietatem, *ii*) vertiginem, *kk*) ſenſuum omnium ſuppreſſionem, *ll*) viſum obſcuratum, *mm*) debilitatum, *nn*) deprava-

u) Lobel l. c.

v) Borellus, & Ryſer apud Wepferum ll. cc.

w) In exemplis modo litt. *t*, *u*, *v*, citatis.

x) Patouillart. l. c.

y) Garidell & Lacuna ll. cc.

z) Expreſſis verbis ſpectantium Medicorum notatam vix invenias, ſed ex concomitantibus malis facile colligas, huc pertinere obſervationes plurimas.

aa) Huc referas teſtimonia literis ſequentibus, *bb*) *cc*) *dd*) *ee*) *ff*) citata.

bb) Ex Bartholeto Ettmüller Colleg. pract. doctrin. P. I. p. 880. a Schulze, Grünwald, Garmann ll. cc. unde alterci nomine inſignitum fuiſſe hyoſcyamum, ſunt, qui putant. Scribonius Largus de compoſit. medicament. nro. 181.

cc) Barrere, Grünwald ll. cc.

dd) Grünwald l. c.

ee) Büchner, Patouillart, Schulze & Grünwald. ll. cc. Miller l. m. c. p. 300.

ff) Ut cacodaemonibus obſeſſi crederentur homines, Matthiolus l. c. ut per campos diſcurreret & uxori violentas inferre manus tentaret, Faber. l. c. alia ejusmodi v. Planchon & Grünwald l. c.

gg) S. Paulli, Helmontius, Hünerwolff, Alexandrinus apud Schenkium, Faber ll. cc.

hh) Journal de Medecine 1756. Fevr. Hünerwolff, J. Bauhinus, Ryſerus apud Wepferum, J. C. Gmelin, Wedel & Ehrhard ll. cc.

ii) Alberti, Wedel & Lobel. ll. cc. de Boerhaavio Ill. Haller l. c.

kk) Hünerwolff, Alberti, Miller, J. G. Gmelin, Sloane, Ryſer apud Wepferum, Jacobaeus, Grünwald. ll. cc. Philoſoph. Tranſact. n. 429.

ll) S. Paulli, la Serre, Ehrhard & J. C. Gmelin ll. cc.

mm) Ex proprio Ill. van Swieten periculo Crantz. l. c. in alio exemplo Sauvages l. c. Hünerwolff, Sloane ll. cc.

nn) Ryſer apud Wepferum l. c.

pravatum, *oo*) duplicatum, *pp*) perditum, *qq*) oculos inflammatos, *rr*) loquendi impotentiam, *ss*) balbutiem; *tt*) ſenſum brachiorum deſtructum, *uu*) motum in alterutro pede & brachio ceſſantem, *vv*) ſomnolentiam, *ww*) ſopores profundos, *xx*) ſemiſomnos, *yy*) diuturnos, *zz*) inſomniis horrendis turbatos, *aaa*) aliquando in morbum attonitum terminatos, *bbb*) vaſorum, quae membranas cerebrum complectentes percurrunt, tumorem nimium, *ccc*) capitis debilitatem, *ddd*) memoriae infirmitatem, *eee*) rigores, *fff*) convulſiones univerſi corporis, *ggg*) & ſpeciatim muſculorum faciei, *hhh*) maxillae inferioris, *iii*) oculo-

oo) Ut literas animatas crederent, Id. ut omnia ſcarlato tincta viderentur, Patouillart. l. c.

pp) Id. l. m. c.

qq) Hünerwolff. l. c.

rr) Navier l. c.

ss) Patouillart & Sauvages ll. cc.

tt) Stiffer l. c.

uu) Clauder l. c.

vv) De Sodali ſuo refert Ill. Haller l. c.

ww) J. C. Gmelin, Hagedorn, Wedel, Stiffer, J. Bauhinus ll. cc.

xx) Schulze, Hünerwolff, Alberti & Sloane ll. cc.

yy) Planchon. l. c.

zz) Miller l. c. p. 540. Hünerwolff. l. c.

aaa) Planchon l. c. quo etiam ſagarum inſomnia ſpectant.

bbb) Id. ibid.

ccc) Barrere. l. c.

ddd) Jacobaeus l. c.

eee) Ex Ill. van Swieten periculo Crantz. l. c.

fff) J. C. Gmelin, Hünerwolff, Alberti ll. cc.

ggg) Patouillart, El. Camerarius, Hünerwolff, Planchon ll. cc. Weinmann, Ofterdinger.

hhh) Unde facies turbata & riſus ſardonius, Patouillart, Stiffer ll. cc.

iii) Unde dentium ſtridor, J. C. Gmelin l. c.

oculorum, *kkk*) ac faucium, *lll*) morbum ipſum caducum, *mmm*) tremores membrorum, *nnn*) debilitatem totius corporis, *ooo*) dolores per univerſum corpus vagantes, *ppp*) & praeſertim capitis *qqq*) & inteſtinorum, *rrr*) crudeles; vitia digeſtionis varia, nauſeam, *sss*) vomendi conatus inanes, *ttt*) vomitum ſaepe pertinacem, *uuu*) ructus & murmura in inteſtinis, *vvv*) imo ſecantem in ventriculo ſenſationem, *www*) & dolorem atrocem, *xxx*) ejus inflammationes particulares in gangraenam abeuntes, *yyy*) ſitim inſignem, *zzz*) ardorem & ſiccitatem oris, linguae & faucium, *ab*) aquae & potulentorum omnium pertinaciſſimum faſtidium, *ac*) interdum alvi profluvia, *ad*) inflationem abdominis, *ae*) tumores artuum, *af*) ſudorem frigidum, *ag*) micti-

kkk) Inde oculi inverſi & turbati, id. Stiffer, Alberti ll. cc.

lll) Hünerwolff, Sauvages ll. cc.

mmm) J. C. Gmelin, Planchon, Faber, El. Camerarius, Scaliger ll. cc.

nnn) Alberti l. c. J. C. Gmelin, de ſartore Ryſerus l. c.

ooo) Stiffer, Navier, Sauvages ll. cc.

ppp) Ryſerus l. c.

qqq) Chevalier, Sauvages & Planchon ll. cc.

rrr) Ryſerus l. c.

sss) Hünerwolff l. c.

ttt) J. G. Gmelin l. c.

uuu) Haud raro ſalutares, Hünerwolff in tribus caſibus. l. c. Oſterdinger.

vvv) Alberti l. c.

wvvv) Idem.

xxx) Idem & Miller l. c. p. 300.

yyy) Maculas nigras in cadaveribus Barrere l. c.

zzz) Sloane, Ryſerus ll. cc.

ab) Miller, Ryſerus ll. cc.

ac) Barrere l. c.

ad) Quae a debilitate inteſtinorum deducit Ill. Haller, Hünerwolff, l. c. & Slevogt de virtute hyoſcyami cathartica. Jenae 1715.

ae) Alberti, Blair ll. cc.

af) Clauder l. c.

ag) Alberti l. c.

mictionem impeditam, *ah*) varia circuitus ſanguinis vitia, diverſi generis febres, *ai*) animi deliquia, *ak*) cordis palpitationes, *al*) pallores, *am*) & livores, *an*) pulſum debilem, vacillantem & inordinatum, *ao*) reſpirationis denique difficultatem, *ap*) praecordiorum ſummam anguſtiam, *aq*) impotentiam ad coitum *ar*) atque haud raro mortem. *as*).

5. Atropa (Belladonna) caule herbaceo, foliis ovatis integris. Linn. S. N. II. p. 171. Linn. Spec. Pl. I. p. 260.

Belladonna caule herbaceo brachiato, foliis ovato-lanceolatis integerrimis. Haller Hiſt. ſtirp. indig. Helv. T. I. p. 251. n. 579.

Solanum melanoceraſos. C. Bauh. Pin. p. 166.

Solanum manicum multis ſive Belladonna. J. Bauh. Hiſt. pl. univerſ. T. III. P. II. p. 611.

Belladonna. Blackwell. T. 564.

Solanum furioſum. J. Matth. Faber Strychnomania. Auguſt. Vindel. 1667.

Graecis: Strychnon manicon, Strychnon perſion, Strychnon periſſon, Strychnon peritton, Threvon, Thrygron, Bryoron,

ah) Chevalier, Sauvages ll. cc.

ai) Diſtincte Planchon, & J. C. Gmelin, niſi in poſteriore caſu ab antecedente potius morbo deducenda ſit.

ak) Hünerwolff & Faber ll. cc.

al) Alberti l. c.

am) Univerſales, idem.

an) Faciei, El. Camerarius l. c.

ao) Stiſſer l. c.

ap) Hünerwolff l. c.

aq) Idem, Wedel & Alberti, El. Camerarius ll. cc.

ar) De Rueff. l. c.

as) In ruſticis, S. Paulli l. c. in puero, Wedel l. c. C. L. Walther theſaur. medico-chirurgicar. obſervationum, Lipſ. 1715. n. 49. Marquet l. c. Weinmann.

oron, Enoron, Orthogyon, Pentadryon, Anydron, Mandragoras, Melanocerasos.

Italis: Bella donna.

Hispanis: Yerva mora major, Accareadora de svenno.

Anglis: Dwale, deadly Nightshade, great Morell.

Belgis: Dollmakende Nachtschade, groote Nascaye, Dulle besien, Dulcruyd.

Gallis: Morelle marine, Belladonna.

Bohemis: Lilek Wetffy.

Germanis: *Wolfskirschen, gemeine Wolfskirschen, Dollkirschen, Tollkraut, Dollwurz, Dollbeere, Teufelsbeere, Wutbeere, Schlafbeere, Schlafkraut, Säukraut, Waldnachtschatten, toedlicher Nachtschatten, Walkenbaum, Bollwurz.*

Frequentem satis hanc plantam mensibus Junio & Julio floridam conspicias in silva Bebenhusana *Jordan*, & in montibus *Rosberg* & *Heuberg*.

Radix crassa, longa, ramosa, per plures annos durans, & incorrupta perstans protrudit caulem erectum, mollem, in multos ramos, brachii ad instar extensos, diffusum, pollice ut plurimum crassiorem, & sex nonnunquam pedes altitudine aut aequantem, aut superantem.

Folia magna, aliquando paulo minora, mollia, iniqua, bina plerumque, singula petiolis brevibus innixa cauli adsident, hirsuta, margine neque dentibus neque sinubus inaequali, mediae inter ovi & lanceae figurae.

Flores ex axillis foliorum nascuntur, solitarii singuli singulari petiolo insidentes; tegumentum exterius viride, interiore longe brevius, in segmenta triangularia dissectum, campanae formam utcunque refert; interius coloris ex virescente in purpureum transituri, tristissimi, multoque tristioris, quam quidem Blackwelliana imago exprimit, tubum refert media parte ampliorem, & in segmenta brevia triangularia, numero, quinario tamen vix minore, & magnitudine inaequalia, divisum. Stamina incurvata, neque ulla inter se parte cohae-

rentia, ſed potius alterum ab altero remotum. Ovario ſolitario inſidet tuba apice curva, & ſtigmate reniformi terminata.

Bacca globoſa, nigerrima & ſplendens, ut ceraſorum nigrorum faciem induta tanto facilius imponat ignaris, fatua, dulcis, per ſeptum in binos diſpertitur loculos, ſeminibus numeroſis, ſubrotundis & punctatis plenos.

Suſpectae jam colore lurido florum ſtirpis & radix, *a*) & folia, *b*) & baccae, *c*) innumeris fere & pro alia atque alia forma,

a) Dioſcorides Libr. de materia medica VI. Cap. VI. Matthiolus l. c. p. 1413. Lobel & Pena Adverſar. p. 103. Sicelius diatrib. de belladonna. Jenae 1724. M. B. Valentini Act. Nat. Curioſ. Vol. II. Obſ. 119. p. 274. Carl ibid. Vol. IV. p. 324. Obſ. 86.

b) Thalius Sylv. Hercyn. Francof. 1588. p. 105. Hiſtoire de l'Academie Royale de Paris 1756. p. 72. Lambergen ephemerides perſanati carcinom. Groening. 1754. Ill. van Haen rat. med. T. II. p. 45. Roncalli Parolini Europae medicina. Brix. 1747. p. 443. Bromfield account of the engliſh Nightshades and their effects, and the uſe of Salſaparilla. London. 1757. Timmermann periculum medicum Belladonnae. Rintel. 1765. & ipſo teſte Degner. Journal de Medecine &c. Vol. XI. p. 509. 511. ibid. 1757. mois Aout. & 1759. Aout. ex Rajo Miller, l. c. I. p. 319. Ephem. Nat. Curioſ. Vol. II. obſerv. 119. Weinmann.

c) Matthiolus. *Kräuterbuch. Francfurt.* 1600. IV. B. *Cap.* 72. p. 376. b. Ollinger apud Tragum ſive Bocks Hiſt. plant. L. I. p. 101. hic ipſe ibid. Lobel & Pena. l. c. p. 103. Greg. Horſt. oper. omn. II. p. 488. Gerard Herbal. Lond. 1597. p. 341. Bodaeus a Stapel in not. ad Theophraſti hiſtor. plantar. Libr. IX. cap. 12. p. 586. Paulli l. c. Claſſ. 3. El. Camerarius apud Wepfer. l. c. p. 227. Alberti jurisprud. med. T. III. p. 580. Mappus hiſtor. plantar. Alſat. p. 36. Scopoli flora carniol. p. 288. Manetti virid. florent. Florent. 1751. p. 21. Sauvages l. c. T. II. P. II. p. 29. & 338. T. III. P. II. p. 497. Wier obſerv. rat. T. II. p. 10. 108. Blair l. c. p. 81. Heucher novi proventus horti medici Wittenberg. 1713. p. 977. Buchanan. Hiſt. Scot. Libr. VII. van Swieten apud Crantz. l. c. III. p. 42. in tredecim caſibus J. M. Faber l. c. & apud hunc Brotbequius; Goeckel *fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen.* 3. B. *Nürnb.* 1758. p. 44. Albrechti Commerc. litter. Noric. 1731. p. 332. Schreck ibid. 1743. p. 61. Wagner Ephemer. Nat. Curioſ. Dec. II. a. 10. Obſerv. 108. Valentini ibid. obſerv. 118. Dillenius ibid. Dec. III. a. 7. p. 279. Haſeneſt Act. Nat. Curioſ. Vol. III. obſerv. 85. p. 282. Schuſter ibid.

forma, *d*) pro alia atque alia dosi, *e*) quâ corpus ingrediuntur, pro alia atque alia corporis, cui adhibentur, aetate, *f*) constitutione, *g*) pro alio atque alio adplicandi modo *h*), diversis sanitati & ipsi vitae corporis humani insidiatur: hinc legas subortas

ibid. Vol. VI. obs. 61. p. 165. Rau ibid. Vol. X. obs. 24. p. 90. & Grimm Nov. Act. N. C. Vol. II. obs. 60. p. 216. Launay d'Hermont Histoir. de l'Acad. de Paris. 1756. p. 72. du Moulin Journal de medecine &c. T. XI. m. Aug. art. 5. p. 119. de St. Martin ibid. T. XVIII. m. Apr. p. 144. Optimus Patruelis, Eb. Gmelin, Physicus Chaeropolitanus expertissimus.

d) Forma cruda, qua nocentissimae baccae, forma alimenti, oleris, vini, quo artificio usos esse Scotos, ad Danos obsidentes dolose pellendos, Buchanan. l. c. sic radicibus ante fermentationem musto immistis ad dementandos alios usi sunt nebulones, Porta magiae naturalis L. II. p. 165. sic vini succo baccarum infecti libris duabus occisus civis, Mappus l. c. medicamenti, pulveris, infusi aquosi, vinosi, qua utebantur veteres, ut parasitis fastidium inducerent; Matthioli Comment. l. c.

e) Sic radicem dosi scrupuli unius, Matthiolus l. c. scrupuli dimidii dosi, M. B. Valentini l. c. foliorum grana duo aut tria aquae infusa, Lambergen l. c. leviora, eaque plerumque temporaria, excitare mala; tres, quatuor, imo plures baccas absque noxa devorari posse, Ill. Haller l. c. decem baccae atrocia mala excitavere mulieri, Hasenest l. c. decem circiter baccas magna damna intulisse, Grimm l. c. intra duodecim horas a magna baccarum copia subsecutam mortem vidit Eb. Gmelin.

f) Plurimos legas pueros & puellas mortuos, Matthiolus *Kräuterbuch*, Ollinger, Tragus, Pena & Lobel, Gerard, Bodaeus a Stapel, Paulli, Wagner, Boulduc, Alberti, Schreck, Goeckel ll. cc. pauciores adultos; duae tresve baccae necarunt adolescentulum, Bodaeus a Stapel l. c. quatuor & plures non nocuerunt Ill. Halleri sodali, l. c.

g) Tres, quatuor baccas & plures impune deglutiit Ill. Halleri sodalis l. c. venenis ejusmodi assuetus; eadem copia occidit chirurgum gloriantem, observante id ex testimonio Crantzii l. c. Ill. van Swieten.

h) Externe corpori adhibitum nocuisse, vix prostat exemplum, nisi velis Müllerî, ab Ill. Hallero l. c. Raji & Wepferi, a Crantzio citatam observationem, quam tamen posteriorem in Celeberr. Viri scriptis reperire nullibi contigit, extus imposita plantae hujus folia recentia pupillae dilatationem praeternaturalem excitare,

ortas faucium & ventriculi inflammationes, *i*) inflationes, *k*) eroſiones, *l*) convulſiones, *m*) dolores atroces, *n*) irritabilitatem deſtructam, *o*) inflammata, *p*) flatu diſtenta, *q*) reſoluta *r*) inteſtina, inflammatum meſenterium, *s*) hepar, *t*) pulmones, *u*) ipſamque corporis externam ſuperficiem; *v*) vomitum, *w*) ciborum faſtidium, *x*) oris ſiccitatem *y*) & ſitim intenſiſſimam, *z*) deglutitionem impeditam, *aa*) tumores, *bb*) & dolo-

i) Goeckel & Rau ll. cc.

k) Goeckel l. c.

l) Boulduc l. c.

m) Manetti l. c.

n) Wagner, El. Camerarius, de Launay d'Hermont, ll. cc.

o) Ut baccae fere non mutatae perſtent, El. Camerarius, Schreck ll. cc. ut vix grana 14. tartari emetici vomitum excitarent, de St. Martin l. c. ut alvus pertinaciter conſtiparetur, Grimm. l. c.

p) Schreck l. c. duodeni initium Goeckel l. c.

q) Goeckel l. c.

r) Ut feces neſcio homine ſecederent, du Moulin l. c.

s) Schreck l. c.

t) Id. ibid.

u) Id. ibid.

v) Aut univerſi absque febre, Sauvages l. c. T. II. P. II. p. 79. & T. III. P. II. p. 497. aut faciei tantum, Albrecht l. c.

w) Spontaneum, quem negat contingere Ehrhard *ökonomiſche Pflanzenhiſtorie* VII. B. 15. eumque plerumque ſalubrem, teſtes tamen ſunt El. Camerarius, Valentini, Alberti, de Launay d'Hermont, Goeckel, Schuſter, Grimm ll. cc.

x) An inde, quod deſtructa ventriculi vis vitalis veroſimile reddit, an a deglutiendi difficultate, an potius cum Guerin l. c. a convulſione maxillae inferioris deducenda ſit paraſitorum illa a Matthiolo comment. l. c. commemorata abſtinentia, decidere vix auſim.

y) Quae ſenſim tamen abibat, du Moulin l. c. linguae convulſionem temporariam Weinmann.

z) El. Camerarius & Grimm ll. cc.

aa) Sicelius, in novem caſibus J. M. Faber, Manetti, de Launay d'Hermont ll. cc.

bb) Goeckel, Schreck ll. cc.

dolores *cc*) abdominis, ſalivae depravationem, *dd*) lotii ſuppreſſam, *ee*) copioſiorem juſto *ff*) & neſcio aegro contingentem *gg*) excretionem, febres, *hh*) capitis dolores, *ii*) & tumores, *kk*) oculorum debilitatem, *ll*) creberrimam caecitatem, *mm*) viſum diurnum, quem Boerhaave nuncupat, *nn*) loquendi impotentiam, *oo*) reſpirationis moleſtias, *pp*) ardores internos, *qq*) calorem externorum urentem; *rr*) inde legas toties nata deliria continua, *ss*) intermittentia, *tt*) ridicula, *uu*) laeta,

cc) In quatuor caſibus J. M. Faber; in ſuo etiam puero trienni Schreck ll. cc.

dd) Sicelius l. c.

ee) De Launay d'Hermont l. c.

ff) Horſt, & in quinque caſibus J. M. Faber ll. cc. urinae tenuis, aquoſae, pallidae Grimm. loc. cit.

gg) Du Moulin l. c.

hh) Expreſſis verbis Brotbequius apud J. M. Faber, Boulduc, Haſeneſt ll. cc. Sauvages l. c. T. II. P. II. p. 79. inflammatorium de Launay d'Hermont l. c. ardentem de St. Martin l. c. pulſum celerem & inaequalem, cum calore vehementi Rau l. c. celerrimum, debillimum, fere trementem cum aeſtu inſigni Grimm. l. c.

ii) In ſex caſibus J. M. Faber l. c.

kk) Horſt, Albrecht, & in unico etiam caſu J. M. Faber ll. cc.

ll) Lambergen l. c.

mm) Wier, Roncalli, Horſt, El. Camerarius, Haſeneſt, de Launay d'Hermont, in ſex caſibus J. M. Faber ll. cc. temporariam Lambergen l. c. conſtantem Bromfield l. c.

nn) Van Haen l. c. ſcintiliationem & torvitatem oculorum Grimm. l. c.

oo) Fugacem Sauvages l. c. T. II. P. II. p. 338.

pp) El. Camerarius, de Launay d'Hermont, ll. cc. anxietates Timmermann l. c. & apud hunc Degner, Rau, etiam Dehne apud Schuſter ll. cc. violentam, parvam, crebram, anxiam Grimm. l. c.

qq) Carl, Haſeneſt & Albrecht ll. cc.

rr) El. Camerarius l. c.

ss) Horſt, Boulduc, Haſeneſt ll. cc. in quatuor caſibus J. M. Faber l. c. E. Gmelin.

tt) Brotbequius apud Faber, Valentini, Albrecht, de Launay d'Hermont ll. cc.

uu) Ex Rajo Miller l. c. I. p. 319. & Haſeneſt l. c.

ta, *vv*) frequentiſſimos furores; *ww*) inde temulentiam, *xx*) vertiginem, *yy*) ſomnolentiam, *zz*) ſopores, *aaa*) lethargum, *bbb*) morbum attonitum, *ccc*) debilitatem univerſi corporis, *ddd*) paralyſin, quam vocant, pedum, *eee*) convulſiones artuum, *fff*) faciei, *ggg*) oculorum, *hhh*) maxillae inferioris, *iii*) totius corporis, *kkk*) tremores ejusdem; *lll*) in humoribus ſtatum

vv) Sauvages l. c. T. II. P. II. p. 338. Grimm, Rau, Carl ll. cc. tale etiam vidit in marito & uxore, qui aeſtu acti ad eſum harum baccarum confugerant, peritiſſimus Nürtingenſium Poliater, Dr. Jaeger.

ww) Tragus, Dillenius, Valentini, Schreck, Grimm, Dehne, Timmermann, ex Rajo Miller, du Moulin, Scopoli ll. cc. unde nomen maniaci, & ſimilia Germanorum nomina obtinuit.

xx) Sicelius, Lambergen, Albrecht, de Launay d'Hermont, & in unico etiam caſu J. M. Faber ll. cc.

yy) Van Haen, Lambergen ll. cc.

zz) Sicelius & Carl ll. cc.

aaa) M. B. Valentini in utroque l. c. El. Camerarius, Haſeneſt, Rau, Thalius, Sauvages l. m. c. binis in caſibus J. M. Faber l. c. adeo nonnunquam profundos, ut ope vini, ſucco baccarum hujus plantae infecti, & ſingulari quodam aſtu hoſtibus ſuppeditati adeo deſtruxerint invadentes Danos ſomno hoc artificiali ſepultos Scoti, ut ex univerſo exercitu vix decem ſupereſſent, regem ſalvaturi, Buchanan l. c. ut ingenioſa etiam nonnullorum ſit ſuſpicio, hoc venenum a M. Antonii militibus fuiſſe deguſtatum.

bbb) Wagner l. c.

ccc) Id. ibid.

ddd) Carl, du Moulin ll. cc.

eee) Du Moulin l. c.

fff) Wagner, Boulduc, Goeckel, Rau, Dehne, Carl, Grimm, du Moulin, de St. Martin, El. Camerarius, ex Rajo Miller ll. cc. has etiam exinde natas vidit ſupra laudatus Dr. Jäger & E. Gmelin.

ggg) Inde cachinni & riſus ſardonius, Carl, du Moulin & de St. Martin. ll. cc. Weinmann cum rubore.

hhh) Schreck l. c.

iii) Aut proprie ſic dictas, ex quibus triſtem illam paraſitorum eamque invitam abſtinentiam explicat Guerin l. c. p. 17. aut contractionem continuam Haſeneſt l. c.

kkk) Sauvages l. m. c.

lll) Horſt, de Launay d'Hermont ll. cc.

tum putredini proximum, *mmm*) contractiones rigidas universi corporis continuas, *nnn*) & inde denique excitatas reperias longe frequentiores, *ooo*) quam a quocunque alio veneno vegetabili indigeno, easque haud raro *ppp*) repentinas neces: Ex quibus funestis effectibus satis clare patescit, clandestinae potius atque magis fixae acrimoniae, quam partibus volaticis, cerebrum, nervosque primario petentibus, deberi summam hujus stirpis virulentiam, quamvis ne hac quidem culpa plane carere, varia sint, quae persuadere attento observatori possunt.

6. Solanum (Dulcamara) caule inermi frutescente flexuoso, foliis superioribus hastatis, racemis cymosis. Linn. S. N. II. p. 173. Spec. plant. I. p. 264.

Solanum caule flexuoso frutescente, foliis supremis tripartitis & cordato-lanceolatis. Haller. l. c. I. p. 248. n. 575.

Solanum scandens s. Dulcamara. C. Bauh. Pin. p. 167.

Solanum lignosum Dulcamara. Blackw. T. 34. (florum tamen color nimium in rubrum vergit, alias magis caeruleus.)

Dulcamara, Amara dulcis officinarum.

Graecis: Strychnon glykypicron.

Italis: Dolcamara, Vite Salvatica, Solatro.

Anglis:

mmm) Unde brachii color lividus, tumor, J. M. Faber l. c. sphacelus, quem vocant, universalis, Mappus l. c. cuticulae facillimus post mortem fecessus & nigredo, idem; cadaveris livor, J. M. Faber l. c. magnus tumor Wagner. l. c. ut universum cadaver 24. horis a morte immensum in modum intumesceret & intolerabilis oriretur foetor, vesicae lividae undique apparerent, cerebrum ruberrimum esset & sanguis spumosus ex ore, naribus & oculis continuo rivo profluueret, E. Gmelin.

nnn) Ehrhart *ökonomische Pflanzenhistorie*. X. B. p. 126.

ooo) Valentini loco utroque citato, Matthiolus *Kräuterbuch*, Thalius, Ollinger, Pena & Lobel, Heucher, Gerard, Bodaeus a Stapel, S. Paulli, Dillenius, Wagner, Boulduc, Alberti, Ehrhart, Dehne, Goeckel. ll. cc. Ed. Gmelin.

ppp) Mappus l. c. nocte aut mane, eundem, quo assumserant, diem insequente. Albrecht & Schreck ll. cc. spatio 12. horarum E. Gmelin.

Anglis: Suyt bitter, Fellin-Wood, Bitter-ſweet, Woody Nightshade.

Belgis: Alfsranke, Alfronke, Bitterſoet, groote Winde.

Gallis: Morelle, Douceamere, Bourreau des arbres.

Germanis: *Bitterſüs*, *Hinſchkraut*, *Waldnachtſchatten*, *ſteigender Nachtſchatten*, *Alpranken*, *Je længer je lieber*.

Stirpem hanc frequentem ſatis in ſepibus, ad fluvios rivosque, & menſe quidem Majo & Junio florentem reperias.

Vix ſenſibili eoque tamen non adeo grato odore gaudentis plantæ radix lignoſa eſt & ſolida.

Caulis durus, circa proximas ſtirpes ſe circumvolvit, glaber, mediæ altitudinis, paucos protrudit ramos.

Folia glabra diſſimilia; inferiora ſimplicia, media inter cordis & lanceæ figura; ſuperiora nunc ſimplicia, nunc bipartita, nunc tripartita, lobo aut lobis lateralibus extremo duplo fere aut ultra minoribus.

Flores petiolis ramoſis, ex foliorum axillis proficiſcentibus, inſidenti tegumento exteriori viridi, marceſcente flore deciduo, breviſſimo, triangulari, campanæ formam utcunque aemulante; interiore violaceo, rotæ figuram referente, ad originem ſuam binis viridibus iisque nitentibus maculis adſperſo, in ſegmenta acuta diſciſſo munitur.

Antherae, quas appellant Botanici, flavæ, breviſſimis filamentis innixæ, gemino ſingulae poro patulæ, coalitæ ovarium, maſſa glanduloſa circumdatum, & tubam recurvatam globulo terminatam circumvallant & quaſi includunt.

Bacca ovata, ſucculenta, dum matura eſt, rubra, intus in binos loculos dividitur, utrumque ſeminibus numeroſis refertos.

Saluberrimam hanc ſtirpem, cui tamen a nonnullis, ex affinitate & ſimilitudine externa nimium argumentantibus, infamiæ nota fuit inuſta, venenatos edidiſſe effectus, vix ullo vero

vero & fido conſtat experimento, niſi Floyeri pharmacobaſ. p. 86. velis experientiam, qui violentiſſimos inde vomitus & per alvum feceſſus excitatos vidit *a*).

7. Solanum (nigrum vulgatum) caule inermi herbaceo, foliis dentato-angulatis, umbellis nutantibus. Haller l. c. p. 249. n. 546. & Knorr theſaur. rei herbar. T. II. S. 3.

Solanum officinarum C. Bauh. Pin. p. 166.

Solanum hortenſe ſ. vulgare I. Bauh. l. c. III. P. II. p. 608.

Solanum hortenſe Blackw. T. 107.

Arabibus: Hamebathanaleb, Hanabalthabeb, Hameb alcha chaich.

Graecis: Strychnon, Strychnon cepaion.

Italis: Solano, Solatro, Erba Morella.

Hiſpanis: Morella, Yerva mora.

Anglis: Nightshade, common Nightshade, Morell, pety Morell, Howndesberry.

Belgis: Naſcaie, Nachtſcade.

Gallis: Morelle, Morelle commune.

Hungaris: Zep Zolo.

Germanis: *Nachtſchatten, gemeiner Nachtſchatten.*

Satis frequens deprehenditur hæc planta ad muros atque hortos, & menſe quidem Iulio potiſſimum florida.

Multum cum præcedente conveniens ſtirps differt tamen caule molli, foliis omnibus ſimplicibus, ex longis petiolis dependentibus, margine dentibus inciſo fimbriatis, interiori florum tegumento albo, baccis, dum matura ſunt, nigerrimis, globi potius, quam ovi formam prae ſe ferentibus.

Hujus

a) Ex baccis ab infante pro ceraſis comeſtis vehementem abdominis inflationem atrocesque dolores excitatos vidit Weinmann.

Hujus plantae, a Veteribus pro innocua & eduli pronunciatae, & herba, *a*) & baccae, *b*) pro alia atque alia dosi *c*) & forma, *d*) qua adhibentur, & corporis, cui ingeruntur, constitutione, *e*) somnolentiam, *f*) sopores, *g*) capitis dolores, *h*) temulentiam, vertiginem, *i*) oculorum vitia, *k*) deliria, *l*) furores, *m*) convulsiones, *n*) ardores intolerabiles, *o*) artuum & faciei tumorem, prurientem, maximopere dolentem, splendentem, lividum & nigricantem, tendentem, tandem cuticula discedente acrem saniem fundentem, & in tumorem universi corporis abeuntem, post binos demum menses dispulsum,

a) Pro atriplice cocta, Rucker Commerc. litter. Noric. 1731. p. 372. loco medicamenti, Bromfield l. c. Gataker observations on the internal use of the Nightshade. 1757. p. 72. sqq.

b) Ex Boerhaavio Ill. Haller; El. Camerarius apud Wepferum l. c. p. 226.

c) Granum foliorum cum aqua infusum innocuum esse, majorem dosin vertiginem, & majorem adhuc deliria procreare observavere Bromfield & Gataker ll. cc.

d) Baccae crudae, notante Boerhaavio, convellebant, teste El. Camerario l. c. in furorem agebant pueros; earundem succus expressus, tribus convalescentibus ad drachmas duas ingestus, ne minimum quidem damnum intulit, Guerin l. c. p. 68.

e) Pueros puellasque ab herba baccisque paucis devoratis atrociſſime mulctatos viderunt Boerhaave, Rucker & El. Camerarius ll. cc. quinque milites convalescentes a succo herbae quotidie ad tres drachmas intruso, juvenem epilepticum viginti septem annorum ejusdem primo die drachmam mediam, & tandem quotidie duplicem haurientem, ipsum Clariſſ. Guerin ab aqua calida, quindecim foliorum granis superinfusa, nihil mali passum esse, testis est Guerin l. c. p. 67, 68. patrem eandem cum liberis herbae copiam impune deglutiviſſe, Rucker l. c.

f) Boccone l. p. 284.

g) Bromfield & Gataker ll. cc.

h) El. Camerarius & Gataker ll. cc.

i) Gataker & Bromfield ll. cc.

k) Iidem ll. cc.

l) El. Camerarius, Boerhaave ll. cc.

m) El. Camerarius l. c.

n) Id. & Boerhaave ll. cc.

o) Rucker l. c.

ſum, *p*) dolores denique ventriculi, *q*) quantum autem hactenus conſtat, nunquam mortem induxerunt.

Liceat luridis his adjungere aliam adhuc ſtirpem, proxime cum his convenientem, quamvis & ſexu & ſtaminum numero diverſam:

8. Bryonia (alba) foliis palmatis utrinque calloſo-ſcabris, Linn. S.N.II. p.640. Spec. pl.II. p.1438. Haller l.c.I. p.247. nro. 574.

Bryonia aſpera, ſ. alba baccis rubris, & Bryonia alba baccis nigris. C.Bauhin. Pin. p.297. (ſub poſteriori etiam nomine) Knorr theſaur. rei herbar. I. Z. 2.

Bryonia alba, Vitis alba. Blackwell. T.37.

Graecis: Bryonia, Ampelos leuce, Echetroſis, Ophioſtaphylos, Chelidonios, Melothros, Pſilothros, Archezoſtis, Agroſtis, Kedroſtis.

Mauris: Feſire, Alfeſire, Feſſera, Alfeſcera, Nezargieſan, Nezarchaſen.

Hiſpanis: Nueza blanca, Norca blanca, Neuxa, Anorca.

Italis: Brionia, Vite bianca, Zucca ſalvatica.

Gallis: Coleuvre, Coleuvrée, Colubrine, Feu ardent.

Anglis: White Bryony, Wild Vine, wilde Hoppes.

Belgis: Bryonie, witte Bryonie, wilde Wyngaarde.

Bohemis: Poſed.

Ungaris: Fodi Tock.

Germanis: *weiſſe Zaunrüben, Zaunrübe, Zaunrebe, Gichtrebe, römiſch Rebe, Weisweinrebe, Gichtrübe, Stickwurz, weiſſe Stickwurz, Gichtwurz, Scheiswurz, Raswurzel, Hundskürbis, Hundsreben, Teufelskirſchen, wilder Zitwer, weiſſer Enzian.*

p) Rucker l. c.

q) El. Camerarius l. c.

Frequentem deprehendas hanc plantam, ſtirpibus ſepium circumligatam, Junio & Julio flores alios ſteriles, alios fertiles plerumque in eadem radice geſtantem.

Radix ſucco acri, nauſeoſo, opium redolente, plena, vaſtiſſima, alba, farinoſa, in ramos plures abit.

Caulis anguloſus, pilis pungentibus hirtus, ſex ſaepe pedes altitudine aequat, in plures ramos dividitur, & aliis vicinis plantis ductu ſerpentino circumvolvitur.

Folia pilis albis ſcabra, quinquangularia, in quinque acutas, ad marginem ſerrae ad inſtar inciſas & triangulares diſſecantur lacinias, & ex alis capreolos emittunt ſpiraliter contortos.

Flores petiolis ramoſis, multos ſimul flores geſtantibus, innixi, ex axillis foliorum prodeunt, velamento exteriore campanae formam utcunque referente, viridi & in ſegmenta anguſta eaque brevia diſciſſo; interiori ſordide albo aut luteo, lineis virentibus aut rubris intercurrentibus picto, profunde in lacinias, lanceolam figura ſua aemulantes, ſciſſo muniuntur; alii iique plures ſteriles ſtaminibus modo inſtruuntur tribus, quorum antherae ſive apices in unam coëunt; alii fertiles piſtillum gerunt, cujus ovario tuba inſidet trifida, triplici ideo fine lunato terminata; hi poſteriores ſoli relinquunt baccam nunc nigram, nunc, & in noſtris quidem oris rarius, rubram, globo forma ſua plerumque accedentem, ſatis exiguam, & tribus intus ſeminibus fartam.

Plantae hujus radicem, niſi aut effoetam, aut ſiccatam, aut artibus pharmaceuticis mitigatam, acerrimam, toties priſcis medicis uſitatam, creberrima humanae genti intuliſſe damna, juſtiſſima eſt ſuſpicio, quae violentiſſimos alvi fluxus, *a*) mentis alienationes, *b*) ſtoliditatem, *c*) ſpiritus anguſtiam, *d*) verti-

a) Crantz. l. c. II. p. 149.

b) Mater. med. L. IV.

c) Petr. de Abano de venenis eorumque remediis. Cap. XXXV. p. 36. inſtar opii agere, Nicolai Syſtem. mater. medic. Hal. 1752. T. II. p. 152.

d) P. de Abano l. c.

vertiginem *e*) excitare, toties obſervata ſit, ut jam Petr. de Abano *f*) venenis eam adſcripſerit, & prudentiores plerique noſtri aevi Medici vix unquam crudam intus adhibeant, niſi ſumma cum circumſpectione in pertinaciſſimo hydrope aut rabie.

III. Plantae umbelliferae.

His commune eſt, naſci pedunculos plures, ad apicem caulis vel rami, quaſi radios ex medio centro, (vocant Botanici umbellam univerſalem) egredi iterum ex apice uniuscujusque petioli, ceu radios ex centro, novos petiolos, qui ſinguli ſuſtinent florem unicum; (hunc quaſi progeniem umbellae univerſalis partialem appellare ſolent rei herbariae periti) videas in hoc flore infimum idque gemellum fructus futuri rudimentum, tumidula quadam maſſa tectum, & binis tubis diſterminatum, quod tamen in nonnullis iisque quidem ideo ſterilibus plantarum harum floſculis, plerumque in umbellae ambitu poſitis deficit; huic fructus rudimento imponuntur foliola quinque alba, utplurimum ſatis aequalia, corollam conſtituentia, nullo exteriori tegumento munita, quibus totidem alternatim interjecta reperias ſtamina, foliolis breviora, &, utprimum marceſcunt, cum foliolis illis decidua: In nonnullis ad originem petioli primarii aliquot ponuntur parvula, ſimplicia, viridia folia, quae involucri univerſalis nomen gerunt; in omnibus, quae hic recenſendae occurrunt, aliquot eorum ſatis conſtanter ad ortum petioli illius, qui florem proprie ſuſtinet, deprehendas: Haec poſteriora ſub denominatione involucri partialis comprehendunt phytologi.

9. Conium (maculatum) ſeminibus ſtriatis. Linn. S. N. II. p. 206. Spec. pl. I. p. 349.

e) Id. ibid.
f) l. c.

Cicuta Haller. Hiſt. ſtirp. Helvet. indig. T. I. p. 337. n. 766. Stoerck libellus, quo demonſtratur, cicutam non ſolum uſu interno tutiſſime exhiberi, ſed & eſſe ſimul remedium valde utile in multis morbis, qui hucusque curatu impoſſibiles dicebantur. Vindobonae 1760. cum icone optima, & longe meliore, quam Blackwelliana. Blackwell. T. 451. 573. a 573. b & latinorum ſcriptorum.

Cicuta Veterum & Neotericorum. J. Bauhin. Hiſt. ſtirp. univ. III. P. II. p. 176.

Cicuta major. C. Bauhin. Pin. p. 160.

Arabibus: Sucarâm.

Graecis: Coneion, aliis etiam Amauroſis, Timoros, Catapſyxis, Anginon, Paralyſinon, Paralyſis, Chrocheanon, Chorianon, Anniſoeides, Pharmacon, Deleterion, Ephemeron, Thanaſimon, Olethrion, Dolia, Aphron, Creidion, Coete, Aeginos, Apolegaſa, Ethyſo, Catechomenion, Alioton, Apſeudes, Polyanodynos, Agevmoron, Dardanis.

Dorice: Cammaron.

Italis: Cicuta.

Hiſpanis: Ceguta, Canaheja.

Anglis: Hemlock, Homlocke, Homblocke, Bolchlaw.

Belgis: Dulle kervel, Scheerling.

Gallis: Cigue, Cegue, Cocue.

Hungaris: Beurock.

Germanis: *Schierling*, *gefleckter Schierling*, *Wiener Schierling*, *groſer Schierling*, *Wutſchierling*, *Würgerling*, *Wüterich*, *Tollkoerfel*, *Tollkraut*, *Ziegerkraut*, *Bangenkraut*, *Kelber*, *Deufelspeterlein*, *Kazenpeterlein*.

Frequentem ſatis hanc plantam biennem in paſcuis, pratis, ſepibus, locis incultis, & ad aquas, & floridam quidem menſibus praeſertim Junio & Julio conſpicias.

Radix utcunque fuſi prae ſe ſpeciem ferens, ex albo colore in flavum tranſiens, rugoſa, paſtinacae radices odore ſuo quodammodo aemulans, mediae craſſitiei & longitudinis, multas

tas fibras emittit, quae in plurimas iterum diſſolvuntur fibrillas.

Caulis variae pro varietate ſoli altitudinis, ut tres pedes aliquando ſuperet, pollicem nonnunquam craſſus, teres, cavus, maculis ſanguineis a radice ad apicem uſque pictus, glaber, per totam ſuam longitudinem nodis inaequalis, ex quibus ſingulis ramus prodit, cauli ſimilis, ſaepius ramuſculos protrudens, folii vagina exceptus, brachii in morem extenſus, paſtinacae radices redolens, nodis pariter diſtinctus, ex quibus petioli floribus onuſti oriuntur.

Folia, viroſum & nauſeoſum prae omnibus aliis plantae partibus odorem ſpirantia, coloris inter atrum & viridem medii, nitida, glabra, alternatim caulis lateribus ſingula ad nodos caulis adponuntur, nulli petiolo innixa, ex vagina maculis rubris adſperſa, & rami originem ſuffulciente incipiunt; omnia in minora folia diſcinduntur, quae alternatim coſtae mediae minutis pediculis innixa adſident, eo quidem ordine, ut, quo propiora ſunt apici coſtae, eo ſint breviora; haec folia iterum in minora abeunt, pinnarum ad inſtar poſita, ad marginem dentibus inciſa, & nulli petiolo adhaerentia.

Ad originem umbellae univerſalis, quam ſatis frequentem in hac ſtirpe videre contingit, conſpicias tria, quatuor, quinque ad octo exigua folia, ſatis anguſta, reflexa, &, dum matureſcit fructus, delabentia; umbellam ipſam in novem, quatuordecim, & plures, exteriores utplurimum interioribus longiores radios diviſam, qui ſinguli ſimiles, ſed minores geſtant umbellas, ex totidem floribus compoſitas, & ad exortum ſuum plerumque ſaltem ab uno latere aut tribus foliis ſimilibus, qualibus umbella univerſalis, aut folio unico, in tres lacinias fiſſo, aut, quod rarius fit, ad utrumque latus ternis munitas foliis.

Folia floris, quae corollam componunt, in exterioribus quidem floribus & magnitudine & figura ſua alterum ab altero multum

multum abludunt; in interioribus ceterum satis similia, per medium elevata, apice leviter incisa & inflexa.

Semina, quae bina fructum constituunt, nuda, contigua, altera superficie plana, altera convexa, ut formae globi accedant, punctata & quinque striis exarata, quas lineae transversae decussant, ut crenatae adpareant.

Multae sane sunt plantae, quibuscum nostra haec stirps infeliciſſimo aut coqui, aut rhizotomi, aut pharmacopoei, aut medici errore, vel confusa jam fuit, vel confundi ab incautis facillime potest, a quibus quomodo differat, evidenter ostendere, mei putaverim esse muneris.

Prima hic nominanda occurrit planta innocua, Ligusticum peloponnesiacum Linnaeo, sive Cicutaria latifolia foetida C. Bauhino dicta, a plurimis veterum ad cicutas relata: Hanc a Conio facillime dignoscas radice ampliſſima, lignosa, spongiosa, alba; caule sulcis inaequali & toto viridi; foliis maximis; umbella ampliſſima; floſculis eorumque foliis omnibus aequalibus; apicibus staminum violaceis; foliis utriusque involucri latis & crebris; seminibus denique, quinque acutis calicis dentibus coronatis, ovatis, tribus eminentibus jugis & quinque profundis sulcis exaratis.

Altera est Oenanthe fistulosa Linnaei, aquatica aliorum, quam loco natali, fossis scilicet aquosis; radice longe per aquas & lutum diffusa, in hortis si plantetur, bulbillos protrudente; caule non maculato, foliis paucis obsesso; foliis, quae cauli adponuntur, tenuissime dissectis, cavis, a foliis ad radicem positis multum discrepantibus; umbella universali, in tres tantum utplurimum, minores divisa, ad originem suam aut nullo, aut unico tantum folio simplici stipata; umbella partiali ad exortum suum tribus ad decem albidis, ad alterutrum caulis latus positis, foliis fulta, &, dum matureſcunt semina, globi fere formam induente; floribus quam maxime inaequalibus, extus rubentibus, omnibus calice, in quinque lacinias fisso, ornatis, iis, qui ambitum occupant, sterilibus, longis petiolis

lis insidentibus ac perquam difformibus, qui medium tenent, fertilibus, minus inaequalibus, pyramida quinquangularem referentibus, calice coronatis.

Tertia hic recensenda venit venenatissima pariter Oenanthe, crocata Linnaeo dicta, quam croceo eoque parum foetido, ex vulnerato caule promanante succo; caule ipso rufo; foliis dilutiore virore conspicuis, cetera foliis conii satis similibus; umbella universali nullo folio munita; pedunculis umbellas minores sustinentibus, angulatis & striatis; apicibus staminum fuscis; quod ad reliquas autem partes spectat, iisdem notis, quibus priorem, a conio maculato distinguas.

Quarto etiam pro nostro hoc conio, teste Crantz l. c. III. p. 45. & London Chronicle for Juin 1761. toties a Medicis nesciis adhibitum fuit multo minus efficax Phellandrium aquaticum Linnaei, Cicutaria palustris tenuifolia C. Bauhini, quae tamen loco natali constante, fossis scilicet aqua refertis; crassissimo caule; ampliſſimis & tenuiter dissectis foliis; umbella universali foliis destituta; minoribus tribus ad septem gracilibus foliis instructis; floribus mediis minoribus, omnibus calice exiguo cinctis, ex quinque foliis, binis maximis, ternis minoribus composito, in fructu maturo permanente; foliis floris inaequalibus, ut extremum majus sit; tubis longis in fructu maturo persistentibus; fructu denique mediae inter ovatam & conicam figurae, laevi, & lineis neque elevatis neque incisis picto, discrepat.

Quinto notanda est, atro carbone jam dudum notata, Cicuta virosa Linnaeo dicta, mox infra fusius describenda, quae a conio nostro pariter loco natali, paludibus scilicet & stagnis; radice maxima, septis transversis & cellulis plena, succumque flavum profundente; caule non maculato, foliis ampliſſimis; umbella universali aut pauciſſimis simplicibus, aut unico tantummodo, aut nullo plane, quod omnium saepiſſime obtingit, munita folio; e regione foliorum ad caulis latus exorta; umbellis minoribus petiolis marginatis obtusis insidenti-

bus; fructibus denique forma ſua ad ovum accedentibus, margine albo cinctis & ſulcatis, neque penitus glabris, differt.

Sexto loco memoranda venit, cujus paulo inferius plenior fiet mentio, Aethuſa Cynapium Linnaei, toties invitis & inſcientibus Medicis in medicinam recepta; diſtincta tamen & ſuis in corpus humanum effectibus, & notis externis: in hac ſcilicet aethuſa caulem ſulcis inaequalem, immaculatum, plerumque conii caule longe humiliorem; folia nitentia; umbellam univerſalem nullo plane folio munitam; tria ad originem cujusque umbellae minoris, ejusque quidem alterutrum tantummodo latus, poſita folia, ſatis longa & reflexa, & florum, qui ambitum occupant, alba folia inaequalia, animadvertas.

Septimo loco dignoſcenda eſt Scandix odorata Linnaeo, Myrrhis aliis dicta, a nonnullis ſcriptoribus cicutarum lethiferae tribui adſcripta, planta, ut externis plurimis notis, ita praeſertim viribus ſuis a conio maculato toto caelo diverſa: Gratiſſimus aniſi & odor & ſapor, quo omnes hujus plantae partes imbutae ſunt, ſolus, puto, ſufficit, ut vel imperito evidentiſſima ſit hujus plantae a conio diſcrepantia.

Aliquando etiam loco Scandicis Cerefolii cocta & eſitata noſtra planta improviſas edidit ſtrages: Haec planta, in hortis & culinis noſtris vulgatiſſima, odore forti & ſapore acri proprio, qui verbis exprimi non poſſit, tenera totius plantae fabrica, caule immaculato, umbellis floridis longe rarioribus, adeo facile diſcerni poteſt, ut ſignis, a reliquis plantae partibus petitis, vix opus eſſe videatur.

Superſunt aliquae chaerophylli Linnaeani ſpecies, ſaepiſſime cum noſtro conio commutatae, ſuo loco prolixius commemorandae.

Inter has primum locum tenet, quae Chaerophyllum ſylveſtre dicitur Linnaeo, Myrrhis ſylveſtris, ſeminibus laevibus C. Bauhino: Haec a conio noſtro differt caule non maculato, ſtriato, foliis amplis, ad cubitum usque longis, &, ſi nervos exceperis, glabris; umbella univerſali ad exortum ſuum nullo,

nullo, aut unico tantum folio, minoribus quinque ad ſeptem ſatis latis, parum hirſutis, excavatis, dum flores marceſcunt, reflexis, exteriore reliquis longe majore munitis; florum exteriorum foliis valde inaequalibus, interiorum magis aequalibus; ſeminibus denique oblongis, laevibus, nitidis ac lividis manifeſtiſſime differt.

Altera eſt Chaerophyllum bulboſum Linnaei; hanc radice carnoſa, pyri inverſi ſpeciem utcunque referente, caule maculis rufis, aut fuſcis picto, parte terrae proxima hirto, ſuperiore glabro, foliis tenuiſſime inciſis, ad petiolos & marginem dorſi acutum pilis albis adſperſis, umbella univerſali unico, aut nullo, minoribus plerumque ternis, ſaepius quinis aut ſeptenis anguſtis, acutis & inaequalibus foliis munitis, ſeminibus oblongis, laevibus ſulcis fuſcis exaratis, aliisque minus evidentibus ſignis a conio diſcernere licet.

Tertia eſt Chaerophyllum temulum Linnaei, ſaepiſſime etiam pro conio uſurpatum, quocum maculato caule apprime convenit, a quo tamen caule foliisque hirſutis, umbella univerſali ſaepius ad alterutrum latus nutante, & vel nullis plane, vel quibusdam modo parvulis foliis ad originem ſuam inſtructa; poſito ad minorum umbellarum exortum folio unico in ſex vel octo lacinias minores, ariſta quaſi terminatas, fiſſo; floſculorum exteriorum foliis albis inaequalibus, interiorum nonnullis ſterilibus, & ſeminibus praecipue oblongis, aperte differt.

Quarta denique eſt Chaerophyllum hirſutum Linnaei, in quo ſequentes notas invenias, quibus a conio manifeſte differt: Radix longiſſima, ut quatuor pedes nonnunquam aequet; caulis hirſutus, aequalis per totam ſuam longitudinem craſſitiei; folia hirſuta, potiſſimum ad nervos; umbella univerſalis exigua, folio ſolitario ad exortum ſuum ſtipata; umbellae minores quinque, aliquando octo latis, alba ora cinctis, marceſcente flore reflexis, inaequalibus foliis cinctae; florum folia alba vel rubra inaequalia, ſpeciatim exteriorum; ex interiori-

bus floribus quidam ſteriles; ſemina longa, ſulcata, laevia, cylindros figura ſua referentia.

Agmen denique harum ſtirpium cum conio commutatarum claudit, cujus loco incauti coqui ſaepius propinavere conium, (niſi ea exempla, quae proſtant, potius ad aethuſam ſimiliorem referenda ſint, quae ingenioſiſſima eaque quam maxime probabilis Ill. Trewii & Halleri eſt conjectura) Petroſelinum officinis noſtris dictum, ab Ill. Linnaeo ad apii genus relatum; quod tamen odor & ſapor longe gratior & proprius plantae, folia multo latiora, & petiolo ſulco unico percurſo innixa, umbellae rariores, univerſalis nullo, quod vocant, involucro, niſi folia caulis ſuperiora pro involucro habeas, minores paucis tantum minutis, vel unico tantum folio, vel nullo plane munitae, flores vireſcentes, ex foliis aequalibus conflati, & fructus ovati facile diſcernunt.

In tanta nominum confuſione, in tanta obſervationum ſibi contradicentium copia, in tanta deſcriptionum imperfectione, quantum confidendum ſit in veterum, in recentiorum etiam ſcriptorum rei herbariae, aut plane imperitorum, aut non ſatis gnarorum, de virulenta hujus ſtirpis efficacitate tam obſervationibus, quam periculis, facile eſt colligere: Solae hic conjecturae, ex ſollicite comparatis plantarum ſolo natali, vegetandi, florendi, ſeminis perficiendi modo & tempore, variis mutatarum & non mutatarum in corpore animalium & hominum, iisque particularibus effectibus deſumtae, in graviſſima re decidunt, & ad maximam, quae cogitari poteſt, veri ſimilitudinem deductae, veri locum ſuſtinent.

Decantatiſſimae hujus plantae & radix, *a*) quam dulcem blan-

a) Loco radicum paſtinacae, Matthiolus Comment. L. VI. p. 1415. Limprecht Act. Acad. N. Cur. Vol. I. Obſ. 52. p. 97. ſqq. Graf ibid. obſ. 200. p. 438. & Hee ibid. Vol. X. obſ. 87. p. 327. *und Abhandlungen der römiſch kaiſerlichen Academie der Naturforſcher*, 3. *Th.* p. 484. obſ. 345. pro radice aſparagi, Buſſius & Schurigius ex narratione Krameri Commerc. lit. Noric. 1733. p. 251. pro radice foeni-

damque Hallerus, *b*) parum acrem Ehrhart, *c*) acerrimam Ill. Stoerck *d*) invenit, & herba, *e*) & ſemina, *f*) recentia potiſſimum, *g*) aliam atque aliam formam, acetarii, *h*) oleris, *i*) medicamenti, *k*) vel aliam *l*) induta, in aliud atque aliud corpus ingeſta, *m*) alios atque alios, mitiores vel atrociores, lentiores vel citius lethales, repentinos vel tardos, acutos vel diuturnos

foeniculi, Behrens ibid. 1734. p. 20. pro radice petroſelini, Kircherus Scrutin. phyſic. medic. de peſte. S. 2. c. 2. p. 203. B. T. a Guldenklee caſ. medicin. praxi 36. annor. obſervat. L. 7. Caſ. 4.

b) L. c. p. 337.

c) Diſſert. de cicuta. Argent. 1763. p. 20.

d) L. c. p. 9.

e) Sim. Paulli quadrip. Botan. ſub tit. de cicuta majore. Reiſmann diſſert. de cicuta, & an ſit remedium cancri. Duisburg. 1763. p. 34. Ehrhart l. c. p. 29. 30. Magis dubia ſunt, num ad hanc plantam, utrum potius ad aethuſam pertineant pericula Matthioli l. c. p. 1416. Koefferlini & Drelincurtii apud Wepferum l. c. p. 312. 71. Huc etiam videtur ſpectare magni Boerhaavii exemplum Inſtit. med. cur. Hall. T. VI. p. 255.

f) Pro ſeminibus harmalae G. Rondelet de ponderibus. Patav. 1555. p. 82. B. Maranta method. cognoſc. ſimplic. L. III. Venet. 1539. p. 57. pro ſemine hyperici, Braſſavola Examen medicam. ſimplic. Venet. 1545. p. 222.

g) Eo, quod magna pars veneni in partibus volaticis haereat, neque tamen omne virus his abactis abeſt, licet plerumque mitius agat.

h) Ehrhart l. c. p. 29.

i) Id. l. c. p. 30. Koefferlin, Limprecht, Graf, Matthiolus, Kircherus, a Guldenklee, ll. cc. toſta Hee l. c.

k) Reiſsmann l. c. Andry quaeſtio medica, an cancer ulceratus cicutam eludat? Par. 1763. Lange diſſert. Dubia cicutae vexata. Helmſtad. 1764. Whytte nervous diſorders, p. 22. Weinmann.

l) Quali ſub forma e. g. Graeci, & potiſſimum Athenienſes, Chii quoque, iis, quos morte dignos exiſtimarunt, propinabant, & quale ſe remedium habere abſque dolore vitam abrumpens Thraſyas gloriabatur, ex cicutae & papaveris ſucco miſtum. Theophraſtus, Hiſtor. L. IX. c. 17.

m) Hoc modo praeſertim frequentiſſime & fere unice nocet; neque tamen externe adhibitam cicutam omni noxa carere, teſtes ſunt Boerhaave de morb. ner-

turnos exſerunt effectus, rigorem, *n*) tumorem, *o*) tremorem, *p*) dolorem *q*) linguae, loquendi impotentiam temporariam, *r*) ventriculi & inteſtinorum inflammationes, *s*) dolores, *t*) validas diſtenſiones, *u*) nauſeam, & appetitum cibi proſtratum, *v*) vomitus violentos, *w*) ſingultus, *x*) alvi profluvia, *y*) ſitim intenſam, ardorem faucium, deglutitionem impeditam, *z*) abdominis tumores inſignes, *aa*) vitia circuitus ſanguinis varia, pulſum celerem, *bb*) tardum, rarum & debilem, *cc*) plane nullum, *dd*) menſium ſuppreſſiones, *ee*) praecordiorum oppreſſiones & anguſtias ſummas, *ff*) univerſi corporis debilitatem, *gg*) tor-

vor. p. 236. qui ex ſolo odore contritae plantae vertiginem ſenſit, & Andry l. c. qui a ſolo externo uſu deliria, vertigines, tremores, paralyſes, menſium ſuppreſſiones profecta vidit.

n) Ill. Stoerck l. c.

o) Id. l. c.

p) Ut balbutire poſſet id. l. c.

q) Id. l. c. Sim. Paulli l. c.

r) Stoerck l. c. Ehrhart l. c. p. 30. & Hee l. c.

s) Koefferlin l. c.

t) Limprecht & Hee ll. cc.

x) Koefferlin l. c.

v) Lange l. c. p. II. & Andry, Graf ll. cc.

w) Harder apiarium obſervat. Baſil. 1685. obſ. 25. Ehrhart l. c. p. 30. Graf in uno exemplo l. c.

x) Guldenklee l. c. *Abhandlungen der Kaiſerlichen Academ. der Naturf.* l. c.

y) Ehrhart l. c. p. 29.

z) Haec inter mala ab uſu cicutae provenientia refert Ehrhart l. c. p. 29. §. 9. fluidorum deglutitionem difficilem Hee l. c.

aa) Ehrhart l. c. p. 30. Koefferlin l. c.

bb) Ex Ehrharti teſtimonio l. c. p. 30.

cc) S. Paulli l. c.

dd) Id.

ee) Andry l. c.

ff) Limprecht, Graf, Hee & Guldenklee ll. cc.

gg) torporem, *hh*) tremorem, *ii*) maciem, *kk*) ſudores gelidos, *ll*) urinae mittendae impotentiam, *mm*) pallores univerſi corporis, *nn*) & ſpeciatim faciei *oo*) livores, artuum pondus, *pp*) paralyſin, *qq*) tremores, *rr*) ſenſuum omnium hebetudinem, *ss*) exercitium ſuppreſſum, *tt*) caecitatem, *uu*) dolores per totum corpus vagantes, *vv*) temulentiam, *ww*) vertiginem, *xx*) ſopores, *yy*) deliria varia, *zz*) dementias, *aaa*) furores,

gg) Whytte, Guldenklee, Limprecht in uno caſu, in binis Graf, in ſuo Hee. ll. cc.

hh) S. Paulli, Graf ll. cc.

ii) Kircher, Andry l. c. Ehrhart l. c. p. 30.

kk) Reiſsmann l. c. p. 34.

ll) Ex aliorum obſervatione Ehrhart l. c. p. 29. propriis vidit oculis Hee l. c.

mm) Ehrhart in exemplo fratris l. c. p. 30.

nn) Ex recenſione Ehrharti l. c.

oo) S. Paulli, Limprecht & Hee ll. cc.

pp) In Socratis illuſtri exemplo.

qq) Andry l. c.

rr) Kircher, Andry ll. cc.

ss) S. Paulli & Graf ll. cc.

tt) Stupores vidit Harder l. c. obſerv. 25.

uu) Martin philoſoph. Tranſact. nro. 273. Guldenklee, Graf ll. cc.

vv) Kircher l. c.

ww) Matthiolus l. c. p. 1415. *Abhandlung. der Kaiſ. Acad. der Naturf.* l. c.

xx) Ibid. & Boerhaave, Whytte, Andry, Reiſsmann, Graf ll. cc. Floyer pharmacobaſan. Lond. 1691. p. 113. a nimio decocti herbae in mamma cancroſa interno uſu Weinmann.

yy) Harder, Floyer, Paulli, Limprecht ll. cc. Watſon philoſ. Tranſact. 473. apoplexiae proximos Graf l. c.

zz) Repentina, eaque temporaria Buſſius, Schurigius & Behrens l. c. levia Andry l. c. graviora Id. Wolff obſervat. chirurg. medic. Quedlinb. 1704. Hagedorn obſervat. & hiſtor. medic. pract. Cent. III. Lipſ. 1698. p. 79. 80. Fritſch *ſeltſame jedoch wahrhafte juriſtiſche, mediciniſche und phyſicaliſche Geſchichten. Leipz.* 1730. 2. B. nro. 8. Büchner Miſcellan. Wratislavienſ. 1727. p. 58. P. Boccone muſeo di fiſica e di eſperienze. Venet. 1697. p. 148. *Abhandlungen der Kaiſerl. Acad. der Naturf.* l. c.

aaa) In vinitore & monacho Matthiolus l. c. p. 1415. 1416. Kircherus l. c. per totam

res, *bbb*) pervigilia, *ccc*) oeſtrum venereum, *ddd*) convulſiones generales & ſpeciales, *eee*) maxillae inferioris contractionem continuam, *fff*) humorum tenuitatem putredini proximam, *ggg*) & frequentiores, *hhh*) easque non raro *iii*) improviſas mortes, ut non poſſis non impune devorati conii exempla *kkk*) aut

totam vitam durantem J. C. Ammann in notis ad Cael. Aureliani de morbis acut. & chronicis. Amſtel. 1722. L. I. in pluribus exemplis Limprecht l. c. in ſuo Hee l. c.

bbb) Matthiolus ll. m. cc. Kircher l. c. venereum in puella Limprecht l. c.

ccc) Reiſsmann l. c. p. 34.

ddd) Fide Ehrharti l. c. p. 30.

eee) Watſon, Martine ll. cc. in pluribus caſibus, trimeſtres in vidua Limprecht l. c. huc referas etiam ſtrangulationes gulae, ſpaſmos, ſuffocationis metum, tendinum ſubſultus, ab Ehrharto notata l. c. p. 29. 30.

fff) Ex enarratione Ehrharti l. c. p. 30.

ggg) Reiſsmann l. c. p. 35. inde petechiae S. Paulli l. c. obſervatae, inde poſt mortem tot maculae lividae, tantus cadaverum tumor; inde ſanguinis e viventium naribus profluvium, Ehrharto notata l. c. p. 29. inde livores illi hominum, qui venenum hoc deguſtarunt, aut, dum vixerunt adhuc, aut poſt mortem, ſub litt. nn, oo.

hhh) Notiſſimo Graecorum & ſpeciatim Athenienſium, & illuſtri potiſſimum Phocionis & Socratis, Maſſilienſium quoque ſupplicio, P. Petit. obſervat. miſcellan. L. I. c. 17. p. 46. J. C. Scaliger exoteric. exercitat. de ſubtilit. p. 152. Fritſch, Wolff, Braſſavola ll. cc. lentiſſimam Kircher l. c.

iii) Koefferlin l. c. ſpatio quadrantis horae Drelincurt l. c. ſpatio diei S. Paulli l. c.

kkk) Radicis ſiccatae ſcrupulos binos & drachmas binas exhibuit P. Reneaume ex curation. obſervat. Parif. 1606. obſ. 3. 4. ſiccatam radicem ſudoriferam potius pronunciat, quam venenatam, Raji Hiſt. plant. univ. T. I. p. 451. neque Ehrhart l. c. p. 20. 21. vel a radice recente, vel ſucco ejus expreſſo ſaepius guſtatis notabile percepit damnum; radicum unciam mediam devoraſſe absque noxa Petiverium, uncias quatuor Henly, teſtis eſt Rajus l. c. T. III. p. 257. herbam in Italia non adeo exitioſam eſſe, Matthiolus l. c. p. 1098. juniorem plantam comedi, Miller l. c. I. p. 798. ſucci ejus uncias tres de die per octo continuos dies mane absque ullo inſequente damno ingeſtas Ephem. Nat. Cur. Dec. I, A. IV. & V. p. 108. ejusdem

aut alii plane tribuere plantae, *lll*) aut diverſae, qua mutatum fuit, praeparationi, *mmm*) aut mutatae per ſoli locique natalis rationes indoli, *nnn*) aut effoetae, *ooo*) vel praeter tempus, quo ſucco ſuo eſt referta, effoſſae radici, *ppp*) aut ſingulari hominum, qui ingeſſere, conſtitutioni. *qqq*)

10. Sium (latifolium) foliis pinnatis, umbella terminali, Linn. S. N. II. p. 211. Spec. pl. I. p. 361.

Sium foliis pinnatis argute dentatis, umbellis erectis, Haller. l. c. p. 345.

Sium latifolium, C. Bauh. Pin. p. 154. & Oeder flor. Dan. T. 246.

Sium medium J. Bauhin l. c. T. III. P. II. p. 174.

Anglis: Great Water-parſnep.

Belgis: Watereype.

Germa-

dem extractum, quod vocant, ſpirituoſum, impune tulit Ehrhart l. c. p. 15. ſemina guſtata, manducata, ad drachmas usque deglutita, ne vel minimum quidem attulere mali Ehrhart, l. c. p. 22.

lll) Quae jam ſagaciſſima fuit Val. Cordi Comment. in Dioſcorid. p. 68. Trewii l. c. Ill. Halleri l. c. p. 242. & Reiſsmann l. c. p. 9.

mmm) Ideo extractum, quod volaticarum partium jacturam fecit, minus nocivum, per drachmas dari poteſt ex periculis Ill. Stoerckii, & qui haec imitantur.

nnn) Conium tamen noſtrum in calidiori Graecia & Italia, teſte Matthiolo & Koefferlino ll. cc. aeque ac in frigidiori Dania, teſte S. Paulli l. c. Batavia, Drelincurt. l. c. & Germania, Guldenklee, Buſſius ll. cc. aliisque nocuit.

ooo) Hinc ſiccatam tantum radicem & herbam innocuam, quin priorem etiam ſalutarem proclamant Reneaume & Rai. ll. cc.

ppp) Autumno aut aeſtate, dum natura ſuccum perficiendo flori & ſemini impendit; vere autem acerrima eſt.

qqq) Potuerunt ſenſim adſueſcere venenis, & huic praeſertim veneno; habere humores juſto ſpiſſiores, fibras & nervos juſto torpidiores, ventriculum in vomitum proclivem, aut aliis obvolventibus, diluentibus, enervantibus fortuito refertum.

Germanis: *breitblätterichter Waſſermerk*, *breitblätterichter Merk*, *Froſcheppich*, *Waſſereppich*, *Waſſerpeterlein*, *Weyerpeterlein*, *groſer Waſſerpaſtinak*.

Plantae, odore ſuo gravi ad bitumen accedentis, radix geniculata longas emittit fibras.

Caulis erectus tres aliquando pedes altitudine aequat.

Folia mollia, in plura paria minorum ovatorum, ad marginem ſerrae inſtar inciſorum, petiolo communi appoſitorum, extremo impare ſimili dividuntur.

Umbella univerſalis, cujus ad exortum nulla reperias folia, in ſummo caulis ramorumque vertice ponitur; minores, in quas abit, ad originem ſuam ſex vel ſeptem latis, lanceae figuram utcunque referentibus, marceſcente flore reflexis, non raro ad marginem inciſis ſtipantur foliis; flores ipſi, omnes fertiles & aequales, quinque conſtant aequalibus, figura ſua cordi humano accedentibus; media eminente linea diviſis albis foliis, ovario duplici eoque brevi tuba terminato, & quinque ſtaminibus.

Fructus, ex binis, dimidiati ovi ſpeciem prae ſe ferentibus, ſeminibus ſtriatis conflatus, ab utroque latere quaſi compreſſus, calice, quem vocant, minimo coronatur.

A radice hujus plantae, quae ſi ante medium aeſtatis effodiatur, innocua eſt, Auguſto menſe incipiente effoſſa & comeſta & pecora & pueros alia in furorem acta, alia peremta, vidit Beyerſten, Kongl. Svenska Wetenskaps Academiens Handlingar. 1750. Vol. XI. trim. IV. art. 9.

11. Cicuta (viroſa) umbellis oppoſiti-foliis, petiolis marginatis obtuſis, Linn. Syſt. Nat. II. p. 213. Spec. plant. I. p. 366.

Sium foliis duplicato-pinnatis, pinnulis trifidis & ſimplicibus acute ſerratis, Haller l. c. I. p. 346. n. 781.

Sium erucae folio, C. Bauh. Pin. p. 154.

Cicuta

Cicuta aquatica, Wepfer hiſtoria cicutae aquaticae. Baſil. 1716. & Blackwell. T. 574. a 574. b & 574. c. Oeder Flor. Dan. T. 208.

Italis: Cicuta delle acque.

Gallis: Ciguë des Eaux.

Anglis: Water-hemlock.

Belgis: Tweede Water-eype.

Germanis: *Giftiger Wüterich*, *Waſſerſchierling*, *Bauzenkraut*, *giftiger Waſſerſchierling*.

A Majo ad Auguſtum floret haec planta ad litora aquarum, praeſertim ſtagnantium, & earum potiſſimum, quae montes diſterminant, non adeo rara.

Radix (cujus optimam iconem v. apud Wepferum l. c. f. 1.) maxima, perennis, intus per ſepta transverſa diviſa, cavis cellulis plena, fibras emittens plurimas variae diametri & longitudinis, quae vario ſuo decurſu & inter ſe unione naſſam referunt, odorem paſtinacae quodammodo accedentem, magis tamen nauſeoſum ſpirans, circulis extus ſive annulis elevatis conſpicua, carne candida, quae aeſtate quidem denſior eſt & magis compacta, referta, & ſuccum ſtillans, hyeme & veris initio flavum, qui per noctem relictus rufeſcit, & primo quidem linguae videtur dulcis, mox autem acrimonia ſua laedit, aeſtate aqueum, debiliorem, qui tamen ſi colligatur & per noctem reponatur, flavedinem induit.

Caules plures ex unius ejusdemque radicis apice prognati quatuor pedum aſſequuntur altitudinem, inferius albent, & ſtriis rubris pinguntur, reliqua autem ſui parte virent, ſucco aqueo glutinoſo ſcatent, in plures articulos circiter pedales per genicula diviſi, ex quibus proficiſcuntur rami, brachii in morem extenſi, & in minores iterum ramuſculos divaricati.

Folia alata, alis denuo in minora, non raro quindecim folia pennarum ad inſtar diſpoſita, ſimplicia, bifida, trifida, quinquefida, ovata, & ad marginem ſerrae inſtar inciſa, laevia, virentia, diviſa, petiolis inſident obtuſis & marginatis, at-

que ad latus caulis adverſum ei, quod flores tenent, ponuntur.

Umbella univerſalis, e regione foliorum ſita, aut nullo, quod quidem frequentiſſimum eſt, aut unico, aut paucis tantummodo ad originem ſuam exiguis ſtipata foliis, in duodecim, ſedecim, octodecim minores abeunt, anguſtioribus ſingulas munitas, tribus vel quinque foliis, marceſcente flore reflexis; hae ex pluribus conſtant floribus, ſingulis fertilibus & aequalibus, quorum folia alba ſatis aequalia, potiſſimum interiorum, cordis figuram utcunque referunt.

Semina ovata, ſtriata, aliquantulum piloſa, ſulcata, marginibus albis fimbriata, petroſelini ſeminibus multum accedentia, calice minimo coronata, bina fructum conſtituunt.

Haec planta toties cum aliis, Oenanthe fiſtuloſa, Oenanthe crocata, Phellandrio aquatico, Comio maculato, Angelica ſylveſtri, Aegopodio Podagraria, Liguſtico peloponneſiaco, Sio latifolio, Sio nodiflоro, Aethuſa Cynapio, Petroſelino, Chaerophylli denique & Scandicis ſpeciebus confuſa, quibus notis a ſingulis differat, nunc enarrandum.

Oenanthen fiſtuloſam foliis longe tenuius diſciſſis, inferioribus a ſuperioribus figura ſua diſcedentibus, ſuperioribus fiſtuloſis, umbellis florum inaequalibus, floribus ambitum umbellae occupantibus longe majoribus, ſterilibus, longis petiolis inſidentibus, atque ex inaequalibus conflatis foliis, fructu denique quinquangulari a cicuta noſtra facile diſcernas.

Simili, qua prior, florum ratione, caule praeterea rufo, petiolis, flores ſuſtinentibus, angulatis & ſtriatis, a cicuta differt Oenanthe crocata.

Phellandrium aquaticum, quocum Clariſſ. Sauvages Wepferi de cicutae noxis obſervationes ad hoc referendo, *a*) ſtirpem noſtram videtur confudiſſe, caule fibrarum faſciculos non raro emittente, foliis in plures ramos, ramulos & ramuſculos diva-

a) L. c. T. II. P. II. p. 83.

divaricatos abeuntibus, floribus exterioribus interiores magnitudine aliquantum ſuperantibus, fructu denique laevi, & calice, quem vocant, & tubis perſiſtentibus coronato, manifeſtiſſime diſcrepat.

Quibus ſignis a conio maculato differat, ſupra in deſcriptione hujus plantae tradidimus.

Angelica ſylveſtris caule altiſſimo, ſex pedes nonnunquam aequante aut ſuperante; foliorum vaginis maximis & ventroſis; foliis craſſioribus; umbella ampliſſima & denſiſſima, florum foliis incurvis & rubellis, tubis reflexis in maturo fructu perſiſtentibus, fructu denique ſolido tribus ſulcis exarato, atque alis marginato, diſtingui facile a cicuta noſtra poteſt.

Aegopodium Podagraria loco natali, nunquam aquatico, caule tres pedes rariſſime ſuperante, foliis ſplendentibus, inferioribus in quina, ſuperioribus in terna folia, ex tribus iterum minoribus compoſita, pinnarum in morem ſingula diſpoſita, diſſectis, vaginis foliorum grandibus, umbellis minoribus nullo plane folio ſtipatis, florum foliis extus aliquantum rubellis, tubis longis, fructibus craſſis, magis oblongis, odore denique & ſapore levi aromatico facili opera dignoſcitur.

Liguſticum peloponneſiacum ſpectabili facie, radice lignoſa & intus ſpongioſa, caule ſulcato, foliis pedem longitudine ſua interdum ſuperantibus, umbella ampliſſima, majori & minoribus latis ſatis foliis ad originem ſuam ſtipatis, ſtaminibus violaceis, florum foliis ovatis, tubis curvis & in fructu maturo perſiſtentibus, fructu denique quinque ſulcis exarato, quos materies ſpongioſa villoſa explet, diſterminatur.

Sium latifolium radice longe minore, caule tres pedes rariſſime ſuperante, foliis ſemel tantum in minora folia ovata, ad marginem ſerrae inſtar inciſa, pinnarum in morem poſita, diſciſſis, umbellis ſummo caulis ramorumque apici inſidentibus, foliis minorum umbellarum exortum ſtipantibus, non raro dentatis, fructu denique ab utroque latere quaſi compreſſo differt.

Sium nodiflorum pariter radice minore, folia ovata in minora folia pinnarum in morem disposita, discissa, ex aquis emergentia, protrudente, caule diffuso, foliis cauli adpositis, ad alterutrum vel utrumque etiam latus adpendice donatis, umbellis aliis in apice ramorum positis, aliis in axillis foliorum brevissimis petiolis insidentibus, foliis & majorem & minores umbellas stipantibus, magnis, seminibus latis a nostra planta differt.

Ab Aethusa Cynapio in eo differt, quod Aethusa aliud plane colat solum natale, quod radix ejus sit exigua, annua, caulis sulcis exaratus, & glaber, folia lævia, nitentia, folia ad exortum umbellæ minoris posita terna alterutrum tantummodo latus umbellæ teneant, quasi pendula; quod flores in umbella exterius positi foliis constent inæqualibus & in binas inæquales lacinias partitis; quod semina potius globosa sint, quam quidem ovata.

Petroselinum odore proprio eoque non ingrato, foliis qualia reliquo cauli adponuntur umbellæ majori subjectis, minoribus umbellis aut nullo plane aut paucis iisque minimis foliis stipatis, florum foliis exterius virescentibus differt.

Scandix odorata odore anisi gratissimo eoque fortissimo, quo omnes ejus imbuuntur partes, adeo differt a virulenta nostra stirpe, ut aliis notis supersedere facile queamus.

Scandix Cerefolium proprio pariter & odore & sapore plurimis grato, radice exigua, annua; foliis glabris, nitentibus, &, quæ totius plantæ est indoles, teneris, caule longe humiliori, seminibus longis, nitidis, ad subulam figura sua accedentibus, dignosci a cicuta facile potest.

Chærophylla denique, sylvestre, bulbosum, temulum & hirsutum, & foliis ad exortum umbellarum minorum positis, reflexis ac concavis, floribus sterilibus nonnunquam inter reliquos intermistis, foliis, ex quibus exteriores umbellæ componuntur flores, perquam inæqualibus, & seminibus oblongis iisque lævibus evidentissime a cicuta distant.

Cicu-

Cicutæ igitur viroſæ potiſſimum radix, rariſſimo, ſi quidem ullo experimento herba, *b*) temulentiam, *c*) vertiginem, *d*) inſuperabilem fere in ſomnum proclivitatem, *e*) ſoporem mortis æmulum, *f*) ſenſuum omnium exercitium per tempus denegatum, *g*) ingentem laſſitudinem, *h*) aliquandiu etiam permanentem, *i*) deliria, *k*) amentias, *l*) furores, *m*) convulſiones artuum, *n*) morbum comitialem, *o*) niſus ad vomendum inanes, *p*) vomitus ſpontaneos, *q*) cruentos, *r*) ſingul-

b) Neſcio enim, an huc referre liceat infauſtum Franciſci Trapolini errorem, ex Scaligero a Wepfero l. c. p. 19. allegatum, qui loco petroſelini folia hujus plantae comedendo, amens factus & enectus fuit.

c) Etlinger Commerc. liter. Noric. 1740. p. 353. 354. Wepfer l. c. p. 8.

d) Wepfer in uno exemplo l. c. p. 8.

e) A ſolis plantae recentis, quam medio ſolis fervore aeſtuante & ſudante corpore evellebat & portabat, effluviis, tiro pharmaceuticus, Trew. Commerc. lit. Noric. 1740. p. 395. a radice comeſta in viris & vetula, Etlinger l. c.

f) In puella Wepfer l. c. p. 7.

g) Trew & in plerisque ſuis caſibus Wepfer l. c.

h) A ſolis plantae recentis exhalationibus Trew l. c. a comeſta radice in ſex caſibus Etlinger l. c.

i) In puella Trew & Wepfer ll. cc.

k) In ſex caſibus Etlinger l. c.

l) Exemplo Franciſci Trapolini & Nazarii Baſſani ex Scaligero Wepfer l. c. p. 19.

m) In filia Goeriz ex relat. Büchneri Miſcellan. phyſico-mathemat. 1729. p. 724.

n) In juvene 20, in puella 15 annorum, & in quinque infantibus Wepfer Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. II. a. 6. p. 321. ſqq. in tribus juvenibus Goeriz Miſcellan. Vratislav. 1722. I. p. 287. & in filia, idem apud Büchnerum l. c. in 5. infantibus Held ab Hagelsheim, Miſcell. Vratislav. I. p. 511. in duabus puellis Trew l. c. in 4 infantibus Box apud Schwencke Verhandeling over de ware Gedaante, Aart en Uytwerking der cicute aquatica. Haag. 1756.

o) In octo infantibus Wepfer hiſt. cic. aquat. l. c.

p) In puero ſexenni id. ibid.

q) Plerumque ſalutares, in viro 50 annorum, juvene 20, & femina 40 circiter annorum, Etlinger l. c. in unico tantum caſu Box l. c. & Wepfer l. m. c. non tamen ſemper id. ibid. & Reimann Miſcell. Vratislav. 1727. p. 312.

r) In binis puellis Trew l. c.

ſingultus, *s*) ventriculi dolores, *t*) ardores, *u*) tumores, *v*) inflammationes, *w*) eroſiones, *x*) pertuſiones, *y*) dolorem capitis, *z*) faucium ſiccitatem ſummam, *aa*) catarrhum, quem medici vocant, ſuffocativum, *bb*) mortes frequentes *cc*) easque ſæpe ſubitaneas *dd*) inferunt, cadaverum & abdomine *ee*) & facie *ff*) plerumque immenſum quantum tumente, facie, *gg*) aliquando toto externo habitu *hh*) livente, pulmonibus etiam inflammatis & gangræna correptis, *ii*) ut putes, atrociſſimi veneni effectus & partibus volatilibus, cerebrum obnubilantibus atque humores omnium narcoticorum ad inſtar potentiſſime reſolventibus, & ſummae in partibus magis fixis reſidenti acrimoniæ, tum primæ digeſtionis officinæ, tum per hanc univerſo nervorum ſyſtemati, tot tantasque turbas obiicienti,

s) In puero ſexenni, & puella nondum trienni, Wepfer Hiſt. Cic. aquat.

t) In 3 infantibus, id. ibid. in viro robuſto 26 annorum, Id. Ephem. N. Cur. Dec. II. A. 6. p. 321.

u) In puella 9 annos nata, Wepfer hiſt. cic. aqu. p. 8.

v) In tribus infantibus id. ibid.

w) Box l. c. nonnunquam in gangraenam terminatas, Wepfer Eph. Nat. Cur. l. c. non perpetuas, ſi quidem vera hiſtoria Goeriz. l. c.

x) Box l. c. & Jaugeon, niſi potius ad Oenanthen pertineat, quam refert, hiſtoria. Hiſtoir. de l'Acad. de Paris. 1715. p. 23.

y) Jaugeon l. c.

z) In viro robuſto 26 annorum Wepfer Ephem. N. C. l. c.

aa) Id. ibid.

bb) In juvene 20, & in virgine 15 annorum. Id. ibid.

cc) Juvenis id. ibid. binorum puerorum Id. hiſt. cic. aqu. l. c. duorum juvenum & filiæ Gœriz ll. cc. trium infantum Held ab Hagelsheim, Reimann & Box. ll. cc.

dd) Jaugeon l. c.

ee) In binis pueris Wepfer hiſt. cic. aquat.

ff) In puero ſexenni Id. ibid.

gg) In puero 8. annorum id. ibid.

hh) In 3 infantibus Reimann l. c.

ii) In juvene 20 circiter annorum Wepfer Ephem. N. C. l. c.

cienti, tribuendos esse, & pauciora illa impune devorati hujus veneni exempla aut parcissimae, qua assumtum fuit, copiae, *kk*) aut salubri sine certo fine additi antidoti efficaciae, *ll*) aut radici praeter auctumnum effossae deberi.

12. Aethusa Cynapium, Linn. S. N. II. p. 213. Spec. plant. I. p. 367.

Aethusa, Haller l. c. I. p. 336. n. 765.

Cicuta minor, petroselino similis. C. Bauhin. Pin. p. 160.

Cicutaria fatua. Lobel Icon. stirp. II. p. 280. f. 2.

Cicutaria apii folio. J. Bauhin l. c. T. III. P. II. p. 179.

Cicuta minor. Blackwell. T. 517.

Germanis: *Gleisse, kleiner Schierling, Hundspeterlein, Glanzpeterlein, Krötenpeterlein, Kazenpeterlein, stinkender Peterlein, tolle Peterssilie, faule Grete.*

Planta annua, in sepibus vulgata, & tanto quidem periculosior, quod media inter plantas culinares sponte sua in hortis progerminet, nonnullis edulibus adeo affinis, ut saepissime confundatur, praesertim eo tempore, quo nullos adhuc gestat flores, quod Junio demum fit & Julio.

Tota glabra, si inter digitos teras, gravem allii utcunque aemulum spirat odorem.

Caulis sulcatus ramos, brachii ad instar extensos, protrudit. Folia ter in minora folia, pinnarum in morem dispositа, dissecta, laevia, in superiore pagina atro virore nitent. Umbella magna, nullo plane ad exortum suum stipata folio; minores ad originem suam tribus pendulis reflexis foliis, ad alterutrum tantummodo umbellarum latus positis, suffultae, floribus constant albis, omnibus fertilibus, quorum exteriores foliis constant inaequalibus & in iniqua segmenta disciffis.

Semi-

kk) Huc referas 3 illa exempla puellarum, Wepfer hist. cic. aqu. p. 9.

ll) Hac ratione explices, cicutae radices acetarii instar comestas in nonnullis regionibus pro deliciis haberi, si vera sit relatio Wepfer, l. m. c. p. 7.

Semina, globum figura ſua referentia, ſulcis quatuor & tribus eminentibus ſtriis exarantur, nullo peculiari exornata calice.

Planta toties cum conio maculato & cicuta viroſa, a quibus quomodo differat, ſupra oſtenſum eſt, toties potiſſimum, cum ſimillimo, antequam floreat, petroſelino infeliciſſimo errore commutata, ut, monentibus jam dudum Botanicis Illuſtribus Trewio & Hallero ll. cc. vero quam maxime accedant, qui omnia herbae cicutae pro petroſelino eſitatae exempla ad noſtram ſtirpem ſpectare, reputant; ab hoc tamen differt odore, niſi teras, nullo, certe non grato; radice annua & minore; foliorum pagina ſuperiori atro virore conſpicua, & nitenti, (longe magis, quam quidem Blackwelliana icon exprimit) manifeſtius adhuc, ſi flores jam prodierint, floribus omnino candidis, ternis & reflexis, ſatis longis & acutis, ad exortum umbellarum minorum & ad alterutrum quidem ſolummodo caulis latus poſitis; atque a figura reliquorum foliorum plane recedentibus foliis.

Ab hujus igitur ſtirpis herba, rarius radice, *a*) excitata legas anxietates, *b*) deliria, *c*) amentias, *d*) furores, *e*) alvi profluvia, *f*) vomitus enormes, *g*) capitis, *h*) ventriculi, *i*) inteſtino-

a) In duobus pueris. Commerc. liter. Noric. 1731. p. 178.

b) Ibid.

c) In altero puero ibid. Martius Ephem. Nat. Cur. Vol. I. Obſ. 52. & in integra familia, Miller ibid. Cent. X. Obſ. 62.

d) Dalechamp in notis ad C. Plinii Secundi Naturae hiſtoriarum L. XXXVII. Lugd. 1587. J. H. Jonſton Thaumatograph. Amſtel. 1632. p. 202. Matthiolus Comment. in Dioſcorid. p. 1416.

e) Matthiolus l. m. c. in exemplo monachi.

f) Jungius Ephem. N. C. D. I. a. 4. 5. p. 101. Riviere Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences a Montpellier. a Lyon. 1766. T. I. p. 170. ſqq.

g) Iid. ibid. & P. Blair Pharmaco-botanologia. Lond. 1728. Dec. V. p. 212. ſqq.

h) Riviere l. c.

i) Jungius, Blair, Commerc. lit. Noric. ll. cc.

teſtinorum *k*) dolores atrociſſimos, ſopores, *l*) tumores univerſi corporis, *m*) ſaepius lividos, *n*) & denique non raro mortes. *o*)

13. Chaerophyllum (ſylveſtre) caule laevi ſtriato, geniculis tumidiuſculis. Linn. S. N. II. p. 214. Sp. Pl. I. p. 369.

Cerefolium foliis acute dentatis triplicato-pinnatis glabris; nervis hirſutis. Haller l. c. I. p. 328. n. 748.

Myrrhis ſylveſtris, ſeminibus laevibus. C. Bauhini Pin. p. 160.

Cicutaria vulgaris. J. Bauhin l. c. T. III. P. II. p. 181.

Graecis: Myrrhe, Myrrha.

Gallis: Perſil d'âne.

Germanis: *wilder Kaelberkropf*, *wilder Koerbel*, *Kerbelkern*, *Kelberkern*, *Buſchmoeren*, *Scheere*.

Frequens pomariorum, pratorum & hortorum vitium Majo potiſſimum menſe floret.

Tota planta odorem utcunque ingratum ſpirat.

Radix craſſa, longa & alba, ſapore acri atque aromatico linguam guſtantis ferit.

Caulis hirſutus, craſſus, fiſtuloſus, ad originem ramorum intumeſcens.

Folia ampla, binos pedes longitudine ſua nonnumquam aequantia, exceptis nervis glabra, rarius tota hirſuta, ter in minora folia, pinnarum in modum poſita, diſſecta, foliis ultimis ad marginem acutis dentibus inciſis, extremis in unum confluentibus.

Umbella plana, rara, aut unico tantummodo, aut nullo ad originem ſuam folio ſtipata, in plures minores diſpeſcitur.

k) Blair II. cc.

l) Riviere l. c.

m) Blair l. c.

n) Commerc. lit. Nor. I. c.

o) Unicum exemplum Jonſton l. c. pueri ſexennis Comm. lit. Nor. I. c. tria Riviere l. c. duo Blair l. c.

Ad exortum umbellae minoris posita conspicias quinque, sex vel septem satis lata, aliquantum hirsuta, excavata, &, dum flores marcescere incipiunt, reflexa folia.

Flores plerique fertiles, intermixtis tamen hinc inde sterilibus, ex foliis albis, rarius rubellis, integris, cordis figuram utcunque referentibus, in exterioribus umbellae floribus valde inaequalibus, ita, ut extimum folium maximum sit, interiora minima, conflati.

Semina oblonga, laevia, nitida, livida, tubis persistentibus quasi rostro donata.

Quibus indiciis planta haec a conio maculato & cicuta virosa discrepet, supra, dum de his egi, fusius demonstravi.

Plantae hujus radix, hiemali tempore collecta, deliria, *a*) soporem ferreum, *b*) suffocationis metum, torporem, insaniam & ebrietatem *c*) inducere visa est, nullo tamen, quod nobis certe constet, exemplo mortem.

14. Chaerophyllum (bulbosum) caule geniculis tumido, basi hirto, Linn. S. N. II. p. 214. Sp. pl. I. p. 370.

Myrrhis radice bulbosa, caule inferius hirto, superne laevi, foliis triplicato-pinnatis acute incisis. Haller l. c. I. p. 329. n. 752.

Cicutaria bulbosa. C. Bauhin. Pin. p. 161.

Cicutaria odorata bulbosa. J. Bauhin l. c. T. III. P. II. p. 183.

Hungaris: Magiaro salata.

Germanis: *bolliger Kälberkropf*, *Peperlein*, *Nappenkörfel*.

Ad sepes potissimum habitat mense Junio florida.

Radix primo vere pyrum figura sua referens & carnosa, adultior elongatur & lignosa fit.

Caulis

a) Held ab Hagelsheim Miscellan. Wratislav. II. 1722. p. 577.

b) Ut per integrum diem excitari non potuerit, unico exemplo J. Bauhin. l. c. p. 182.

c) Hos effectus in binis familiis Montbelgardensibus inde natos vidit Idem l. m. c.

Caulis fiſtuloſus, ſex aliquando pedes altitudine ſua attingens, maculis rufis fuſcisque pictus, inferius villoſus, cetera laevis, atque, ubi aut folia aut rami enaſcuntur, intumeſcens.

Folia foetida, ter in numeroſa minora folia, pinnarum ad inſtar diſpoſita, diviſa, aliquantum hirſuta ſunt.

Umbella magna unico, minores tribus ad ſeptem inaequalibus, principio ſuo quaſi coadunatis, ſtipantur foliis; reliqua cum priori conveniunt.

Semina ſulcata, oblonga, laevia, ſulcis pigmento fuſco notatis.

Radicem hujus plantae, in Auſtria forma acetarii edulem, capitis gravedinem & dolores vertiginemque creare, expertus eſt Cluſius. *a*)

15. Chaerophyllum (temulum) caule ſcabro, geniculis tumidis. Linn. S. N. II. p. 214. Spec. pl. I. p. 370.

Myrrhis foliis hirſutis laciniis obtuſis, caule geniculato. Haller l. c. I. p. 329. n. 750.

Chaerophyllum ſylveſtre. C. Bauhin. Pin. p. 152.

Myrrhis Rivini l. c. T. 98.

Germanis: *berauſchender Kälberkropf.*

Anglis: wild Chervil.

Ad ſepes, vias & arva, rariorem tamen in noſtris certe oris reperias hanc plantam.

Caulis ſcaber, ad genicula intumeſcens, maculis fuſcis pictus.

Folia piloſa, bis in minora folia, pinnarum in morem diſpoſita, diſſecta.

Umbellae, antequam aperiantur flores, cernuae & ad alterum nutantes latus, nullum, aut paucula tantum exigua folia ad originem ſuam appoſita habent; minores umbellae unico ſuccinguntur folio, dum matureſcunt ſemina, reflexo, in ſex vel octo minora & ariſta quaſi terminata ſegmenta ſciſſo; reliqua floris cum prioribus conveniunt.

a) V. etiam Schreber *Neue Cameralſchriften 9ter Theil.* p 269.

Semina minora oblonga laevia, ſtriis & ſulcis exarata.

Quibus notis & haec & prior planta a conio maculato differat, in ſuperioribus monſtravi.

Cur tribui venenoſarum ſtirpium inferam, praeter nomen, quod vix putes, ab Illuſtri Linnaeo absque ratione fuiſſe impoſitum, neſcio.

IV. Lilia.

His, quotquot ſcilicet harum plantarum hic enarramus, commune eſt, plantulam tenellam ex unico folio prodire, caule foliis ſimplicibus iisque convolutis cincto, exterius floris involucrum aut nullum habere, aut marceſcentem modo vaginam, interius, aut ex ſex foliis compoſitum, aut in ſex lacinias diſſectum, habere ſtamina ſex, tubas tres, fructum denique vel intus in ternos partitum loculos, vel ex tribus conflatum ſiliquis.

16. Colchicum (autumnale) foliis planis lanceolatis erectis. Linn. S. N. II. p. 256. Spec. plant. I. p. 485.

Colchicum flore folium longe praecedente, foliis ovatis. Haller. l. c. II. p. 124.

Colchicum commune. C. Bauhin. Pin. p. 67. Knorr theſaur. rei herbar. I. Z. 1.

Colchicum. J. Bauhin. l. c. II. p. 648. Blackwell. T. 566. Stoerck Libellus, quo demonſtratur, colchici auctumnalis radicem non ſolum tuto exhiberi poſſe hominibus, ſed & ejus uſu interno curari quandoque morbos difficillimos. Vindob. 1763. & Schinz *in der deutſchen Ueberſezung.* Zürich 1764. Wilhelmi Colchicum. *Leipz.* 1721.

Graecis: Colchicon, Ephemeron, Bolbos agrios.

Italis: Zaffrano ſalvatico, Colchico, Zaffarano baſtardo.

Anglis: wild Saffron.

Belgis: Tütloſen, Fenynight, Hermodactyle, Colchicum met porpore bloem.

Gallis:

Gallis: Colchique, Mort au chien, Tuë chien, Violettes.
Bohemis: Ocun.
Ungaris: Kokorchün.
Germanis: *Zeitloſen*, *Herbſtzeitloſen*, *Herbſtblume*, *Lichtblume*, *Spinnblume*, *Wieſenſafran*, *wilde Safranblumen*, *Mattſafran*, *nackende Hure*, *Hundshoden*.

In pratis noſtris vulgatiſſima ſtirps ſub finem aeſtatis auctumnique initium floret.

Radix globoſa, unum duosve pollices aut ultra ſub terra latitans, aeſtatis initio ſucculenta & carnoſa, altero latere convexa, altero plana, & crena, dimidium cylindri figura ſua referente, inciſa, cuticula fuſca obducta, ceterum alba, in pagina inferiore paucas ex macula rotunda emittit fibrillas, & ex memorata crena caulem, & auctumno ſub terra adhuc reconditum fructum cum foliorum rudimentis.

Folia ſatis lata, plana, inter lanceae figuram & ovatam media, Majo & Junio prodeunt, & fructum matureſcentem includunt.

Flores ex ipſa radice prognati, ex unica eaque cohaerente membrana conflati, nullo exteriori tegumento, niſi exiguam marceſcentem, tenuiſſimam, albidam vaginam velis, incluſi, albi, albidi, rubelli, aut albi lineis rubentibus picti, longo conſtant, dodrantali non raro, peranguſto tubo, qui denique dilatatus in ſex ovata, alternatim majora & minora ſegmenta finditur.

Stamina ex lato ſegmentorum fine oriuntur, pollinem luteum ſpargunt: Tubae tres fili tenuitatem aemulantia, longiſſima, ſolitario inſident ovario, & apiculis terminantur ſingulae recurvis.

Fructus oblongus, magnus, rugoſus, pyri ſpeciem utcunque prae ſe fert, & intus in ternos dividitur loculos, qui ſinguli magnam teretium, rugoſorum & ex atro fuſcorum ſeminum continent copiam.

Hujus

Hujus radicem, ſub aeſtatis initium praeſertim collectam, nunc atrociores, nunc mitiores, pro modo propinandi & praeparandi, pro alia atque alia mixtione, & corporis, cui ingeritur, conſtitutione alios atque alios in ſanitatem hominis edere effectus, obſervarunt alii: viderunt quippe acerrimum nauſeoſum bulbum *a*) fauces conſtringere, *b*) linguae rigorem & ſtuporem, *c*) labiorum calorem, ſalivae crebriorem adfluxum, *d*) frequentem & cum ardoris ſenſu contingentem mictionem, *e*) inanes ad alvum exonerandum incitationes, *f*) ſenſum ardoris in ventriculo & vagos inteſtinorum dolores *g*) producere, naturalem ciborum appetentiam deſtruere, *h*) dolores capitis, ſingultiendi conatus, ſitim intenſam, *i*) funeſtos alvi fluxus, *k*) quin etiam mortes creare; *l*) ſuccum dentibus ſtuporem, & ſalivae intolerabilem conciliare amarorem, ipſum, dum extractum praeparabatur, vaporem nares & manus verſantes aggredi, *m*) ut plerisque Medicis deteſtata communi fere ſuffragio in venenorum haberetur numero; alii inertem plane

a) Talem invenit Ill. Stoerck l. c. p. 8. cum Veteribus plurimis ad venena refert Magnus Boerhaave inſtitution. medic. §. 1137. ob nimiam acrimoniam ex pharmacopoliis exulare jubet Macbride methodical Introduction to the Theory and Practice of Phyſic. 1772.

b) Ex ore Boerhaavii Ill. Haller l. c. p. 125.

c) Stoerck l. c. p. 9. exp. I.

d) Marges Journal de Medecine & de Chirurg. T. XXIII. 1765. Jul. nr. 2.

e) Stoerck l. c. Exp. II. p. 10. & p. 12. Exp. III.

f) Id. l. c. p. 13. Exp. III.

g) Id. ibid.

h) Id. l. c. p. 13. Exp. III.

i) Id. ibid.

k) Ludovici Pharmacia modern. ſecul. adplicand. Diſſ. I. 1712. p. 63. & B. Cordus Hiſt. plant. quinque. libr. II. p. 152.

l) Ex Brookes Ill. Haller l. c. p. 125.

m) Marges l. c.

plane esse, rapaceam, leviter amaram, *n*) & ad quatuor usque uncias impune posse devorari, *o*) suis comprobatum iverunt periculis, ut, nisi forsan in diversa radicis aetate, *p*) loco & solo natali, *q*) aut tempore, quo ex terra eruta in usum trahitur, *r*) horum effectuum discrimen lateat, vix possis tot sibi contradicentia illustrium & ab utraque parte fide dignissimorum virorum conciliare experimenta.

Flores acerrimos gravissimos intestinorum dolores & ipsam mortem Garidel, *s*) semina violentos vomitus, alvi fluxus truculentos, singultus, convulsiones, cordis palpitationes, & summas praecordiorum angustias inducere, neque raro necare, Siegesbeck *t*) & J. C. Peger *u*) testantur.

17. Veratrum (album) racemo supradecomposito, corollis erectis. Linn. S. N. II. p. 668. Sp. pl. II. p. 1479.

Veratrum spica paniculata, floribus maribus & feminis. Haller l. c. II. p. 96.

Helle-

n) Kratochvill Dissert. de radice colchici autumnalis. Francof. ad viadr. 1764. insipidam & mitem gustavit Ill. Haller l. c. II. p. 126. farinaceam & obtusam Ill. Stoerck l. c. p. 8. innocuam deprehendit in Carniolia & agro Tergestino, ut recentissimi iique integri bulbi comedi possint, Id. libell. quo continuantur experimenta & observat. circa nova sua medicam. Vindob. 1765. p. 233.

o) Kratochvill l. c.

p) Recentem acrem, annosam farinaceam deprehendit Ill. Stoerck. libell. quo demonstratur, colchici &c. p. 8.

q) Eapropter in aliis regionibus venenatam, in Carniolia & agro Tergestino impune comedi Ill. Stoerck libell. quo continuantur &c. p. 223.

r) Autumnalem radicem gustavit Ill. Haller l. c. II. p. 126. autumnalem innocuam invenit Ill. Stoerck l. m. c. sub initium aestatis effossam potentissimam esse, Id. l. m. c. p. 141.

s) L. c.

t) Miscellan. Vratislav. 1723. p. 679.

u) Paeonis & Pythagorae exercitat. anatomic. & medic. famil. Basil. 1682. Exerc. 50.

Helleborus albus, flore ſubviridi. C. Bauhin. Pin. p. 186. J. Bauhin. l. c. T. III. P. II. p. 634.

Weinmann T. 528. l. d.

Arabibus: Cherbachen abaid.

Graecis: Helleboros leucos, Aſcis, Atomos, Pignatoraxis, Heraleios, Polyeidos, Anaphytos.

Hiſpanis: Verde gambre blanco, Yerva de balleſte.

Italis: Veladro, Helleboro bianco.

Anglis: Hellebor.

Belgis: Wit Nieſzcruyt, witte Nieſzwortele.

Gallis: Ellebore, Veratre blanche.

Bohemis: Kaychawka.

Ungaris: Feyer unyors.

Germanis: *Weiſſe Nieswurz, weiſſe Nieswurz mit grünlichter Blume, Hemerwurz, Champagner Wurzel.*

Hanc plantam etiam in montibus Suevicis, Memmingae vicinis aliisque, & aeſtate quidem florentem, invenias.

Radix perennis conſtat tubere oblongo, albo, ex quo innumerabiles albas, longas & teretes fibras exeuntes conſpicias.

Caulis, quatuor ſaepius pedum altitudinem attingens, erectus vix ullos producit ramos.

Folia lineis vel nervis multis inſcripta, mediae inter lanceolae & ovatam figuram, magna, nulli petiolo innixa, crebra, laevia, nec diviſa, nec inciſa, mollia, & plantaginis ſive gentianae luteae folia figura ſua referentia.

Flores in denſas ſpicas, hae in majores ſpicas, & hae denique in magnos racemos congeſti, omnes erecti, involucro ſimplici, ex foliis ſex, lineatis, albis, atque extus virentibus, firmis, perſiſtentibus, utcunque hirſutis, ovum aut lanceolam figura ſua aemulantibus, tribus exterioribus durioribus, tribus interioribus pallidioribus conflato, muniti; alii, & imi quidem, ſteriles, quibus deficit piſtillum, niſi minutum rudimentum, nunquam in ſemen matureſcens, pro piſtillo habeas, ſunt tamen ſtamina ſex, ex principio foliorum floris nata, ſin-

gula

gula apicibus polline ſeminali foetis termina; alii, iique quidem ſuperiores, fertiles, in quibus quidem totidem ſtamina, apicibus tamen deſtituta, ſed praeter haec tria perfecta piſtilla reperias.

Hi poſteriores poſt ſe relinquunt capſulas, fabrica ſua proxime ad ſiliquas accedentes, ternas, multis unamquamque ſeminibus refertas, quarum apices repandi extrorſum flectuntur.

Hujus ſtirpis radix, toties a Medicis priſcorum temporum uſitata, toties nocentiſſimo errore cum aliis mitioribus confuſa, a plurimis prudentioribus Medicis damnata, ſive recens & cruda, *a*) ſive cum cereviſia, *b*) ſive cum aqua, *c*) cocta, ſive cum vino *d*) vel ejus ſpiritu *e*) infuſa, ingeratur, ſive in nodulo adplicetur, *f*) ſive extus regioni ventriculi imponatur, *g*) pro alia atque alia veneni adhibiti doſi, *h*) forma, *i*) lo-

a) Grew Anatomy of Plants with an Idea of a philoſophical Hiſtory of Plants and ſeveral other lectures. London 1682. eam potentiorem eſſe annoſa, quod magna pars virus in partibus volaticis reſideat, Ill. Haller l. m. c.

b) Roedder apud Alberti medic. legal. obſ. 15.

c) J. G. Gmelin flora Sibir. P. I. p. 75.

d) Lentilius eteodrom. medico-practic. Stuttg. 1711. p. 868. Wepfer hiſt. cicut. aquat. p. 48. Roedder l. c. obſ. 14. Foreſtus Obſervat. & curation. medicinal. L. XXX. Obſ. 9.

e) Neumann praelect. chem. poſthum. T. II. P. III. p. 103.

f) Dr. Schroder de venenis & antidotis. Lugd. B. 1679.

g) Ettmüller Colleg. medic. chirurg. p. 478.

h) Guttulam ſuperinfuſi huic radici ſpiritus vini alvum vehementer movere, Neumann l. c. a ſcrupulo dimidio radicis evacuationes per alvum & vomitum violentas, vertiginem & tenſionem artuum; graviora adhuc a ſcrupulo integro mala nata obſervavit Ledelius Ephem. Nat. Curioſ. Dec. III. a. 1. p. 92. plura adhuc a drachma media, Reimann Miſcell. Vratislav. 1724. p. 535. graviſſima mala a drachmis binis & uncia dimidia Roedder l. c. ab unciis duabus Foreſtus l. c. a majore, neque definita doſi mortes J. G. Gmelin l. c. & Fallopius de purgantibus ſimplicibus. c. 69.

i) Infuſum aquoſum, extractum aquoſum & ſpirituoſum reliquis praeparatis debilius & mitius. Neumann l. c. & Cartheuſer mater. med. p. 413.

co natali, *k*) mixtione, *l*) & praeparatione, *m*) pro alio etiam atque alio adplicandi modo, *n*) pro alia atque alia corporis, cui ingeritur, conſtitutione, *o*) alia atque alia, eaque haud raro truculentiſſima infert mala; *p*) labia & fauces exurit, *q*) fauces & ſtomachum conſtringit, *r*) ventriculum inflammat, & plenariam ei inducit corruptionem, *s*) inde niſus ad vomendum inanes, *t*) vomitus, plerumque violentiſſimos, *u*) ſingultus, *v*) ven-

k) Veratrum, quod in agro Tridentino & finitimis creſcit, minus nocere eo, quod in calidioribus provenit regionibus, J. Bauhinus l. c. p. 634.

l) Cum melle & aceto, quae ejus quaſi antidotum conſtituunt, in oxymel redacta prudenti uſu ſalubris ſit, auctore C. Geſnero.

m) Hoc principio nititur mitior raphani, aut pomi draſtica vi hellebori imbuti, agendi vis, quod artificium tradunt J. Bauhinus l. c. p. 634. Lorry melanchol. II. p. 313. 314.

n) Intus ingeſtam plurimis in caſibus nocere, extus, niſi incaute vel regioni ſenſiliori adplicetur, ſaepius prodeſſe, docent Medicorum obſervationes.

o) Senes, pueros, feminas & delicatulos omnes ab ejus uſu arcebant, plurimi non niſi corpori per ſeptem dies praegreſſos praeparato, plurimi non niſi iis, qui pertinaciſſimis morbis, nulli blandiori remedio cedentibus, laborabant, rabidis, melancholicis, amentibus, aliisque propinarunt veteres.

p) C. Plinius Sec. hiſtoria mund. L. XXV. n. 23. Lorry & Roedder ll. cc.

q) Grew l. c.

r) Winter Miſcell. Vratislav. 1724. n. 268. Reimann ibid. l. c.

s) Sphacelum ſcilicet, Schroder l. c. Muralto Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. 2. p. 239.

t) Foreſtus l. c.

u) C. Plinius Sec. l. c. n. 21. communi etiam Graecorum obſervatione, Arabum, uti Rhazes ad Manſor. l. III. c. 61. & J. Meſue de re medica L. II. cap. 30. communi etiam latinorum; de quo Aemilius Macer:

Helleborum geminas ſpecies teſtatur habere,
Album, quod ſurſum purgat, nigrumque deorſum;

communi denique ſequentium ſeculorum animadverſione, Fallopii, Lentilii, Ledelii, Reimanni, Winteri, Schroderi, Ettmülleri, Lorry ll. cc. Graſs Ephem. Nat. Cur. Dec. I. a 4. 5. p. 93. aliorumque.

v) Muralto l. c.

ventriculi ardorem, *w*) hujus *x*) & inteſtinorum dolores atrociſſimos, *y*) alvi dejectiones frequentiſſimas, *z*) dolentiſſimas, *aa*) aliquando cruentas, *bb*) abdominis inflammationem, *cc*) convulſiones artuum, *dd*) oculorum, *ee*) linguae, *ff*) ſternutationes creberrimas, *gg*) tenſiones membrorum, *hh*) contractiones ſurarum continuas, *ii*) capitis dolores, *kk*) vertigines, *ll*) vocis defectum, *mm*) morbum attonitum, *nn*) caecitatem, *oo*) levia deliria, *pp*) praecordiorum anguſtias, *qq*) animi deliquia, *rr*) pulſum deletum, *ss*) ſanguineum ad ungues, *tt*) frigidum in univerſo corpore ſudorem, *uu*) totius corporis frigus, *vv*) &

w) Id. ibid.

x) Reimann l. c. prementes Wepfer l. c.

y) Graſs l. c.

z) C. Benivenius apud Foreſtum l. c. Meſue, Graſs, Ledelius, Reimann, Roedder ll. cc.

aa) Ledelius l. c.

bb) Deſſenius de compoſit. medicam. L. X. Francof. 1555. p. 442.

cc) Reimann l. c.

dd) Muralto, Ledelius, Winter, Roedder, Lorry ll. cc. Lentilius Ephem. Nat. Cur. Dec. III. App. p. 130.

ee) Borrichius Act. Hafnienſ. Vol. 5. p. 146.

ff) Balbutiem obſervavit Graſs l. c.

gg) Muralto l. c.

hh) Ledelius l. c.

ii) Reimann & Lorry ll. cc.

kk) Ledelius l. c.

ll) Id. ibid. & Reimann l. c.

mm) Roedder l. c.

nn) Dobrzenſky Ephem. Nat. Cur. Dec. I. a. 2. p. 279.

oo) Temporariam Borrichius l. c.

pp) Graſs l. c.

qq) Wepfer, Foreſtus, Muralto, Reimann, Lorry & Roedder ll. cc.

rr) Wepfer & Foreſtus ll. cc.

ss) Roedder l. c.

tt) Lentilius Ephem. Nat. Curioſ. l. c.

uu) Reimann, Roedder & Wepfer ll. cc.

vv) Roedder l. c. extremorum Wepfer l. c.

frequentes ſatis *ww*) easque ſaepius repentinas neces *xx*) excitatas eſſe legas.

V. Polyandrae.

His commune eſt, habere ſtamina numero vicenario plura, alia ab aliis ſeparata, & diſtincta, utplurimum inaequalia, in eodem cum futuro fructu thalamo poſita; ſingulis etiam communis urens, fixis potius partibus, neque adeo volaticis inhaerens acrimonia.

18. Actaea (ſpicata) racemo ovato, fructibus baccatis. Linn. S. N. II. p. 359. Sp. pl. I. p. 722.

Actaea foliis circumſerratis duplicato pinnatis, pinnula extrema trilobata. Haller l. c. II. p. 24.

Aconitum racemoſum, Actaea Plinii. C. Bauhin. Pin. p. 183.

Chriſtophoriana Actaea. Blackwell. T. 565.

Graecis: Actaee.

Italis: Erba di Sto Chriſtoforo.

Gallis: Herbe de St. Chriſtofle.

Lapponibus: Betneka-murie.

Germanis: *Chriſtophskraut, gemeines Chriſtophskraut, Chriſtophswurz, aehrenfoermiges Schwarzkraut.*

Hanc in umbroſis montium hiatibus, & Majo quidem floridam conſpicias.

Radix lignoſa, aſpera, nigra.

Folia lucida, glabra, bis in minora ſerrae inſtar inciſa folia diviſa, triangularia, umbelliferarum fere referunt faciem.

Flores in racemum quaſi congeſti apici pedunculi ex latere caulis procedentis inſident; ſinguli duplici velamento, utroque diu ante, quam matureſcant, deciduo, utroque ex quatuor foliis aequalibus, in exteriori viridibus, in interiori albis & extus rubellis, in utroque fine acutis, conflato, interiori exterius ſuperante, muniti, ſtamina gerunt viginti aut viginti

ww) Benivenius, Fallopius, frequentes in Sibiria J. G. Gmelin. ll. cc.

xx) Intra ſextam horam Benivenius l. c.

ginti & unum, floris tegumentis longiora, quae inter non raro videas bina vel tria alia degenerantia, & folii floris potius formam induta, bifida:

Piſtillum unicum modo adeſt.

Bacca, quae matura nigricat, ſicca ſatis ovata, utcunque compreſſa, & criſta transverſa, tubae rudimento inſtructa, ſemina continet plura, dimidiatam, quam vocant, ellipſin referentia.

Infamiae nota huic plantae inuſta, nulla nobis certe nota vera obſervatione nititur, niſi Ill. Linnaei, *a*) qui a baccarum eſu excitatos furores & neces allegat.

19. Aconitum (lycoctonum) foliis palmatis multifidis villoſis. Linn. S. N. II. p. 371. Spec. pl. I. p. 750.

Aconitum foliis hirſutis ſemitrilobis, lobis duplicato-trifidis. Haller l. c. II. p. 94. n. 1200.

Aconitum lycoctonum luteum. C. Bauhin. Pin. p. 183.

Aconitum luteum ſ. lycoctonum. Blackwell. T. 563.

Arabibus: Canach adip.

Graecis: Aconiton heteron, Aconiton lycoctonon, Aconiton cynoctonon.

Hiſpanis: Yerva mata lovos, Mata lovo giallo.

Italis: Aconito giallo, Aconito per amaſſar lupi e cani.

Anglis: Yellow Iron-Wort, Yellow Helmet-Flower, Yellow Wolfsbayne, Playne.

Belgis: Gele Wolfswortel.

Gallis: Aconit jaune, Tuë-loup jaune, Tuë-loup, Etrangle-Loup, Madriettes.

Rhætis: Ris de lup.

Bohemis: Womeg.

Germanis: *Wolfswurz, gelbes Wolfsgift, gelbes Eiſenhütlein, gelber Stürmhut.*

In

a) Flor. Lappon. Amſtelaed. 1737. p. 175.

In montibus altioribus frequentiſſimum Iunio & Iulio menſibus floret.

Dicendae ſunt primo illae notae, quas haec ſtirps cum ſequenti communes habet.

Utriusque flos unico tantummodo munitur, eoque quidem colorato, (viridi tamen colore intercurrente) velamento, ex quinque iniquis foliis conflato, quorum ſupremum maximum, fornicatum & cavum galeam mentitur, bina lateralia margine quaſi criſpa, & bina inferiora reliquis magnitudine cedunt; ex ovarii ambitu prodeuntes videas binas fiſtulas cavas, utcunque curvas, utramque in cornu melliferum, trifida lamina terminatum, abeuntem, utramque intus ſquamis ſex perbrevibus, coloratis & in orbem diſpoſitis inſtructas.

Stamina huic velamento includuntur tricenarium numerum plerumque ſuperantia; piſtilla ſemper tria, quae tres iterum relinquunt maturandas ſiliquas, ſeminibus aſperis, nigris, utcunque tetraëdris foetas.

Nunc demum ad eas notas redeo, quae hanc plantam a ſequenti diſcernunt.

Radix odorata magno conſtat tubere, ex quo copioſas prodeuntes conſpicias fibras, ſibi ſaepius implexas atque intricatas.

Caulis duorum pedum altitudinem utplurimum ſuperat, magna foliorum inſtructus copia.

Folia lata piloſa, primo vix ultra medium in tres lacinias partita, quae in tria ſegmenta, & haec iterum in tria ſegmenta diſcinduntur, lateralibus profundiſſime in duas partes diviſis.

Flores in ſpicam ſimplicem, eamque non adeo copioſam, congeruntur; ex luteo viridi colore tincti & hirſuti.

Radicem in acetario comeſtam univerſo convivio Antverpienſi perniciem intuliſſe, flores vel manducatos tantummodo linguae tumorem & ardorem vertiginemque excitare I. Bauhinus *a)* teſtis eſt.

20. Aco-

a) L. c. III. P. II. p. 653.

20. Aconitum (Napellus) foliorum laciniis linearibus ſuperne latioribus linea exaratis. Linn. S. N. II. p. 371. Sp. pl. I. p. 751.

Aconitum caule ſimplici, ſpica denſa, petiolis unifloris, caſſide breviter mucronata. Haller l. c. II. p. 90. n. 1197.

Aconitum magnum ſ. Napellus. Blackwell. T. 561.

Aconitum caeruleum ſ. Napellus primus. C. Bauhin. Pin. p. 183.

Napellus Stoerck libell. de ſtramonio, hyoſcyamo & napello &c. *überſezt durch Schinz. Zürich.* 1763.

Graecis: Aconiton Cyaneion.

Hiſpanis: Napello.

Italis: Napello, Aconito ceruleo.

Anglis: Ironwort, Helmetflower, Bleu Wolfsbayne.

Belgis: Wolfswortel, Munnikskappe.

Gallis: Napel, Coqueluchon, Capuce de Moine, Madriettes, Cappe de Moine, Blew Tueloup, Aconit bleu.

Germanis: *Kappenblumen, Narrenkappen, Teufelswurz, Eiſenhütlein, blaues Eiſenhütlein, blauer Sturmhut, blaue Wolfswurz, Wolfswurz mit groſen blauen Blumen.*

Auguſto in alpibus Suevicis florentem hanc plantam invenit Ehrhart.

Radix extus fuſca, unica, lignoſa, inaequalis, napi radicem utcunque aemulans, tubere conſtat, ex quo multae inaequales & craſſitie, & longitudine & directione fibrae producuntur.

Caules, plures ex una radice prodeuntes, teretes, recti, rigidi, hinc inde flexuoſi, inferiore ſui parte laeves, ſuperiore teneriores & molli lanugine tecti, nullos protrudunt ramos.

Folia glabra, nitida, ſuperiori pagina ex atro virentia, inferiore pallide viridia, longis, iisque nonnunquam ſulco exaratis, petiolis, a quibus nervus in extrema usque foliorum ſegmenta productus exit, innixa, aut alternatim, aut nullo determinato ordine creberrima cauli adponuntur; ſingula ad pe-

tiolum usque in tres vel quinque lacinias dissecta; laterales iterum profundissime in duas partes scinduntur, media in tres, quae singulae iterum in tria acuta & iniqua segmenta abeunt.

Flores, saturato violarum colore tincti, magni, brevibus & folio minuto simplici munitis propriis unusquisque petiolis insidentes, in apice caulium aut alis foliorum positi in spicam nunc densiorem, nunc laxiorem congeruntur.

Hujus igitur stirpis & exhalationes, *a)* & radix, *b)* & caulis, *c)* & herba, *d)* & flores, *e)* & semina, *f)* & pollen, apici staminum inhaerens, *g)* & succus, *h)* sive medicamenti, sive

a) Tam recentis plantae, Hain Ephem. Nat. Cur. Dec. I. A. 3. p. 344. observ. 223. Grundelius ibid. Dec. III. A. 9. obs. 92. Trew Commerc. liter. Noric. 1740. p. 395. Bayer apud Scopoli, Flor. Carniol. p. 550. Viridet des causes de la production du bon chyle. Paris. 1735. p. 203. Miller *Gaertnerlexicon.* I. p. 26. B. Ehrhart. l. c. IX. p. 94. quae Ill. Hallero nihil nocuerunt, l. c. II. p. 92. quam, dum comburitur, Quer Flor. Espann. II. p. 175. caules loco veru pro assandis aviculis adhibitos, Matthiolus Comment. in Dioscor. p. 1095.

b) In quatuor exemplis Matthiolus l. m. c. Dodonaeus stirpium histor. Pempt. III. L. IV. C. 12. Ex Turnero I. Bauhinus l. c. III. p. II. p. 656. Ex Richardo C. Bauhinus de lapide Bezaar. Bas. 1613. p. 273. Valentini pandect. medic. legal. P. I. S. 6.

c) Matthiolus l. m. c. Stoerck l. c. p. 60. succum tamen ex caule florescentis plantae manducatae profluentem absque noxa deglutivit Ritter Nov. Act. Acad. N. C. T. III. Append. p. 225.

d) Iid. ibid. Hildanus praefat. ad opera Chirurg. Helmont tumul. pestis. H. a Saxonia opera omnia med. pract. p. 857. Willisius l. c. P. II. C. 12. Lentilius Miscell. med. practic. P. II. p. 381. Bacon Philosoph. Transact. nr. 432. Moraeus Kongl. Svenska Academiens Handlingar. 1739. trim. aest. nr. 6.

e) Bradley new Improvements of Planting and Gardening, London. 1724. p. 131. una cum radice, caulibus, foliis & seminibus in altero Matthioli experimento l. c. Florum tamen & foliorum infusum aquosum saturatum impune tulit C. Gesner, Hort. p. 244. b.

f) Matthiol. l. m. c.

g) Miller *Gaertnerlexicon.* I. p. 25.

h) Roedder apud Alberti medic. legal. T. VI. obs. 23. Wepfer. hist. cic. aquat. p. 48. Stoerck. l. c.

i) ſive alimenti *k)* forma, ſive experimenti cauſa *l)* in corpus ingreſſa mille, & pro alia atque alia parte, *m)* doſi, *n)* forma, *o)* & modo adplicandi, *p)* ac ſolo natali, *q)* nec non pro alia atque alia hominis, qui recipit, conſtitutione, *r)* aliis atque aliis, nunc repentinis, nunc lentioribus modis, ſanitati ipſique etiam vitae hominis nocent; inde legas excitatas in cute

i) In nonnullis Sabaudiae & Galliae pharmacopoſiis pro radice hellebori nigri proſtare ex Geſnero & Sylvio I. Bauhinus l. c. a medicaſtris ſcopo febres debellandi ad drachmas duas exhiberi radicem Hain l. c. pro ſantonico propinatam Valentini l. c.

k) In acetario loco apii celeri Dodonaeus l. c. pro radice imperatoriae oſtruthii Turner l. c. huc etiam referas Moraei & Hildani obſervationem ll. cc.

l) In ſe ipſis minori doſi Ill. Stoerck, Wepfer & Haller ll. cc. in latronibus Matthiolus & Richardus ll. cc.

m) Radicem ceteris partibus atrociorem pronunciat Matthiolus l. c. comprobant experimenta, ut ſoli radici venenoſam vim tribueret Theophraſtus de hiſtor. plantar. L. IX. p. 124.

n) Parcula vix nocuit Ill. Stoerck l. c. drachma radicis cum portione caulis, foliorum, florum & ſeminum ſuperingeſta, latronem, & ſeptem flores in acetario comeſti alium hominem peremerunt, Matthiolus & Bradley ll. cc.

o) Succum herbae & caulis expreſſum atque igne inſpiſſatum mitius agere, quam pulverem, obſervavit Stoerck l. c. acetarii formam non perinde, ut in aliis venenis vegetabilibus, prodeſſe, teſtantur exempla Dodonaei, Turneri, Hildani, Moraei & Bradley, ll. cc. qui cum dulciariis panibus aſſumſerat latro, evaſit, Matthiolus l. c.

p) Exhalationes & antherarum pollinem, poris corporis inhalata & naribus attracta, mitius, cuti impoſitas plantae partes paullo validius, ſuccum vulnuſculis inſtillatum vehementius, venenum intus ſumtum violentiſſime agere, loquuntur obſervata; linguae impoſitum ſuccum pruritum, palpebrae lacrymas excitare Ill. Stoerck l. c.

q) In regionibus borealibus non perinde nocere, ſunt, qui contendunt; Moraei tamen exemplum in frigida Suecia contigit; in Helvetia exhalationes plane innocuas eſſe Ill. Haller l. c. in aliis regionibus non aeque, alii; v. litt. *a.*)

r) Qui oleo inunctus erat latro, evaſit. Matthiol. l. c.

te veſicas, *s*) linguae pruritum, *t*) dolorem, *u*) ardorem, *v*) exulcerationem, *w*) paralyſin, *x*) labiorum eroſionem *y*) & livorem, *z*) ſalivae crebriorem adfluxum, *aa*) ventriculi dolores, *bb*) vomitus frequentes, *cc*) ſenſum preſſionis, *dd*) & ponderis quaſi lapidis frigidi in ventriculo haerentis, *ee*) alvi profluvia atrociſſima, *ff*) tormina, *gg*) abdominis tumores, *hh*) ſenſationem globi circa umbilicum verſati, ſuperiora petentis, & in ſummum occipitii verticem auram frigidam diffundentis, *ii*) ſenſum ardoris in cerebro, *kk*) formicarum per univerſum corpus reptantium, *ll*) & frigoris per omne corpus extenſi, *mm*) articulorum, *nn*) colli, *oo*) maxillae, *pp*) pectoris

s) Ut Medici veſicatorii loco adhibita folia in peſte depraedicarent. Helmont & H. a Saxonia ll. cc.

t) Ill. Stoerck l. c. p. 61.

u) Id. l. c. p. 60.

v) Id. ibid. & Wepfer l. c.

w) In latrone Matthiolus l. c.

x) In altero latrone idem l. c.

y) Id. ibid.

z) In altero exemplo Id. l. c.

aa) Ill. Stoerck l. c.

bb) Richardus & Rœdder ll. cc.

cc) Aliquando ſalutares, aut certe levantes; in binis exemplis Matthiolus l. c. in ſuo Richardus l. c. in binis etiam Turnerus l. c.

dd) In altero exemplo Matthiolus l. c.

ee) Richardus l. c.

ff) Valentini l. c.

gg) Hildanus l. c.

hh) Richardus & in uno etiam exemplo Matthiolus ll. cc.

ii) In tertio exemplo Matthiolus l. c.

kk) In eod. ibid. id.

ll) Bacon l. c.

mm) In binis exemplis Matthiolus l. c.

nn) Bacon & Richardus ll. cc.

oo) Richardus l. c.

pp) Id. l. c. & in uno exemplo Matthiolus l. c.

ctoris, *qq*) renum, *rr*) capitis *ss*) dolores, ſaepius vagos, *tt*) vertigines, *uu*) caecitates temporarias, *vv*) oculorum inflammationes, *ww*) ſenſum & motum in alterutro corporis latere, *xx*) ſaepius alternatim ſuppreſſum, *yy*) ſoporem, zz) inſignem laſſitudinem & debilitatem, *aaa*) deliria, *bbb*) furores, *ccc*) rigores, *ddd*) oris, *eee*) oculorum, *fff*) artuum ggg) convulſiones; pectoris oppreſſiones & anguſtias, *hhh*) animi deliquia, *iii*) pulſationes arteriarum mire mutatas, *kkk*) ſuppreſſas, *lll*) debiles, *mmm*) celeres, *nnn*) intermittentes, *ooo*) faciei livores, *ppp*) ſudores frigidos, *qqq*) lotii ſuppreſſam ex-

qq) Richardus l. c.

rr) Pungentes id. ibid.

ss) Id. Ibid.

tt) Id. ibid.

uu) Matthiolus & Richardus ll. cc. Valvaſor *Ehre des Herzogthums Crain. Laub. und Nürnberg.* 1689.

vv) Miller per biduum aut triduum durantes l. c. p. 26. Matthiolus l. c.

ww) Acutiſſimam & dolentiſſimam Richardus l. c.

xx) Id. ibid. & in uno exemplo Matthiolus l. c.

yy) In eod. Matthiolus l. c.

zz) In uno exemplo Matthiolus l. c. Bacon & Moraeus ll. cc.

aaa) In uno exemplo Matthiolus, Richardus, Bacon, Trew ll. cc.

bbb) Matthiolus l. c.

ccc) Williſius l. c.

ddd) Valvaſor l. c.

eee) Matthiolus l. c.

fff) Id. ibid.

ggg) Bacon l. c. tremores a ſolis effluviis Hain l. c.

hhh) Matthiolus, Richardus ll. cc. a ſolis effluviis Grundelius l. c.

iii) In binis caſibus Matthiolus l. c. a ſolis exhalationibus Hain, Miller, Viridet ll. cc.

kkk) Matthiolus l. c.

lll) Id. l. c.

mmm) Bacon l. c.

nnn) Richardus l. c.

ooo) Id. ibid.

ppp) In poſtremo caſu Matthiolus l. c.

qqq) Bacon l. c. in fronte Matthiolus l. c.

cretionem, *rrr*) artuum tumores & corruptionem, *sss*) extremorum digitorum ſuffuſiones, *ttt*) & crebras ſane, *uuu*) easque ſaepe ſubito factas *vvv*) neces, ut tot mortium ſaepiſſime ignoratarum, tam prava veneficorum arte, *www*) quam incauto coquorum, pharmacopoeorum aut medicorum uſu paratarum, cauſam aterrimo jam dudum carbone notaverint juſtiſſime veteres Medici. *xxx*)

21. Anemone (Pulſatilla) pedunculo involucrato, petalis rectis, foliſs bipinnatis. Linn. S. N. II. p. 375. Spec. pl. I. p. 759.

Anemone tubis caudatis, involucris unifoliis multifidis, foliis linearibus hirſutis duplicato-pinnatis, pinnis tripartitis & quadripartitis. Haller. l. c. II. p. 61. n. 1146.

Pulſatilla folio craſſiore & majore flore. C. Bauhin. Pin. p. 177.

Oeder Flor. Dan. T. 153.

Knorr theſaur. rei herbar. II. A. 7. Optima icon.

Italis:

rrr) Richardus l. c.

sss) Rœdder l. c.

ttt) A ſola in manibus geſtatione Ehrhart l. c.

uuu) Binos recenſet caſus Matthiolus l. c. plures habent Dodonaeus, Turner, Hildanus, Williſius, Moraeus, Valvaſor, Bradley, Valentini ll. cc. hoc etiam veneno tentatum Ariſtotelem, tradit Diogenes Laertius Libr. V.

Nuper Ariſtotelem, laeſa ut pietate nocentem,
Detulit Eurimedon ſacrificis Cereris;
Ille Aconita bibens ſubterfugit: certe aconiti
Hoc erat injuſtum vincere ſacrificum.

vvv) Dodonaeus, Matthiolus ll. cc. poſt pauciſſimas horas Valentini l. c. poſt 24. horas Williſius l. c. poſt biduum Turner l. c.

www) Hoc artificio uſos fuiſſe Clearchum, Athenaeus Deipnoſophiſt. II. p. 53. Calpurnium, Plinius l. c. L. XXVII. n. 2. alios, qui certis temporibus, bimeſtri, trimeſtri, ſemeſtri, annuo, bienni occidere volebant, Theophraſtus l. c. teſtantur.

xxx) Unde etiam poetae inter venena habebant; hinc illud Ovidii:

Lurida terribiles miſcent Aconita novercae.

Italis: Pulſatilla.

Anglis: Paſque flower, Windflower, Purple paſſe-flower, common Anemone, great blue Anemone.

Belgis: Keuckenſchelle, ende Keukenkruyt, Kneckenſelle.

Ungaris: Lo Kewkewrchin.

Bohemis: Konicklec.

Gallis: Pulſatille, Coquelourde, Paſſefleur.

Germanis: *Küchenſchelle, gemeine Kuchenſchelle, groſe Kuchenſchelle, Kuhſchelle, Oſterblume, Schlottenblume, Kuchenkraut, Windkraut, Hackelkraut, vvilden Mannskraut, grau Bergmaennlein, Bizvvurz, Bocksbart.*

In montibus collibusque noſtris hinc inde reperias hanc ſtirpem Aprili floridam, frequentiſſimam in ſilva nigra, praeſertim in montibus Sulzenſibus.

Recenſendae ſunt primo notae, quas planta haec cum binis ſequentibus communes habet.

Flos ſcilicet externo caret velamento, ſolo interiore ex ſex, ſeptem, octo vel novem foliis non viridibus conflato, & ſemina relinquit plura.

Folia praeterea, ex uno caulis puncto procedentia, hunc arcte ambeunt.

Hujus, pulſatillae ſcilicet, radix magna, ex fuſco atra, intus albida, lignoſa, amara & aliquantum acris, multa protrudit folia, pilis albis, mollibus, inferius denſis obſita, longis ſatis petiolis innixa, bis tenuiſſime in minora folia, pinnarum in morem diſpoſita, diſſecta.

Caulis inferiore ſui parte piloſus, nullos protrudens ramos, dimidium nonnunquam pedis altitudine aequat, nonnullis inveſtitur foliis, raris, latis, ex piloſa vagina natis, denſiſſima molli alba lanugine obſitis, palmae ad inſtar protenſis, nunc ſimplicibus, nunc in tres partes fiſſis, & ſolitario terminatur flore.

Flos magnus, hirſutus, purpureus &, dum marceſcit, violcaeus, ſex conflatur foliis late patentibus.

Stami-

Stamina copioſiſſima flava & piſtilla, quorum tubae longae ſericeis albisque adſperguntur plumis, & apices purpuraſcunt, thalamo punctato inſident.

Semina argenteo nitore ſplendida in rotundum colliguntur capitulum.

Plantae hujus caules, folia & flores, acerrima, *a*) ut cuti impoſita ruborem & veſicas, *b*) naribus attracta, harum partium ardorem *c*) excitent, & vel ſolis effluviis oculos laedant, *d*) non poſſunt non intus aſſumta funeſtiſſimos edere effectus, licet nulla hactenus certa conſtet obſervatio, niſi Helwingii *e*) velis, qui a floribus in ſyrupum redactis productam vidit tabem pulmonalem.

22. Anemone (nemoroſa) ſeminibus acutis, foliolis inciſis, caule unifloro. Linn. S. N. II. p. 375. Spec. pl. I. p. 762.

Anemone ſeminibus nudis, caule unifloro, foliis radicalibus nullis, caulinis quinquepartitis, lobis tripartitis inciſis. Haller l. c. II. p. 64. nr. 1154.

Ranunculus phragmites albus & purpureus vernus. I. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 412.

Ranunculus nemoroſus. Lobel icon. I. p. 673. fig. 2.

Belgis: Kleene Anemone, Boſch Hanenvoet.

Gallis: Bacinet blanc, Renoncule des bois, fauſſe Anémone printaniere des forêts.

Ger-

a) Ut vel leviter manducata & guſtata permanentem aliquamdiu in lingua ardorem mihi excitarent, magis tamen adhuc flores; attamen, contra hanc communem fere omnium medicorum experientiam, omnes plantae hujus partes non eſſe acres, expertum ſe eſſe teſtatur Ill. Stœrck Libell. de uſu medico pulſatill. nigricant. Vindob. 1771.

b) Matthiolus *Kraeuterbuch* L. II. C. 108. Bœcler de neglecto remediorum vegetabilium uſu. Argent. 1732. p. 1. 2.

c) Tournefort Hiſtoire des Plantes, qui naiſſent aux environs de Paris. Herb. 2.

d) I. Bauhinus l. c. III. P. II. p. 410. & Bœcler l. c. p. 4.

e) Flora Campana Lipſ. 1719. p. 86.

Germanis: *Waldanemone, kleine Waldanemone, wilde weiſſe Anemone, weiſſer Waldhanenfus, weiſſe Waldhaenlein, weiſſe Windblume, Storchblume, Merzenblume, weiſſe Aprilblume, Luck, Likt, Auganwürz.*

Frequentiſſima in ſepibus montanis ſilvisque planta Martio, Aprili & Majo floret,

Radix teres, parva, transverſa ad angulum rectum unicum eumque quidem debilem & ſimplicem protrudit caulem, nulla vero unquam folia.

Folia, quae cauli, nullo intercedente petiolo, adponuntur, in tres partes abeunt, quarum binae exteriores denuo in bina, media autem in terna dividuntur ſegmenta, acutis dentibus ad marginem inciſa.

Flores, aliquando cernui, ſolitarii caulem terminant, cincti ſex vel octo foliis ovatis, plerumque albis, alias in utraque vel alterutra pagina rubellis aut purpureis.

Semina, neque lana, neque plumis hirſuta, apice caudata & recurva in capitulum convexum congeruntur.

Ab acerrimae, potiſſimum in radice ſua ſtirpis, quae cuti impoſita puſtulas excitat, *a*) interno uſu jure meritoque funeſtum metuas eventum, quamvis nulla in hominibus facta accurata obſervatio certiſſime id evincat, *b*) niſi Kamtſchatkenſium, ſucco hujus plantae ad venenandas ſuas ſagittas utentium, exemplum *c*) huc trahas.

23. Anemone (ranunculoides) ſeminibus acutis, foliolis inciſis, petalis ſubrotundis, caule ſubbifloro. Linn. S. N. II. p. 375. Spec. pl. I. p. 762.

Ane-

a) Ephemer. Nat. Curioſ. Dec. II. A. I.

b) Neſcio enim, an ipſe viderit, an ab aliis modo acceperit, radicem & folia hujus ſtirpis comedentibus maximas pectoris creare anguſtias, & triginta plantas, absque radicibus devoratas, hominem non admodum robuſtum jugulare, optimus Patruelis Flor. Sibir. T. IV. p. 199.

c) Haller l. c. II. p. 65.

Anemone biflora, feminibus nudis, foliis radicalibus nullis, caulinis quinquepartitis, lobis tripartitis inciſis. Haller. l. c. II. p. 64. nr. 1153.

Oeder. flor. danic. T. 140.

Ranunculus nemoroſus luteus. C. Bauhin. Pin. p. 178. & Lobel. Ic. I. p. 674. f. 1.

Italis: Anemone gialla, Ranunculo ſalvatico giallo.

Anglis: Yellow Windflower, Yellow Wood Crowfoot.

Gallis: Anemone jaune des bois, Grenouillette des bois.

Belgis: Geele Boſch Hanevoet, Boſch Hanevoet met geele Bloemen.

Germanis: *hanenfusartige Anemone*, *gelbe Waldhaenlein*, *gelbe frühe Waldhaenlein*, *Goldhaenlein*.

Rarior aliquantum priori ſpecies in ſilvis noſtris, ſpeciatim humidis, occurrit, menſibus Martio, Aprili & Majo florida.

Radice, caule, foliis & feminibus prorſum cum praegreſſa ſtirpe convenit.

Floris, nunc ſolitarii, nunc gemini, caulem terminantis velamentum ex quinque compingitur ſubrotundis & aurea flavedine conſpicuis foliis.

Plantae hujus caulem maxime acrem, radicem viroſam pronunciavit Val. Cordus, *a*) nulla tamen hactenus aut ipſius hujus magni Botanici, aut aliorum hanc, ex ordine ſtirpis naturali ſatis probabilem opinionem, confirmavere vera experimenta.

24. Clematis (Vitalba) foliis pinnatis, foliolis cordatis ſcandentibus. Linn. Syſt. Nat. II. p. 376. Spec. plant. I. p. 766.

Clematis caule ſcandente, foliis pinnatis ovato-lanceolatis, petalis coriaceis. Haller l. c. II. p. 59. nr. 1142.

Clematitis ſylveſtris latifolia. C. Bauhin. Pin. p. 300. Viorna vulgi. Lobel. ic. I. p. 626. f. 1.

Graecis: Ciſſion, Ciſſanthemon, Ciſſophyllon, Ampelos melaina.

An-

a) Hiſtor. plantar. II. n. 1.

Anglis: Wild Vine, Black Bryony, The Travellors Loie.
Gallis: Viorne, Herbe aux Gueux.
Belgis: Lyne.
Germanis: *Gemeine Waldrebe, ſteigende Waldrebe, Lynen, Nyelen.*

Creberrima in ſepibus noſtris planta Iulio florens deprehenditur.

Dicendae primum ſunt notae, quae ſtirpi huic cum ſequenti communes ſunt.

Utriusque caulis ſcandit; utriusque folia inferiora in minora diſſecantur, pinnarum in morem diſpoſita; utriusque floribus ſimplex tantummodo eſt integumentum, ex quatuor, rariſſime quinque foliis conflatum, utriusque ſemina ovata, longis tubarum plumoſarum rudimentis quaſi caudata.

Caulis nullis munitus capreolis ad ſex usque pedum altitudinem adſcendit, vicinis circumvincitur ſtirpibus, & ramos per paria protrudit.

Folia petiolis propriis innituntur, ex quinque minoribus compoſita, remotis, ovatis, tamen aliquantum acutis, nunc uno alterove dente, nunc nullo plane inciſis.

Flores odorati ex foliorum axillis prognati petiolis ramoſis & trifidis inſident; folia, quibus ſtamina circummuniuntur, pulpoſa, reflexa, lanceolae figuram aemulantur, & aliquantum hirſuta ſunt.

Stamina numero ſexagenario ſaepius accedunt, latis filamentis inſtructa.

Tubarum in ſeminibus permanentium fines nullis involvuntur plumis.

Semina in cylindrum congeruntur.

A plantae hujus interno uſu funeſtum eventum ſubſecutum eſſe, nulla quidem propria obſervatione conſtat; ſuſpiceris tamen, eandem, quae cuti externae impoſita, puſtulas, *a*)

a) Ut tritam plantam loco emplaſtri veſicatorii, uti quidem loquuntur, commendent Medici, Nic. Cheſneau Obſervat. medic. Lib. IV. obſ. 2. p. 421.

& ulcera *b)* in ea excitat, truculentiora adhuc producturam mala, si sensibiliores longe internarum partium contingat tunicas.

25. Clematis (Flammula) foliis inferioribus pinnatis (scandentibus) laciniatis; summis simplicibus lanceolatis integerrimis. Linn. S. N. II. p. 376. Spec. pl. I. p. 766.

Clematis caule scandente, foliis pinnatis trilobatis. Haller. l. c. II. p. 59. nr. 1143.

Clematis sive Flammula repens. C. Bauhin. Pin. p. 300.

Clematis altera urens, vulgi flammula. Lobel. ic. I. p. 627. fig. 1.

Anglis: Climers, Virgin's Bower.

Gallis: Herbe aux Gueux.

Germanis: *Brennwurzel*, *Waldrebe*, *brennende Waldrebe*, *Lienen*, *Leinen*.

Frequentem satis hanc stirpem in sepibus potissimum montanis, & Iulio quidem mense florentem deprehendas.

Tota planta priori minor & tenerior; caulis longe humilior, & hinc inde flexus, folia ex quinque vel septem minoribus pinnarum in morem dispositis constant, quae singula iterum aut in tres abeunt lobos, aut ex tribus componuntur minoribus foliis, quorum figura media inter ovatam & lanceae figuram, & quorum margo rarius uno alterove dente inaequalis est.

Flores, urente acrimonia imbuti, petiolis insident ramosis, per paria ex caule enatis, & stipulis numerosis, serrae instar incisis, instructis; folia, quae stamina proxime cingunt, lineis exarantur, cetera albent, lanceolam figura sua referentia.

Plantae, toties cum praecedente commutatae, eadem est acrimonia, & idem in corpus humanum effectus.

Ra-

b) Dioscorides l. c. Libr. IV. c. VI. ut sive hac, sive sequente productis in cute ulcusculis pravo artificio misericordiam hominum excitent mendici.

Ranunculus.

Famoſiſſima & copioſa ſtirpium gens, acrimonia ſua, aliquantum tamen volatili, atque exſiccatione vel coctione aut mitigata, aut plane diſparente, omnes, quas contingit, corporis humani vivi partes laedens, *a*) multas inter ſe communes habet notas externas, quas ante, quam ad deſcribendas ſpecies progredior, enarrandas eſſe puto.

Flores duplici muniuntur velamento, exteriori viridi, caduco, plerumque ex quinque, aliquando ex tribus conflato foliis, interiori glabro, in octo prioribus ſpeciebus flavo, in reliquis albo, ut plurimum ex quinis, nunc ex ternis, nunc vero ex octonis compoſito foliis, patulis, ſubrotundis, aut cordis figuram prae ſe ferentibus, ſingulis ad principium anguſtum aut minuta ſquama munitis, aut nitida foveola.

Stamina & piſtilla numeroſa; poſteriora tubis curvis & brevibus inſtructa.

Semina laevia in capitulum ſubrotundum echinatum congeruntur.

26. Ranunculus (Flammula) foliis ovato-lanceolatis petiolatis, caule declinato. Linn. S. N. II. p. 378. Spec. pl. I. p. 772.

Ranunculus caule declinato, foliis elliptico-lanceolatis ſubſerratis. Haller l. c. II. p. 78. nr. 1182.

Ranunculus aquatilis anguſtifolius ſerratus, & Ranunculus flammeus aquatilis anguſtifolius. Lobel. ic. I. p. 670.

Graecis: Batrachion arnogloſſophyllon, Batrachion platyphyllon, Aigolethron, Enneaphyllon.

Gallis: La Douve.

Belgis: Egel colen.

Germanis: *kleiner Sumpfhanenfus*, *langer Waſſerhanenfus*, *gekerfter langer Waſſerhanenfus*, *Speerkraut*, *klein Speerkraut*. *Egelkraut*, *Gichtkraut*.

a) C. Krapf experimenta de nonnullorum ranunculorum venenata qualitate, horum externo & interno uſu, Vienn. Auſtr. 1766.

Crebra in paludoſis planta a Majo menſe ad Auguſtum usque floret.

Radix longa & teres.

Caulis, multos ſatis ramos protrudens; partim erectus, partim proſtratus.

Folia glabra, infima ex petiolo ſulcato enata, nunc magis ad ovi, nunc magis ad lanceolae figuram accedentia, utroque fine acuta, rarius dentibus ad marginem inaequalia; ſuperiora ex vagina prodeuntia, ſumma anguſtiſſima.

Caulis pedem, nonnunquam binos pedes altitudine ſua aſſequens, in multos ramos abiens, copioſos gerit flores, quorum exterius involucrum pauliſper hirſutum, interius nitidum, glaberrimum, parvum, ad ſingulorum foliorum principium exiguam foveam ora eminente cinctam habet inſculptam.

Acerrima haec in omnibus ſuis partibus planta, quae in cute veſicas *a*) & ulcera *b*) excitat, nullum ſupereſt dubium, quin intus ingeſta atrociſſima etiam homini inferat mala.

27. Ranunculus (Lingua) foliis lanceolatis, caule erecto. Linn. S. N. II. p. 378. Spec. pl. I. p. 773.

Ranunculus caule erecto ramoſo, foliis enſiformibus ſubſerratis. Haller Hiſtor. ſtirp. Helvet. indig. inchoat. T. II. p. 78. n. 1181.

Ranunculus longifolius paluſtris major. C. Bauhin. Pin. p. 180.

Ranunculus longo folio maximus, Lingua Plinii. J. Bauhin. l. c. III. P. III. p. 865.

Germanis: *groſer Sumpfhanenfus*, *groſer langer Waſſerhanenfus*, *groſer ſcharfer langblaetterichter Hanenfus*, *Speerkraut*.

Priori rarior, aliquando tamen in foſſis occurrit, menſe Junio flores geſtans.

Cau-

a) Eum in finem a Gallis medicis adhiberi, Haller Enumerat. method. ſtirp. Helvet. indigen. Goetting. 1742. p. 323.

b) Ea uti in Helvetia mendicos, miſericordiam hominum excitaturos, ut infantibus ſuis inurant ulcera. Haller. ibid.

Caulis erectus, intus cavus, teres, ramos aliquot protrudit, & duorum pedum altitudinem haud raro adsequitur.

Folia ex vaginis nata, nullique petiolo innixa, longa, acuta, lanceolae figuram aemulantia, nonnunquam tota villosa, margine nunc penitus aequali, nunc serrae ad instar inciso.

Flores satis ampli apici ramorum inhaerentes exterius involucrum habent paulisper hirsutum, interius glaberrimum, nitidum, & ad originem cujusvis folii squama exigua munitum.

Stamina numero centenario plerumque accedunt.

Inter capsulas, quae semina includunt, non rarae intercurrunt abortientes, quae squamarum speciem prae se ferunt.

Huic etiam speciei, ejusque quidem potissimum foliis & seminibus, *a)* urens inest acrimonia, ut ab ea comesta jure meritoque eadem damna metuas, quae a priori inferri diximus.

28. Ranunculus (Ficaria) foliis cordatis angulatis petiolatis, caule unifloro. Linn. Syst. Nat. II. p. 378. Spec. plant. I. p. 774.

Ficaria. Haller l. c. II. p. 67. n. 1160.

Ranunculus Ficaria. Krapf l. c. p. 95.

Chelidonia rotundifolia minor. C. Bauhin. Pin. p. 309.

Chelidonium minus. Blackwell. T. 51.

Arabibus: Memiten, Chilodemon.

Graeci: Chelidonion micron, Pyron agrion.

Hispanis: Celidonia menor, Scrofolaria menor.

Italis: Favoscello, Favagello, Celidonia minore, Coglie di prete.

Anglis: Pilewort, Figwort, Chelidony meussy, lesser Celandine, small Celandine.

Gallis: petite Chelidoine, petite Scrophulaire, petite Esclere, petite Eclaire, Esclere, petit Bacinet, Gouillons de prêtre, Cavilos des prêtres.

Bel-

a) Haller & J. Bauhin. ll. cc.

Belgis: klein Speerkruyd, klein Speenkruyd, kleine Gouwe, Speencruyt.

Germanis: *Scharbock*, *Scharbockskraut*, *Blatterkraut*, *wild Loeffelkraut*, *Meyenkraut*, *Feigwarzenkraut*, *Feigvvarzenvvurz*, *klein Schoelkraut*, *kleine Schoelvvurz*, *Schvvalbenvvurz*, *Sternblümlein*, *Goldſternblümlein*, *Schmalzſternblume*, *Erdgerſten*, *Biberhoedlein*, *Pfaffenhoedlein*, *Feigblattern*, *Eppich*.

Stirpem hanc in pratis noſtris copioſiſſimam menſibus Martio, Aprili & Majo florentem reperias.

Radix extus parumper fuſca multis conſtat tuberculis, per fibras intercurrentes inter ſe conjunctis, nauſeoſo & adſtringente ſapore praedita.

Caulis proſtratus, debilis, rarius pedem ſuperans, hinc inde ramos protrudit, atque interdum rubet.

Folia nunc majora, nunc minora, nonnunquam prope originem macula fuſca inſignita, ſatis longis petiolis innixa, cordis figuram utcunque aemulantur, margine modo penitus aequali, modo dentibus aut angulis iniquo.

Flores mediae plerumque magnitudinis, ſolitarii, longis petiolis inſidentes, ex alis foliorum prodeuntibus, exteriori velamento ex tribus, interiori ex quatuor ad novem uſque, utplurimum octo foliis conflato, nitidis, ovatis, & ad originem ſuam ſquama oblonga inſtructis; ſtaminibus circiter viginti.

Hujus ſtirpis ſola radix eaque modo recens, & potiſſimum, quae priusquam floreat planta, effoditur, contuſa & cuti aliquandiu impoſita puſtulas excitat, *a*) & naribus attracta ſternutationem. *b*)

29. Ranunculus (ſceleratus) foliis inferioribus palmatis, ſummis digitatis, fructibus oblongis, Linn. Syſt. Nat. II. p. 379. Sp. pl. I. p. 776. Krapf l. c. p. 11-67.

Ranunculus foliis laevibus ſemitrilobatis, rotunde ſerratis, fructu ovato. Haller l. c. II. p. 74. n. 1175.

Ra-

a) Krapf l. c. p. 95.

b) Id. l. c. p. 96.

Ranunculus paluſtris. Blackwell T. 259.
Ranunculus paluſtris apii folio laevis. C. Bauhin. Pin. p. 180.
Graecis: Batrachion, Selinon hydation, Sardonie.
Hiſpanis: Yerva belida.
Italis: Apio riſo, Ranoncolo acquatico.
Anglis: Water Crowfoot, Marſh Crovvfoot.
Gallis: Herbe ſardonique, Grenouillette aquatique, Grenouillette d'eau, Grenouillette, Pié de coq, Renoncule des marais.
Belgis: Water-hanevoet.
Germanis: *boeſeſter Hanenfus, brennender Hanenfus, Waſſerhanenfus, Giftbanenfus, Waſſereppich, Feigblatterneppich, Froſchpfeffer.*

In pratis & paſcuis, praeſertim humidis, vulgaris planta a Januario ad Aprilem usque floret.

Radix ex copioſiſſimis conſtat tenuibus, longis, perpendicularibus & albis fibris, quae in unum coeunt, vaginis quaſi incluſum, craſſum truncum.

Caulis craſſus, extus viridis, intrinſecus albus, cavus, ſpongioſus, ni adulta potiſſimum planta radicem verſus erectus, duos nonnunquam pedes altitudine aequat, & in multos finditur ramos.

Folia omnia glabra, infima petiolis longis inſidentia, in tres abeunt lacinias, binas exteriores, iterum bifidas, mediam in tria iterum ſegmenta, medium trifidum & bina exteriora bipartita diſciſſam, ſuperiora in tres adhuc lobos diſſecta, petiolis ſingula propriis inſident, & palmae ad inſtar protenduntur, anguſtiora tamen; quae his ſuperiora ſunt, ſimplicia ſunt, & obiter modo in tria ſegmenta diſciſſa; ſumma denique integra & ovata.

Flores parvi ſtamina circiter viginti & exterius velamentum reflexum habent, interius pallide luteum, ſingulis ejus foliis ad anguſtiorem finem impreſſa exigua fovea, ora tumente fimbriata.

Hujus igitur plantae & radix, *a*) niſi Majo menſe effoſſa, *b*) aut in aqua cocta, *c*) & caulis potiſſimum junior & ſummus, *d*) & folia, *e*) ſive cruda, *f*) ſive contuſa, *g*) ſive trita, *h*) ſive in ſucco expreſſo, *i*) ſive in infuſo *k*) adhibita, & flores praecipue, atque in his quidem inprimis germina, *l*) in cute pruritum, *m*) dolorem, *n*) ardorem, *o*) ruborem, *p*) puſtulam, *q*) ulcus, *r*) in lingua & faucibus aſpredinem, *s*) ardo-

a) Scharff Ephem. Nat. Cur. Dec. III. a. 2.

b) Mitiſſimam & innoxiam, ſub quacumque etiam forma exhibitam invenit Krapf. l. c. exp. I. p. 12.

c) Id. l. c. exp. 2. p. 13.

d) Radici propiorem caulis partem mitem, adultae plantae caulem verſus radicem fungoſum, exſuccum, inſipidum impune devorari obſervavit Krapf l. c. exp. 3. p. 13. 14.

e) Exſiccata Krapf l. c. exp. 17. p. 21. aut per binas horas in aquae partibus ſedecim vel duodecim cocta mitia plane ſunt & innoxia, ut poſteriori ſub forma & medicamenti & oleris loco inſervire poſſint & inſerviant. Id. l. c. exp. 19. p. 21. 22.

f) Krapf l. c. exp. 4. & 13. p. 14.

g) Id. exp. 6. 8-12. 14. 23. p. 15-19. 23.

h) Id. exp. 15. p. 20.

i) Id. exp. 16. 24. p. 20. 24.

k) Id. exp. 21. 22. p. 22. 23.

l) Id. exp. 5. 7-13. p. 15-19.

m) Id. exp. 6. 7. p. 15. 16.

n) Diutius relicta. Id. exp. 8-10. 13. p. 16. 17. 18.

o) Diutius relicta. Id. exp. 8. 13. p. 16. 18.

p) Pedetentim. Id. exp. 6. p. 17. ut eo forſan ex capite carpis adplicitam in febribus continuis commendet Fioravanti Teſoro della vita humana. L. IV. c. 14.

q) Poſt duodecim horas folia, Krapf l. c. exp. 6. p. 16. citius flores, Id. exp. 7. p. 16.

r) Pertinacius conſolidationi reſiſtere flores, Id. exp. 10. p. 17. ſive in ſana cute, ſive in cute verrucoſa Id. exp. 9-13. p. 17-19. ea etiam abuti in Suecia pro piis ſuis fraudibus mendicos, qui nundinas frequentant, teſtis eſt Ill. Linnaeus Flor. Suec. p. 499.

s) Krapf l. c. expp. 1. 4. 5. 16. p. 12. 14. 15. 20.

ardorem intolerabilem, *t*) dolorem pertinacem, *u*) ruborem, *v*) inflammationem, *w*) cuticulae ſeceſſum, *x*) & fiſſuras, *y*) ſalivae copioſiſſimum adfluxum, *z*) guſtus depravationem & defectum, *aa*) dentium ſtuporem & dolorem, *bb*) gingivarum ruborem, dolorem & ſanguinis ex his profluvium *cc*) excitaſſe, dum terebatur modo inter digitos, *dd*) aut manibus tractabatur, *ee*) aut in mortario contundebatur, *ff*) aut aqua fervida infundebatur, *gg*) vel cum ea decoquebatur, *hh*) fauces, nares, oculos irritaſſe, *ii*) ex his lacrymas, ex iſtis mucum prolicuiſſe, *kk*) gulae dolores urentes, aliquandiu durantes, *ll*) & interdum quaſi convulſivos, *mm*) ventriculi dolores atroces, *nn*) & torporem, *oo*) ſingultum, *pp*) abdominis dolores diu perſeveran-

t) Id. expp. 4. 5. 16. 21. p. 14. 15. 20. 22.

u) Id. ibid.

v) Si diutius retineantur. Id. exp. 4. 5. p. 14. 15.

w) Si diutius retineantur. Id. expp. 4. 5. 21. p. 14. 15. 22.

x) Id. ibid.

y) Id. expp. 4. 5. p. 14. 15.

z) Id. expp. 4. 5. 16. p. 14. 15. 20.

aa) Id. expp. 4. 5.

bb) Id. ibid.

cc) Id. ibid.

dd) Id. exp. 15. p. 20.

ee) Id. ibid.

ff) Id. exp. 14. p. 19.

gg) Id. exp. 21. p. 22.

hh) Id. ibid.

ii) Id. exp. 14. 15. 21. p. 19. 20. 22. magis adhuc, ſi hiſce partibus admoveatur, exp. 15. p. 20.

kk) Si contuſio fiat in loco anguſtiori & majore plantae copia. Krapf l. c. exp. 14. p. 19.

ll) Id. exp. 24. p. 24.

mm) Id. ibid.

nn) Scharff l. c.

oo) Ut potentiſſima emetica nihil effecerint. Id. l. c.

pp) Id. l. c.

verantes, *qq*) levia animi deliquia, *rr*) oculorum, *ss*) faciei, *tt*) abdominis, *uu*) artuum convulsiones, *vv*) sudores frigidos, *ww*) & mortes *xx*) produxisse leguntur, ut aliqua certe sit suspicio, hanc eandem cum herba sardoa veterum esse stirpem.

30. Ranunculus (bulbosus) calycibus retroflexis, pedunculis sulcatis, caule erecto multifloro, foliis compositis. Linn. S. N. II. p. 379. Sp. pl. I. p. 778. Krapf l. c. p. 68.

Ranunculus radice subrotunda, foliis hirsutis semitrilobis, lobis petiolatis, acute serratis. Haller l. c. II. p. 74. nr. 1174.

Ranunculus bulbosus. Lobel. ic. I. p. 667. f. 1.

Graecis: Batrachion.

Anglis: Roundrooted Crowfoot, Rape Crowfoot.

Belgis: St. Antuinis Raepken.

Germanis: *Knolliger Hanenfus, Rübenhanenfus, kleiner Hanenfus, Drüswurz, Brennkraut, Taubenfus.*

Majo in pascuis & ad sepes floret acerrima planta, in locis siccis atque apricis minor, pallidior, simplicior, magis hirsuta; in locis cultis laetisque pascuis major, altior, laevior & pluribus onusta floribus.

Radix rapae rotundae formam prae se fert.

Caulis erectus intus cavus, multos brachii instar protensos protrudit ramos, pedis aliquando altitudinem aut aequat, aut superat, & nunc pauciores gerit, nunc plures flores.

Folia

qq) In diversis ejus partibus Krapf l. c. exp. 23. p. 23.

rr) Id. ibid.

ss) Oculorum contorsiones. Scharff l. c.

tt) Quarum species est risus sardonius, quem observavit Scharff l. c.

uu) Convulsivas veluti internarum ejus partium agitationes. Krapf l. c. exp. 23. p. 23.

vv) Scharff l. c.

ww) Id. l. c.

xx) Id. l. c. & Amatus Lusit. Enarration. in Dioscorid. p. 276.

Folia infima in tres lacinias partita, ſingulas petiolis propriis inſidentes, binis exterioribus in quatuor iterum ſegmenta abeuntibus, media ad medium usque in tres partes diviſa: Superiora folia majora & longiora cauli adpoſita, proprio ſingula petiolo innixa, in tres lobos pariter finduntur.

Florum velamentum exterius glabrum, ex viridi flaveſcens, patens, & in adulta demum planta retroflexum; interius nitens, uniuscujusque folii fine anguſto, virente & ſquama biſida munito; ſtamina circiter ſexaginta.

Hujus ſpeciei bulbus, *a*) radiculae, *b*) caulis, *c*) folia, *d*) flores, *e*) ſemina, *f*) niſi exſiccata, effoeta vel decocta, *g*) acria, *h*) & ſcelerati partibus violentiora, *i*) in cute pruritum, *k*) ardorem, *l*) dolorem, *m*) ruborem, *n*) puſtulas, *o*) ulcera, *p*) in lingua aſpredinem, *q*) & omnia, quae prior ſpecies, ma-

 la,

a) Praeſertim dum floret planta. Krapf l. c. expp. 1. 2. 4. 6. pag. 69. 70. 72.

b) Potiſſimum antequam floret planta. Id. l. c. expp. 2. 5. p. 70. 71.

c) Niſi dum in floribus aut ſeminibus conficiundis occupatur natura, vel caulis ſit lignoſus. Krapf l. c. expp. 1. 2. p. 69.

d) Niſi jam pallida aut exſucca. Krapf. l. c. expp. 1. 2. 3. 15. p. 69. 70. 76.

e) Et praecipue quidem germina. Krapf. l. c. expp. 1. 2. 3. 12. 13. p. 69. 70. 74. 75.

f) Haec tamen reliquis partibus longe mitiora. Krapf. l. c. exp. 20. p. 78.

g) Krapf. l. c. expp. 2. 8. 10. 20. p. 69. 73. 74. 78. J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 418.

h) Omnium fere auctorum conſenſu.

i) Teſte Krapfio l. c. exp. 1. p. 69. & 15. p. 76. 106.

k) Krapf. l. c. expp. 3. 5-7. p. 70-72.

l) Id. exp. 4. p. 70.

m) Id. expp. 4. 6. 7. p. 70. 72. J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 418.

n) Krapf expp. 4. & 6. p. 70. 72.

o) Id. intra decem horas expp. 4-7. 10. p. 70-74. ut jam ſuo tempore Tragus ad excitandas veſicas commendaverit, & maximopere commendet, Krapf. l. c. p. 99. 104. 105.

p) Krapf l. c. expp. 3. 4. 6. 7. p. 70-73. Ut radice cum ſanguine draconis macerata ulcera ſibi excitaturi mendici ſuras aut femora illinant. J. Bauhinus l. m. c.

q) Krapf expp. 12. 20. p. 74. 78.

la, ſed graviora, *r*) eadem quoque gingivis & dentibus, *s*) eadem etiam in oculis & naribus, quae noxiis plantae exhalationibus continguntur, damna, *t*) ventriculi etiam vellicationem *u*) inferre obſervata ſunt.

31. Ranunculus (acris) calycibus patulis, pedunculis teretibus, foliis tripartito-multifidis, ſummis linearibus. Linn. S. N. II. p. 379. Sp. pl. I. p. 779.

Ranunculus foliis hirſutis ſemitrilobatis, lobis lateralibus bipartitis, foliis caulinis ſemitrilobis. Haller l. c. II. p. 72. nr. 1169.

Ranunculus napellifolius. Krapf. l. c. p. 90.

Ranunculus pratenſis erectus acris. C. Bauhin. Pin. p. 178.

Ranunculus pratenſis, ſurrectis cauliculis. Lobel. I. p. 665. nr. 1.

Anglis: Sharp Crowfoot.

Gallis: Bacinet corroſif.

Belgis: Hanevoet, Boterbloeme, Boterbloeme met recht opgaende ſtelen.

Germanis: *brennender Hanenfus, ſcharfer Hanenfus, gemeiner Hanenfus, Schmalzblümlein, Pfaennlein.*

Planta in pratis non adeo, in paſcuis autem vulgatiſſima Majo floret.

Radix perennis ex oblongo eoque transverſo tubere multas, & quidem rectas emittit fibras.

Caulis intus cavus & erectus, aliquando humilior, nullos protrudit ramos, plerumque tamen altior & ramoſus multis obſidetur foliis.

Folia hirſuta in inferiore ſua pagina fuſca ſaepius tinguntur macula, a petiolo verſus apicem folii lateſcente; inferiora ſatis magna, fere quinquangularia, ad principium usque in tres laci-

r) Id. expp. 1. 13. 15. p. 69. 75. 76.

s) Id. exp. 1. p. 69.

t) Id. expp. 9. 15. 20. p. 74. 76. 78.

u) Id. exp. 12. p. 75.

lacinias partita nulli petiolo innixas, quarum binae exteriores in duas, media in tres, tribus inciſas dentibus, partes abeunt; ſuperiora ex vagina quaſi procedunt, in cohaerentes, latas, ſerrae inſtar inciſas diſcerpuntur lacinias; ſumma in anguſtas, manus ad inſtar protenſas.

Floris involucrum exterius caducum, nitens, patulum, marceſcente flore reflexum, foliis conſtat media linea nigra diviſis; interius ſimiliter nitet, ſingulis ejus foliis ad finem anguſtiorem ſquama inſtructis.

Acerrima in omnibus ſuis partibus, *a*) & quod hanc ſpectat efficaciam priori plane ſimilis *b*) planta, ſi germina exceperis, quae violentius adhuc agunt, *c*) ut tamen aliquando mitis deprehenderetur, *d*) omnes penitus, quos a prioris uſu excitatos enarravimus, edit effectus, *e*) ut jam dudum ſalutari fine loco cantharidum in variis morbis adhiberent medici, *f*) quamvis ulcus inde natum longe difficilius conſolidari, *g*) immanes vel ab externo uſu ardores, *h*) animi adeo deliquia, *i*) & artuum, quibus impoſita fuit, immobilitatem *k*) exinde inducta fuiſſe legas.

32. Ranunculus (arvenſis) ſeminibus aculeatis, foliis ſuperioribus decompoſitis linearibus. Linn. S. N. II. p. 380. Sp. pl. I. p. 780.

Oeder

a) Krapf l. c. p. 90. in foliis J. Bauhinus III. P. II. p. 416.

b) Krapf l. m. c.

c) Id. l. m. c.

d) In horto culta aut ſua ſponte in terra culta creſcens. Krapf l. m. c.

e) Id. l. m. c.

f) Fr. Hofmann Opuſc. medic. pract. Dec. III. Diſſ. IX. p. 523. Rontz apud J. Bauhin. l. m. c. Cheſneau obſervat. medic. L. V. Pariſ. 1692. p. 5. 12. 14. 15. 420. Ill. Stoerck ann. med. II. p. 123. Miſcell. Vratislav. 1719. menſe Aug.

g) Ill. Stoerck l. c.

h) Muralto *chirurgiſche Schriften. Baſel.* 1711. obſ. 59.

i) Id. l. m. c.

k) Miſcellan. Vratislav. L. c.

Oeder fl. dan. T. 219.

Ranunculus feminibus aculeatis, foliis tripartitis, lobis longe petiolatis, bipartitis & tripartitis, acute inciſis. Haller l. c. II. p. 75. nr. 1176.

Ranunculus echinatus. Krapf. l. c. p. 79.

Ranunculus arvenſis echinatus. C. Bauhin. Pin. p. 179. & J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 859.

Ranunculus arvorum. Lobel. Ic. I. p. 665. f. 2.

Anglis: Earland's Crowfoot, Fieldcrowfoot.

Gallis: Bacinet des champs, Grenouillette blanche, Grenouillette heriſſonée.

Belgis: Ackerhanenvoet.

Germanis: *Ackerhanenfus*, *Feldhanenfus*.

Frequentiſſimum agrorum, potiſſimum argilloſorum & humidorum, vitium Majo & Junio floret.

Radix brevibus fibris conſtat, ex parvo bulbo productis.

Caulis glaber, procumbens, pedem aliquando longitudine aequans, foliis & floribus plenus, in multos ſe diffundit ramos.

Folia pallida, minutim diviſa; quae ex ipſa radice progerminant, & infima, quae cauli adponuntur, longis petiolis inſident, & in tres lacinias abeunt, ſingulas iterum ſuis innixas petiolis, quarum exteriores in binas denuo dividuntur partes, media bis in terna finduntur eaque quidem anguſta ſegmenta.

Flores parvi, foliis interioribus pallide luteis, ad finem anguſtiorem ſquama munitis, ſtaminibus circiter quindecim.

Semina circiter octo, rotunda, plena & aculeis utrumque latus echinata, quorum exteriores magnitudine reliquis praecellunt.

Stirpis

Stirpis hujus, cujus ſemina *a*) & radicem *b*) mitia & innocua invenit Krapf, folia, *c*) forma potiſſimum ſucci expreſſi, *d*) & flores, atque in his quidem praecipue germina *e*) acerrima, contuſa praeſertim, *f*) in cute pruritum, *g*) rubore n, *h*) veſicas *i*) & ulcus, *k*) in labiis, *l*) ore interno *m*) & lingua *n*) praecipue dolorem vellicantem, *o*) urentem, *p*) aliquando atrociſſimum, *q*) aſpredinem *r*) & eroſionem, *s*) dentium dolorem, *t*) & ingratiſſimum ſtuporem, *u*) & reliqua, quae priores ſpecies, mala *v*) excitant.

33. Ra-

a) L. c. exp. 15. p. 85.

b) Ut deglutita velo pendulo & palato fornicato vix levem & temporarium acredinis ſenſum imprimat, nullum plane aut linguae, aut ventriculo, aut cuti. l. c. Exp. I. p. 79.

c) Maſticata obſcuram valde in partibus, quas contingunt, vellicationem, cuti adplicita poſt 24 horas veſicas excitant. Krapf. l. c. Exp. 2. p. 80.

d) Ut, quod hunc ſpectat, bulboſum acrimonia ſuperet. Krapf. l. c. exp. 8. p. 82. & p. 106.

e) Id. l. c. Expp. 4-7. p. 80-82.

f) Id. Exp. 6. p. 81.

g) Id. Expp. 3. 5. 6. p. 80. 81.

h) Id. Exp. 5. p. 81.

i) Id. Expp. 3. 5. 6. p. 80. 81.

k) Id. exp. 7. p. 82.

l) Id. Exp. 8. p. 82.

m) In velo pendulo & palato fornicato, Id. Expp. 1. & 2. p. 79. 80.

n) Id. Expp. 4. & 8. p. 80. 82.

o) Radix quidem & folia manducata. Id. Expp. 1. & 2. p. 79. 80.

p) Flores & ſuccus herbae, Id. Expp. 4. & 8. p. 80. 82.

q) Succus. Id. Exp. 8. p. 82.

r) Ardore evanido, Id. Exp. 4. p. 80.

s) Id. Exp. 8. p. 82.

t) Id. ibid.

u) Id. ibid. & exp. 4. p. 80.

v) Id. nr. 15. p. 85.

33. Ranunculus (aconitifolius) foliis omnibus pinnatis lanceolatis inciso-ferratis. Linn. S. N. II. p. 379. Sp. pl. I. p. 776. Oeder fl. Dan. T. III..

Ranunculus caule ramoso multifloro, foliis venosis quinque lobis: lobis rhomboideis acutis acute ferratis. Haller l. c. II. p. 69. nr. 1164.

Ranunculus montanus aconiti folio, albus, flore majore & minore. C. Bauhin. Pin. p. 182.

Graecis: Batrachion Aconitophyllon.

Anglis: Great white Crowfoot, white mountain Crowfoot.

Gallis: Grand blanc bacinet, Bacinet blanc simple.

Belgis: wit Berghanevoet, enckel witte Boterbloemen.

Germanis: *Hanenfus mit dem Sturmhutblatte, groser weisser Hanenfus, weisser Hanenfus, weisser Alphanenfus, weisse Trollblume, Fidertsche, Abbeis, Teuffelsabbeis.*

Speciosa planta non adeo raro in montibus nostris, praesertim in monte *Spizberg* Majo mense floret.

Radix rotunda, vaginis inclusa, fibras setasque emittit copiosas, teretes atque albas.

Caulis ad pedum quatuor altitudinem nonnunquam adsurgens, intus cavus, in multos dividitur, brachii in morem extensos, ramos, ad quorum originem terna plerumque conspicias folia ex vagina quasi producta.

Folia magna, nitida, inferiori pagina aliquantum hirsuta & multis venis picta, in tres lacinias primo abeunt, singulas rhombi oblongi figuram prae se ferentes, serrae ad instar incisas atque acutas, quarum exteriores in binas iterum dispescuntur partes.

Flores specioси nunc majores, nunc minores, involucro exteriori exiguo, mox ab aperto flore caduco, & levi purpura tincto, interioris foliis serratis, & ad finem angustiorem squama obtusa munitis.

Semina copiosa.

Prae-

Praegreſſis ſpeciebus longe mitior, tamen ſua non deſtituitur acrimonia, *a*) ut eosdem ab ejus uſu, etſi multo inferiori gradu, metuas effectus.

34. Ranunculus (aquatilis) foliis ſubmerſis capillaceis, emerſis, peltatis. Linn. S. N. II. p. 380. Sp. pl. I. p. 781. Krapf l. c. p. 93.

Anglis: Watercrowfoot, white Crowfoot.

Belgis: Water levercruydt, ende witte Waterboterbloemen.

Germanis: *Waſſerhanenfus, weiſſer Waſſerhanenfus.*

In paludibus & rivulis frequentiſſima planta a Majo menſe ad Auguſtum usque floret.

Caulis fluitans longus totos radicum faſciculos, & e regione folia protrudit quam maxime ramoſa, & in tenuiſſimas, longiſſimas, parallelas, capilli ſubtilitatem aemulantes lacinias fiſſa.

Flores ſolitarii petiolis inſident ex foliorum axillis pronaſcentibus, nudis, & ex eadem cum foliorum petiolo vagina oriundis, interioris involucri foliis ad finem anguſtiorem flavum impreſſa fovea, ora tumente cincta, ſtaminibus viginti ad triginta.

Fructus ſubrotundus capſulis conſtat ovatis & rugoſis.

Hanc in plures diſpeſcere ſpecies, & priſcis placuit botanicis, & noſtris quoque temporibus Ill. Hallero l. c. II. p. 68. n. 1161. 1162. 1163. quas veluti varietates in unam collegere ſpeciem, duce Ill. Linnaeo, plurimi hodierni Phytologi.

Plantae acris, ut tamen gradus acrimoniae pro loco natali differat, *a*) herba, praeſertim prius quam flores adpareant, *b*) & magis adhuc flores, *c*) potiſſimum recentes, *d*) cuti adplicita

a) J. Bauhin l. c. III. P. II. p. 859.

a) Krapf l. c. p. 93.

b) Id. l. m. c.

c) Id. l. m. c.

d) Certe ſicci nullum ex naribus eliciunt mucum. Id. l. c. p. 94.

plicita veſicam, *e*) naribus admota pruritum & violentum ſternutamentum *f*) cient.

35. Helleborus (foetidus) caule multifloro folioſo, foliis pedatis. Linn. S. N. II. p. 381. Sp. pl. I. p. 784.

Helleborus caule ramoſo multifloro, foliis multipartitis ſerratis, ſtipulis ovato-lanceolatis coloratis. Haller l. c. II. p. 87. nr. 1193.

Helleborus niger foetidus. C. Bauhin. Pin. p. 185.

Helleboraſter. Blackwell. T. 57.

Graecis: Enneaphyllon, Helleboros melas.

Hiſpanis: Elleboro, Verde gambre nero.

Italis: Elleboro nero.

Anglis: Bearfoot, great baſtard Bearsfoot, Bearwort, Lonswort, Settrewort, Settlewort, baſtart Hellebore, great baſtart black Hellebore, black Hellebore, Chriſtmaſſflower, great Oxheele.

Gallis: Ellebore noir.

Belgis: swarte Nieswortel, groot Viercruyt met ſaedt ende bloemen.

Germanis: *ſtinkende Nieswurz, Chriſtwurz, wilde Chriſtwurz, Laeuſekraut.*

Creberrima in montibus, incultis & ſilvis noſtris planta ab Aprili ad Auguſtum usque flores ſuos portendit.

Tota planta acri, ingrato & forti, quem ſpirat, odore, omnem vicinum aëra, potiſſimum incluſum, infeſtat.

Radix longa, teres, &, ſi quidem recens ſit, ſucculenta atque acerrima.

Caulis foliis vix altior, aliquando cubitum altitudine ſua aſſequitur, herbaceus, ſolidus, anguloſus, ramis alternatim ex caule & quidem in axillis foliorum prodeuntibus, foliis & floribus, qui poſteriores in ſpeciem umbellae coëunt, plenus.

Folia

e) Id. l. c. p. 93.

f) Id. l. c. p. 94.

Folia, quae ex ipsa radice alternatim propullulant, longis iisque sulco, vel canali potius exaratis, pallidis petiolis insidentia, rigida, magna, in superiore pagina saturo virore nitentia, inferiore pallida, firma, solida, acutis dentibus serrae instar incisa; primo in tres partita lacinias, quarum media simplex, utraque exterior in quatuor longa, angusta, lanceolae figuram utcunque referentia segmenta abit. Folia, quae cauli alternatim, nullo intercedente petiolo, adponuntur, sive stipulas aut bracteas potius dixeris, pallida, mollia, tenera, integra, ad marginem crispula, mediae inter ovi & lanceolae figurae; quae inferius ponuntur, apice tres, quatuor, quinque vel sex dentibus obtusis, quasi fimbriis terminantur.

Flores ex pedunculis tomentosis, qui ex axillis summorum foliorum exeunt, nunc simplicibus & unicum tantummodo florem gestantibus, nunc ramosis, pendent; extus investiuntur foliis plerumque quinis, pallide virentibus, hinc inde, in interiore potissimum pagina macula obscure purpurea tinctis, solidis, subrotundis, intra haec folia conspicias praeter numerosissima stamina breviores quinque ad octo tubulos, cavos, in bina quasi labia partitos, margine denticulatos, interius resectos, exterius productos.

Capsulae plerumque tres, incurvae & parum erectae, rugosae, apice recurvo terminatae, ex binis valvis conflatae, semina continent plurima, rugosa, mediae inter ovatam & triangularem figurae, gemino ordine dispositа.

Ab usu radicis atrocissimos alvi fluxus, ipsasque adeo aegrorum neces contigisse, refert Threlkeld. *a*)

36. Caltha (palustris). Linn. S. N. II. p. 381. Sp. pl. I. p. 784. Haller l. c. I. p. 82. nr. 1188. Lobel Ic. I. p. 594. f. 1.

Caltha palustris flore simplici. C. Bauhin. Pin. p. 276. & Knorr thesaur. rei herb. H. 2.

Graecis: Chamaileuce.

a) Synopsi stirp. hibernic. Dubl. 1727.

Anglis: Marsh Marygold, Gelkflower.
Gallis: Populage.
Belgis: Dotterbloemen.
Germanis: *Dotterblume*, *Sumpfdotterblume*, *Mattenblume*, *Mosblume*, *Dratblume*, *Schmalzblume*, *Kuhblume*, *Bachblume*, *gelbe Majenblume*, *gelbe Wieſenblume*, *Goldwieſenblume*.

Copioſiſſima in paludibus, ad rivos & rivulos, prata inundantes, & alibi in humidis creſcit, ab Aprili ad Auguſtum usque continue novos protrudit flores.

Radix ex numeroſis fibris componitur.

Caulis glaber, ad pedis usque altitudinem aſſurgens, pauca geſtat folia paucosque flores.

Folia glabra, nitentia, renis plerumque, aliquando cordis figuram referentia, marginem dentibus ſerrae inſtar inciſis circumvallatum habent; quae ex radice progerminant, propriis innituntur petiolis, non aeque, quae cauli adponuntur.

Flores magni petiolis brevibus inſident; involucro ſimplici flavo, ex quinque, ut plurimum tamen ſex foliis ſubrotundis conflato, ſtaminibus circiter centum, & piſtillis multis, quibus tubae deficiunt.

Capſulae plures, duodecim circiter, ſtellae in morem digeſtae, ſemina copioſiſſima includunt.

Quam plurimi auctores innocuam & mitem pronunciant ſtirpem, veneri Ehrhart, *a*) acrimoniae urentis ipſe accuſat Ill. Hallerus. *b*)

VI. Ringentes.

His commune eſt, floris involucrum exterius viride ex unica cohaerente tunica conflatum, interius coloratum ſimiliter ex unico folio conſtans, inferius cylindrico cavo, ſuperius in bina quaſi labia fiſſo; communia praeterea quaterna ſtamina, bina longiora, bina breviora, ex cylindrica floris parte emer-

a) *Oeconom. Pflanzenhiſt.* 1. B. p. 272.
b) L. c. II. p. 82.

emergentia, & in labii ſuperioris parte excavata poſita, tuba etiam ſimplex binis hamis terminata, poſteriori recto, anteriori curvo; his potiſſimum, quas hic dicendas mihi ſumſi, commune eſt, calicem habere in quinque ſegmenta inaequalia fiſſum, & ſemina multa, capſulae propriae incluſa, quae intus in bina diſpeſcitur loculamenta.

37. Pedicularis (paluſtris) caule ramoſo, calycibus criſtatis calloſo-punctatis, corollis labio obliquis. Linn. S. N. II. p. 407. Sp. pl. II. p. 845.

Pedicularis caule ramoſo, foliis pinnatis, pinnis pinnatis dentatis, calyce bifido. Haller l. c. I. p. 139. nr. 320.

Weinmann T. 800. lit. d.

Graecis: Phthirion.

Gallis: L'herbe aux poulx.

Belgis: Roode Ratelen.

Germanis: *Laeuskraut*, *Sumpflaeuſekraut*, *braun Laeuſekraut*, *Rodel*, *Sumpfrodel*, *brauner Rodel*, *groſer ſtaudiger Rodel*, *gros Fiſtelkraut*.

Iunio florentem inveni, rariorem tamen, in valle Bebenhuſana ſuperiore ad rivum *Golderſpach*.

Radix unica, craſſa & ſolida, caulem protrudit erectum, unum vel duos pedes altitudine ſua aequantem, atque in plurimos ſeſe diffundentem ramos.

Folia glabra, nervo medio lato percurſa, in minora longa viginti circiter & unum, pinnarum in morem diſpoſita folia, diſſecta, haec iterum ſimili modo in minora diffinduntur brevia & ad marginem dentibus inciſa.

Flores propriis petiolis inſidentes in axillis foliorum haerent, & in ſuperiore caulis parte laxioris ſpicae ſpeciem formant; exteriori viridi velamento aliquantum hirſuto, quaſi compreſſo & ventroſo; interiori purpureo, glabro, cujus ſuperius ſegmentum fornicatum, excavatum, obtuſum, ad utrumque apicis latus ſpina quaſi exigua munitum, inferius obliquum.

Sta-

Staminum apices lutei.

Capſula ovata, in roſtrum quaſi deſinens, multa atque ea quidem anguloſa & tunicis involuta continet fuſca ſemina.

Viroſam huic plantae facultatem tribuerunt veteres, *a*) urentis acrimoniae arguit Gleditſch. *b*)

38. Digitalis (purpurea) calycinis foliolis ovatis acutis, corollis obtuſis: labio ſuperiore integro. Linn. S. N. II. p. 414. Sp. pl. II. p. 866.

Digitalis foliis calycinis ovatis, galea ſimplice. Haller l. c. I. p. 143. nr. 330.

Digitalis purpurea, folio aſpero. C. Bauhin. Pin. p. 243. & Knorr theſaur. rei herbar. I. F. 10.

Digitalis Blackwell. T. 16.

Graecis: Dactylitis.

Italis: Gantelli.

Anglis: Fox glove.

Gallis: Gans de notre Dame, Digitale, Doigtier.

Belgis: Vingerhoetcruyt, root Vingerhoetcruyt.

Ungaris: Vy fin gyzea fin.

Germanis: *purpurrother Fingerhut*, *Fingerhut*, *Fingerhutblumen*, *braun Fingerhut*, *Fingerkraut*, *braun Fingerkraut*, *Waldgloecklein*, *Waldſchelle*.

Specioſa valde planta in ſilva noſtra nigra Majo, Iunio & Iulio floret.

Radix fibroſa, amara.

Caulis hirſutus, aliquando rubellus, ſatis craſſus, anguloſus, rarius in ramos diviſus, plerumque binos, non raro quatuor pedes altitudine ſuperat.

Folia mollia, villoſa, pallida, ad oras dentibus ſerrae ad inſtar inciſa, ex ovata in longioris lanceolae figuram tranſeuntia

a) J. Bauhin. l. c. III. P. I. p. 438.

b) *Vermiſchte phyſicaliſch-botaniſch-oeconomiſche Abhandlungen*, III. Th. *Halle*. 1767. p. 376.

untia, propriis petiolis innixa, alternatim caulis lateribus adsident.

Flores a brevibus, hirsutis, & foliolo exiguo instructis petiolis penduli, alterutri tantummodo caulis lateri adhaerentes, versus apicem caulis longam formant spicam: Exterius viride involucrum breve, in segmenta ovata eaque parumper acuta fissa, superiora minora, inferiora maxima: Interius staminum velamentum, digitale sartorum forma sua aemulans, fere totum purpureum, tubo incarnato, lato ac versus inferiora ventroso, segmento inferiori maculis lacteis adsperso, in quatuor superius finditur breves & subrotundas lacinias, summum simplex, leviter exsciſſum, bina media minora, & figura dimidium circuli referentia, infimum denique majus, & parabolae, quam Geometrae adpellant, speciem prae se ferens.

Stamina quinque, quatuor vero tantummodo apicibus fertilibus instructa.

Capsula ovata, intus in bina loculamenta partita, plurima, duobus receptaculis adfixa, fere quadrata continet semina.

Atroces vomitus & nimia alvi profluvia *a)* ab usu hujus plantae excitata legas, ut suspectam merito pronunciet Ill. Haller, *b)* nomine veneni damnet Magnus Boerhaave.

VII. Tithymali.

Huic plantarum ordini, quotquot scilicet ejus species hic recensebo, commune est, succo scatere acri, lactis albedinem aemulante, ex vulnere his plantis illato undequaque promanante; radices habere longas vix ac ne vix quidem ramosas, parum fibrosas, caules teretes, flores utroque sexu combinato instructos, petiolis insidentes, qui medii inter lata folia nascuntur, plerumque umbellae in morem dispositos, quorum exterius viride involucrum campanae formam utcunque

a) J. Bauhin. l. c. II. p. 804. Histoire de l'Academie Royale des Sciences à Paris. ann. 1748. p. 48.

b) L. c. I. p. 143.

prae se ferens, inferius ventricosum, ex una eaque cohaerente constat, & superius modo in quatuor vel quinque segmenta fissa membrana, interius staminum involucrum plerumque etiam viridulum, vel ex luteo virens, quatuor vel quinque conflatur foliis, quae singula intervallis, inter segmenta exterioris involucri relictis inhaerent.

Stamina duodecim, quindecim ad quadraginta, numero plerumque triplici aut quadruplici foliorum floris, in diversis seriebus altera alteram insequente ponuntur, ut, si corollam introspicias, minimam eorum partem spectare possis, binis quasi articulis composita, & apicibus gemellis terminata.

Ovarium proprio pediculo innixum, & extra adultiorem florem propendens, tribus terminatur tubis, quae singulae binis ad apicem instruuntur corniculis.

Singulis etiam, quas huic tribui insertas enarrabimus, stirpibus communis est rodens acrimonia, in alia atque alia specie, *a*) in alia etiam atque alia parte, *b*) aut mitior aut violentior, ut ab iis scroto admotis, hujus tumorem enormem, *c*) ab iisdem abdomini impositis, universi corporis tumorem, & ex ventris inflammatione, in sphacelum, quem Medici vocant, terminata, mortem, *d*) a succo cuti adplicito tumorem atque inflammationem dolorosam, *e*) erosionem, *f*) vesicas, *g*) ulcera

a) Maximam potentiam tribuit characiae & myrsiniti, post cyparissiae, deinceps paraliae, denique helioscopio, Galenus de simplicium medicamentorum facultatibus. Paris. 1547. Libr. VIII. p. 262.

b) Acerrimum esse succum, secundum locum tenere folia & fructus, mitiorem reliquis esse radicem, Id. l. m. c.

c) Ab integra euphorbiae esulae planta, Scopoli flor. carniol. p. 435.

d) Id. in alio casu ibid.

e) In facie virginis, quae succo hujus plantae faciem illeverat. Ehrhart l. c. VII. p. 292.

f) Id. ibid. communi fere omnium medicorum periculo & suffragio, ut hisce remediis ad tollendas verrucas aliasque cutis praeternaturales eminentias & maculas uterentur, Galenus & Ehrhart ll. cc. Vogel histor. mat. medic. Francof. & Lipsiae 1760. pag. 238.

g) Ehrhart l. c. VIII. p. 291.

ulcera, *b*) ab eodem clauſae oculi palpebrae adhibito, oculi inflammationem & caecitatem, *i*) ab iisdem plantis intus ingeſtis, gulae ventriculique ardores *k*) & inflammationes, *l*) vomitus acerbiſſimos, *m*) alvi fluxus atrociſſimos, *n*) vaſorum pulmonalium rupturam, *o*) hydropem univerſi corporis, *p*) & mortes *q*) denique excitatas legas.

39. Euphorbia (Chamaeſyce) dichotoma, foliis crenulatis, ſubrotundis, glabris, floribus ſolitariis axillaribus, caulibus procumbentibus. Linn. S. N. II. p. 331. Sp. pl. I. p. 652.

Chamaeſyce. Lobel Ic. I. p. 363. f. 2. C. Bauhin. Pinax p. 293. J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 667.

Germanis: *niedrige Euphorbie.*

In hortis copioſa eaque inquilina ſtirps Iunio potiſſimum floret.

Radix gracilis annua multas emittit easque tenuiſſimas fibras.

Caulis tenuis in binos plerumque ramos, hi iterum in binos & ſic porro dividuntur ramos, rarius pedis longitudinem adſequentes, rubentes, aliquantum hirſutos, in orbem terrae adpreſſos.

Folia glabra, ſubrotunda, omnia ſimilia, ſubtiliſſimis crenis inciſa, ſuperiori pagina viridia, aliquando rubra macula inſignita, inferiori rubentia, quae in extremis ramis haerent, nonnunquam ſatura rubedine conſpicua.

b) Ut his etiam plantis abutantur nequam mendici, ad excitanda ſibi ulcera, ex Schroedero Ehrhart l. c. p. 292.

i) a Guldenklee l. c. caſ. 1. p. 21.

k) Ex Tournefortii periculo Ehrhart l. m. c.

l) Id. l. m. c.

m) Ledelius Ephemer. Naturae Curioſor. Dec. II. a. 10. p. 33.

n) Vogel l. c.

o) Ledelius l. c.

p) Siegesbeck Miſcellan. Vratislavienſ. 1721. II. p. 192.

q) Ledelius & Scopoli ll. cc.

Floſculi virides aut dilute purpurei, nullis petiolis ſtipati, ſolitarii in axillis foliorum haerent.

40. Euphorbia (peplus) umbella trifida, dichotoma, involucellis ovatis; foliis integerrimis obovatis petiolatis. Linn. S. N. II. p. 332. Sp. pl. I. p. 653.

Tithymalus foliis rotundis, ſtipulis floralibus cordatis obtuſis, petalis argute corniculatis. Haller l. c. II. p. 9. n. 1049.

Eſula folio rotundo. Rivin. l. c. T. 118.

Graecis: Peplos.

Hiſpanis: Peplo.

Anglis: Pety ſpurge.

Gallis: Reveille-matin des vignes.

Belgis: Duyvels melk.

Germanis: *Runde Euphorbie*, *runde Euphorbiſche Pflanze*, *Teufelsmilch*.

Frequens ſatis in ſylvis, & ſpontanea in hortis, Majo utplurimum menſe floret, ut tamen etiam aliquando Decembri menſe floridam invenerim.

Radix annua.

Caulis decumbens multos protrudit ramos, & ad pedis usque longitudinem creſcit.

Folia propriis petiolis innixa, inverſi ovi figuram referentia, nullo ad marginem aut dente crenave notantur, aut fiſſura diſpertiuntur, ſparſa per caulem & terna umbellae ad exortum ponuntur; quae floribus proxima ſunt, involucellorum nomine apud Botanicos inſignita, bina obtuſa cor utcunque figura ſua aemulantur.

Flores umbellae in morem diſponuntur, quae in tres minores abit, ſingulas iterum bifidas.

Folia, quae interius ſtaminum velamentum conſtituunt, argutis valde inſtruuntur corniculis.

41. Eu-

41. Euphorbia (exigua acuta) umbella trifida, dichotoma, involucellis lanceolatis, foliis linearibus. Linn. S. N. II. p. 332. Spec. pl. I. p. 654.

Tithymalus foliis linearibus, ſtipulis lanceolatis ariſtatis. Haller l. c. II. p. 9. nr. 1048.

Tithymalus minimus anguſtifolius annuus. J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 664.

Graecis: Tithymalos leptophyllos.

Belgis: klein Eſula van Tragus.

Germanis: *kleine Euphorbiſche Pflanze, Steinmilch.*

Frequens ſatis arvorum, hortorum, paſcuorum quoque vitium a Iunio ad Septembrem usque floridum inveni.

Radix exigua, annua.

Caulis humillimus in plurimos diffunditur ramos.

Folia parva anguſta, nunc ſparſa & rariora, nunc conferta, nulli unquam petiolo inſidentia, adponuntur; terna longiora, arguto mucrone terminata ad originem umbellae, bina latiora, acuta, & cordis figuram utcunque referentia, proxima floribus ipſis conſpicias.

Flores eadem, qua priorem diximus, ratione umbellae ad inſtar diſponuntur.

Folia floris dimidiatam lunam figura ſua aemulantia ſimiliter argutiſſimis gaudent cornicalis.

Fructus laevis eſt.

42. Tithymalus (Paralias) umbella ſubquinquefida; biſida, involucellis cordato-reniformibus, foliis ſurſum imbricatis. Linn. S. N. II. p. 333. Spec. pl. I. p. 657.

Tithymalus foliis linearibus ariſtatis imbricatis, ſtipulis umbellaribus ovato-lanceolatis, floralibus cordatis. Haller l. c. II. p. II. nr. 1055.

Tithymalus Paralias. J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 675.

Graecis: Tithymalis, Tithymalos paralias tritos.

Germanis: *Euphorbiſche Waſſerpflanze.*

Rariorem paulo plantam Auguſto ad aquas florentem invenias.

Caules plures erecti, duorum pedum altitudinem aſſequentes, in pauciores ramos abeuntes, foliis fere toti obteguntur, quae quaſi imbrices alterum alterum excipiunt.

Folia inferiora anguſta, glauca, firma, glabra, mucrone brevi terminata, nullo intercedente petiolo cauli adfiguntur; quae ad exortum umbellae ponuntur, quina, in ariſtam exeuntia, media inter ovatam & lanceolae figura; quae floribus proxima adſtant, bina, inter cordis & renis figuram media haeſitant, ut neſcias, quacum comparare malis.

Flores in umbellam diſpoſiti, quae in quinque utplurimum minores, ſingulas iterum bifidas diſpeſcitur.

Folia, quae proxime ſtamina inveſtiunt, obtuſa ſunt & ſubrotunda.

Fructus laevis.

43. Euphorbia (helioſcopia) umbella quinquefida: trifida: dichotoma, involucellis obovatis, foliis cuneiformibus ſerratis. Linn. S. N. II. p. 333. Spec. pl. I. p. 658.

Tithymalus foliis petiolatis ſubrotundis ſerratis, ſtipulis rotundis ſerratis. Haller l. c. II. p. 10. nr. 1050.

Tithymalus helioſcopius ſive ſoliſequus. J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 669.

Graecis: Tithymalos helioſcopios.

Italis: Torteonaglio, Titimalo helioſcopio.

Anglis: Souſpurge, Wartwort, Wertwort, Wertgraſs.

Gallis: Reveille-matin ſuivant le ſoleil.

Belgis: Croonkenscruyt.

In hortis ſpontanea, frequentiſſima etiam in paſcuis, ad vias & in humidis ſtirps Majo praeſertim & Iunio, aliquando tamen Decembri quoque floret.

Radix fibroſa, annua.

Cau-

Caulis glaber, parumper tortuoſus, cetera erectus, paucos protrudit ramos, brachii ad inſtar extenſos.

Folia glabra, latis petiolis inſidentia, dentibus ad marginem ſerrae inſtar inciſa, cuneum utcunque figura ſua referunt; quae mox infra umbellam ponuntur, quina, eaque, quae floribus proxima ſunt, bina, ſerrae ad inſtar pariter inciſa, ovata potius dixeris.

Flores, quorum intima folia, quae ſtamina proxime cingunt, viridia, ſubrotunda, neque cornuta ſunt, in morem umbellae diſponuntur, in quinque radios diviſae, quorum ſinguli in tres, hi iterum in tres, ultimi denique in binos ramos abeunt.

44. Euphorbia (verrucoſa) umbella quinquefida: ſubtrifida: bifida, involucellis ovatis, foliis lanceolatis ſerratis villoſis, capſulis verrucoſis. Linn. S. N. II. p. 333. Sp. pl. I. p. 658.

Tithymalus foliis ellipticis ſerratis, ſtipulis umbellaribus quinis, floralibus obtuſe quadrangulis, capſulis undique exaſperatis. Haller l. c. II. p. 10. nr. 1052.

Tithymalus verrucoſus. J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 673.

Germanis: *warzige Euphorbiſche Pflanze.*

Majo & Iunio rarior ſtirps in montibus ſilvisque noſtris floret.

Radices plures tenues in unam lignoſam ſatis longam, exterius nigram, intrinſecus albam coëunt.

Caules plures, tenues, lenti, interdum rubelli, unum binosve nonnunquam pedes alti, vix unum alterumve gignunt ramum.

Folia nullo petiolo ſtipata, ad oram dentibus ſerrae ad inſtar inciſa, mediae inter ovatam & lanceolae figuras, ſatis crebra, dum juniora ſunt, villoſa, reliqua vitae ſuae parte glabra, cauli adponuntur; quina origini umbellae circumſtant, bina autem flores proxime cingunt, haec ovata, aut potius obtuſe quadrangula.

Flo-

Flores, quorum intima folia flava ſunt & rotunda, petiolis longis innixi umbellam formant, in quinque radios diviſam, qui ſinguli utplurimum iterum in tres, & hi denique in binos diſpeſcuntur ramos.

Fructus totus minutis ſpinis aut granis undique inæqualis.

45. Euphorbia (platyphyllos) umbella quinquefida: trifida: dichotoma, involucellis carina piloſis, foliis ſerratis lanceolatis, capſulis verrucoſis. Linn. S. N. II. p. 334. Spec. pl. I. p. 660.

Tithymalus foliis lanceolatis ſerratis, ſtipulis floralibus cordatis, capſulis aſperis, lineis levibus diviſis. Haller l. c. II. p. 10. nr. 1053.

Tithymalus platyphyllos Fuchſii. J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 670.

Graecis: Tithymalos platyphyllos.

Anglis: Broadleaved Spurge.

Gallis: Tithymale á grandes feuilles.

Germanis: *breitblaetterichte Euphorbiſche Pflanze, breitblaetterichte Wolfsmilch.*

In agris noſtris, Iunio & Iulio potiſſimum florentem invenias hanc ſtirpem.

Tota planta foetet.

Radix lignoſa annua.

Caulis rectus, glaber, ad quatuor usque pedes adſcendens, multos plerumque ramos protrudit.

Folia patentia, crebra, magna, latis petiolis ſtipata, glabra, lanceolae figuram utcunque referentia, dentibus ad marginem ſerrae inſtar inciſis acutis notantur, & alternatim cauli adſtant, quae umbellae origini circumponuntur, quina, pariter lanceolae figuram aemulantia & dentibus inciſa; quae flores proxima ambeunt, bina, cordis figuram aemulantia, per mediam dorſi lineam piloſa ſunt.

Flores

Flores, quorum intima folia, lata & aliquantum rotunda, ex luteo virent, multi in trifido eoque longo petiolo ex axillis foliorum prodeunt; plurimi tamen ad apicem caulis ex ramorum in umbellae ſpeciem congeruntur, quae in quinque abit radios, ſingulos iterum in tres fiſſos ramos, denuo bifidos.

Fructus, minutis adſperſus ſpinis, ſemina parva, oblonga & caerulea includit.

46. Euphorbia (Eſula) umbella multifida: bifida, involucellis ſubcordatis, petalis ſubbicornibus, ramis ſterilibus, foliis uniformibus. Linn. S. N. II. p. 334. Sp. pl. I. p. 660.

Tithymalus foliis linearibus, petalis emarginatis. Haller. l. c. II. p. 8. nr. 1046.

Tithymalus Pinea. Lobel Icon. I. p. 357. n. 1.

Graecis: Pityuſa.

Hiſpanis: Eſula menor.

Anglis: Pyne's Pourge, little Spurge.

Gallis: petite Eſule.

Belgis: klein Eſule, kleine Spurgie, kleine Wolfsmelk.

Germanis: *kleine Wolfsmilch, Eſelsmilch.*

Vulgata in paſcuis pratisque ſterilibus planta Aprili, Majo & Iunio floret.

Caules plures pedem circiter alti, glabri, in multos ſe diffundunt ramos, ex foliorum axillis prodeuntes, interdum floribus onuſtos.

Folia creberrima anguſta, obtuſa, quae ad originem umbellae ponuntur, paulo latiora, reflexa, quina alias, alias octona; quae floribus proxima ſunt, bina lata cordis figuram utcunque referunt, & ariſta terminantur.

Flores, quorum intima folia obſcure lutei coloris, binis corniculis gaudent, laxam umbellae formant ſpeciem, in plures numero indeterminato radios diviſam, ſingulos iterum bifidos.

47. Euphorbia (Cyparissias) umbella multifida: dichotoma, involucellis subcordatis, ramis sterilibus foliis setaceis, caulinis lanceolatis. Linn. S. N. II. p. 334. Sp. pl. I. p. 661.

Tithymalus foliis linearibus, stipulis numerosis, floralibus cordiformibus, petalis lunatis. Haller l. c. II. p. 8. nr. 1047.

Tithymalus cupressinus, sive Humipinus. Lobel. icon. I. p. 356. fig. 2.

Graecis: Tithymalos cyparissias.

Italis: Esula minore, Titimalo, Erbalatte.

Gallis: Herbe á lait, Esule, Reveille-matin.

Belgis: Cypres Wolfsmelk.

Germanis: *Cypressenuphorbie, Cypressenwolfsmilch.*

Frequens satis in pascuis planta a mense Aprili in Iunium usque floret.

Radix crassa, lignosa, fibrosa, caules protrudit multos, ad pedis vel cubiti etiam altitudinem adsurgentes, foliis copiosissimis investitos, inferius simplices, superius ramosos.

Folia angusta obtusa, linariae folia adeo aemulantur, ut nulla praeter lacteum succum promanantem superfit nota, qua distinguas; unde illud:

Esula lacteſcit, sine lacte linaria crescit.

Quae ad obscurae umbellae exortum posita sunt folia, saepius dena, eandem figuram habent, quae autem floribus proxima haerent, bina latiora cordis figuram referunt, & tres flores includunt.

Flores, quorum intima folia cornuta, & dimidiatae lunae figuram referentia ex luteo virent, in umbellae speciem digeruntur, quae in plures plerumque, denuo bifidos, abeunt radios.

48. Euphorbia (amygdaloides) umbella multifida: dichotoma, involucellis perfoliatis orbiculatis, foliis obtusis. Linn. S. N. II. p. 334. Sp. pl. I. p. 662.

Characias amygdaloides. Lobel. Ic. I. p. 360. f. 1.

Graecis: Tithymalos characias.

Gal-

Gallis: Petite Tithymale á feüilles d'Amandier.

Belgis: Wolfsmelk amygdaloides.

Germanis: *Euphorbiſche Pflanze mit dem Mandelbaumblatte, kleine Wolfsmilch mit dem Mandelblatte, Waldwolfsmilch, Mandeleuphorbie.*

Rarior aliquantum planta in ſilva montis Balingenſis *Lochenſtein* Majo floret.

Caulis fruticoſus ad tres usque pedes erigitur.

Folia obtuſa, amygdali foliis ſimilia, quae floribus proxima ſunt, bina, circuli formam utcunque referentia, a petiolis floris quaſi perforantur.

Flores, quorum exteriora folia ex viridi flaveſcunt, interiora ex atro virent, in umbellae ſpeciem diſponuntur, quae ex pluribus conſtat, iisque plerumque bifidis radiis.

49. Euphorbia (ſylvatica) umbella quinquefida: bifida, involucris perfoliatis ſubcordatis, foliis lanceolatis integerrimis. Linn. S. N. II. p. 334. Sp. pl. I. p. 663.

Tithymalus foliis ellipticis hirſutis, ſtipulis umbellaribus obſcuris, floralibus connatis, petalis lunatis. Haller l. c. II. p. 8. nr. 1045.

Tithymalus ſylvaticus, toto anno folia retinens. J. Bauhin. l. c. III. P. II. p. 671.

Germanis: *Waldeuphorbie, Waldwolfsmilch, Bergwolfsmilch, Steinmilch.*

Majo in viis & ſilvis ſatis crebra invenitur florida.

Radix multa protrudit folia, eaque quidem obtuſa, ovata, ſubtus aliquantum lanuginoſa, iis, quae cauli adponuntur, plane ſimilia.

Caulis ex ſingulorum foliorum axillis ramum emittit, qui minutam trium circiter florum, eamque inaequalem & duobus ad originem foliis munitam geſtat umbellam, atque in ramoſam terminatur umbellam, obſcuris ad exortum ſuum ſtipatam foliis, & in quinque diſtributam radios, iterum bifidos.

Flores, quorum intima folia dimidiatam lunam acutis corniculis referunt, & quorum quindecim numeres ſtamina, proxime cinguntur foliis binis, e regione ſibi poſitis, ſatis acutis, cordis figuram utcunque referentibus, & inferiore ſui parte connatis, ut a petiolo florem geſtante perforentur.

Fructus glaber eſt.

VIII. Incompletae.

His commune eſt, ſimplici modo tegi velamento ſtamina, nunc colorato tantum, nunc viridi ſolo.

50. Chenopodium (hybridum) foliis cordatis angulato-acuminatis, racemis ramoſis nudis. Linn. S. N. II. p. 195. Spec. pl. I. p. 319.

Chenopodium foliis glabris ſeptangulis, floribus paniculatis. Haller l. c. II. p. 267. nr. 1581.

Chenopodium ſtramonii folio. Vaillant Botan. pariſienſ. p. 36. T. 7. f. 2.

Atriplex dictus pes anſerinus alter ſive ramoſior. J. Bauhin. l. c. II. p. 976.

Anglis: Maple Blite, Purple Orach.

Germanis: *Unaechter Gaenſefus, zweyter Gaenſefus.*

Non rara in hortis noſtris avis Majo praecipue & Iunio floret.

Tota planta odorem ſpargit, qualem Datura ſtramonium, ingratum.

Radix annua.

Caulis in multos ſe diffundit ramos, erectus, glaber.

Folia glabra, ſaturate viridia, multis venis adſperſa, cordis vel ſagittae figuram utcunque aemulantia, nulla unquam farina adſperſa, ſeptem ad marginem novemque dentibus iniqua, totidemque ſinubus inciſa.

Flores in glomeres rotundos coacervati, ex apice ramorum foliorumque axillis prodeuntes, paniculas formant, quae iterum

rum in multos finduntur ramos; ſinguli floſculi ſtaminibus quinque inſtruuntur, quorum apices, ſi leviſſimum admoveas ſtimulum, vel ſi matureſcant, ſponte ſua diſſiliunt, & pollinem explodunt; ſinguli etiam ovario, cui duplex inſidet tuba; haec involvuntur velamento quinquangulari, ex quinque foliis conflato & ovarium cingente, quod idem ſegmentis, in ſtellae formam conniventibus, muniendo ſolitario, lentisque ſpeciem aemulanti, ſemini inſervit.

Suſpectam jam odore ſuo *a*) plantam funeſtos etiam in homines edidiſſe effectus, Ruſt *b*) auctor eſt.

51. Daphne (Mezereum) floribus ſeſſilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis. Linn. S. N. II. p. 271. Spec. pl. I. p. 509.

Thymelaea ſpica cylindrica ſuperne folioſa. Haller l. c. I. p. 438. nr. 1024. Knorr theſaur. rei herbar. I. K. 6.

Graecis: Daphne, Daphnoeides.

Italis: Laureola roſſa.

Anglis: Mezereon, Dutch-Mezereon, Spurge-laurel, Spurge-olive, Dwarf-laurel, Lolbry, Lauriel.

Belgis: Miſeri-boom, Zeelbaſt, Mezereon, Kellerhals.

Gallis: Laureole rouge, Mezereon, Bois gentil.

Bohemis: Wlcii Layko Wetſſii.

Germanis: *Kellerhals, gemeiner Kellerhals, Kellerſchall, Kellerkraut, Laeuſekraut, Seidelbaſt, Zeidelbaſt, Süsbaſt, Wolfsbaſt, Zeiland, Scheislorbeere, Bergpfeffer, falſcher Pfefferſtrauch, Brennwurz, Rechbeeren.*

Acerrima in omnibus ſuis partibus ſtirps a Februario ad Aprilem ſatis vulgata in ſilvis floret.

Caulis lignoſus multos protrudit ramos, griſeo, nitente & tenaci cortice tectos.

a) Haller l. m. c.

b) Differt. de limitanda laude balſami vulnerarii rubri Dippelii, & olei martis per deliquium. Goetting. 1773.

Folia tenera, laevia, ſature viridia, nulli fere petiolo innixa, & alternatim cauli ramisque adhaerentia, lanceolae aut ovi figuram utcunque referentia, & linea media elevata quaſi diviſa, in apice caulis & ramorum, floribus marceſcentibus, demum adparent, & brevi iterum delabuntur.

Flores, gratum, ſed fortem odorem ſpargentes, ſinguli breviſſimo proprio petiolo inſidentes, terni ex gemma naſcuntur, atque alternatim cauli circumpoſiti ſpicae ſpeciem formant, brevi iterum decidui; in iis invenias ovarium tuba ſimplici terminatum, octonaque ſtamina, omnia tubuloſa & hirſuta velamenti purpurei, ſolidi, tenacis, ſupra in quatuor lacinias fiſſi parte recondita.

Baccae coccineae Iunio & Iulio maturae, rotundae, rotundam continent nucem, in qua demum ſemen, ovi acuti figuram prae ſe ferens, latitat.

Plantae hujus radices, *a)* corticem, *b)* folia, *c)* & potiſſimum baccas, *d)* cuti impoſitas, ruborem & veſicas, *e)* intus adſumtas oris, faucium & gulae ardorem atrociſſimum, *f)* diu durantem, *g)* ipſamque inflammationem, *h)* ſitim intenſam, *i)* vomitus violentiſſimos, *k)* pertinaces, diuturnos, *l)* alvi

a) Petit Memoir. de l'acad. Royale des Scienc. á Paris. 1732. p. 233.

b) S. Paulli Quadripartit. botan. p. 366. Guerin. l. c. p. 30.

c) Matthiolus *Kraeuterbuch*. L. IV. C. 126. p. 428.

d) Bradley l. c. p. 106. Hofmann Ephemer. N. C. Cent. V. & VI. obſ. 46. Linnaeus fl. ſuec. II. p. 128. n. 338. Act. Helvet. T. V. p. 331. Miſcellan. Vratislav. 1718. menſ. Februar. van Swieten Comment. T. I. p. 638. T. II. p. 132. Ritter Nov. Act. Acad. N. C. T. III. Append. p. 234.

e) Matthiolus, Petit & Guerin ll. cc.

f) Bradley & Hofmann ll. cc. repentinum, aqua gelida vix mitigandum, Ritter l. c. ad ſuffocationem usque per integrum bihorium fauces cum poſca & melle eluendo, vix leniorem. van Swieten l. c.

g) Per duodecim horas. Bradley l. c.

h) Paulli l. c.

i) Hofmann l. c.

k) Id. & Act. Helvet. l. c.

l) alvi profluvia horrenda, *m*) tormina poſt longum adhuc temporis ſpatium remanentia, *n*) vigilias, febres, ſummam virium proſtrationem, cuticulae in univerſo corpore ſeceſſum, *o*) & non raro mortem, *p*) ſola etiam effluvia animi deliquium *q*) excitaſſe, indubitatae teſtantur obſervationes.

52. Polygonum (Hydropiper) floribus hexandris ſemidigynis, foliis lanceolatis, ſtipulis ſubmuticis. Linn. S. N. II. p. 275. Spec. pl. I. p. 517.

Polygonum foliis ovato-lanceolatis, ſpicis florigeris, vaginis calvis truncatis. Haller l. c. II. p. 256. nr. 1554.

Hydropiper. Blackwell. T. 119.

Perſicaria urens ſ. Hydropiper. C. Bauhin. Pin. p. 101.

Graecis: Hydropeperi.

Hiſpanis: Pimienta aquatica.

Italis: Pevere delle acque, Pepo aquatico.

Anglis: Waterpepper, Lakeweed, biting Arſmart, Karmirthe.

Gallis: Curage, Culraige, Pimeur, Poivre d'eau, Perſicaire acre, Perſicaire brulante.

Belgis: Waterpeper.

Germanis: *Waſſerpfeffer, ſcharfes Floehkraut, ſcharfes Pferſingkraut, brennendes Pferſingkraut, Mückenkraut, Pfauenkraut, Pfauenſpiegel, Kaſſel.*

Augu-

l) Per ſex ſeptimanas continuas. Wedel Ephemer. N. C. Dec. II. A. 2. obſ. 146.

m) Id. & Hofmann & Act. Helvet. II. cc. Ritter l. c.

n) Poſt integrum menſem a quindecim granis. Miſcellan. Vratislav. l. c. breviori temporis ſpatio ceſſantia, Ritter l. c.

o) A quatuor baccis Hofmann. l. c.

p) Plura exempla vidit Tragus Hiſtor. plantar. T. III. 7. unicum habet Linnaeus l. m. c.

q) Lange tentam. medico-phyſic. de remed. Brunsvic. domeſtic. Brunsvic. 1765. p. 173.

Auguſto menſe paſſim in foſſis aquoſis floridam invenias hanc plantam.

Caulis huic ſtirpi ſuperiori certe parte erectus, ad pedis, imo ad duorum aliquando pedum altitudinem adſurgens.

Folia glabra non maculata, lata, aut ovum aut lanceolam figura ſua referunt.

Flores in apice ramorum in gracilis ſpicae formam congeſti, nullo petiolo ſtipati, ſex habent ſtamina, & unicum ovarium bifida tuba coronatum, omnia involucro ſimplici albo aut rubello, in quatuor vel quinque lacinias obtuſas partito, involuta.

Praeter folia & flores cauli conſpicias adnatas vaginas albidas, aut rubellas, breves, latas, quaſi truncatas, easque, quae principio rami circumſtant, pilis ad marginem ciliorum ad inſtar poſitis munitas.

Semina ſolitaria, compreſſa, utcunque triquetra & nitentia ſingulos flores excipiunt.

Stirpis, cui rodentem tribuunt acrimoniam ſcriptores rei herbariae fere omnes, & ipſemet Ill. Haller, *a*) improvidum internum uſum non poſſe non eſſe funeſtum, manifeſtiſſime liquet.

53. Aſarum (Europaeum) foliis reniformibus obtuſis binis. Linn. S. N. II. p. 325. Sp. plant. I. p. 633.

Aſarum foliis reniformibus ſubhirſutis. Haller l. c. II. p. 252. nro. 1547.

Aſarum. Blackwell. T. 383. C. Bauhin. Pin. p. 197.

Arabibus & Graecis: Aſaron.

Graecis etiam: Nardos agria.

Hiſpanis: Azara baccara.

Italis: Aſaro.

Anglis: Aſara bacca, Follfoot.

Gal-

a) L. m. c. p. 257.

Gallis: Cabaret, Oreille d' homme, Oreillette, Girard rouffin, Rondelle.

Belgis: Haſelwort, Monſooren.

Ungaris: Rapatnock.

Bohemis: Ropytuyt.

Germanis: *Haſelwurz*, *europaeiſche Haſelwurz*, *gemeine Haſelwurz*, *wilder Nardus*.

Frequens ſatis in ſilvis noſtris planta odore gravi & multis grato imbuta, a Februario ad Majum infra muſcos & arida arborum folia floret.

Radix perennis, tenuis, fibroſa & repens.

Caulis repens, breviſſimus, aliquando radicem terrae infigit.

Folia bina ex adverſo ſibi poſita, ſatis longis petiolis inſidentia, renis figuram ſatis exacte referentia, ſuperiore pagina ſplendentia, inferiore parumper hirſuta, dilutius virentia, coriacea.

Flos pedunculo brevi, ex ipſa radice enato, & medio inter bina folia poſito, nullis foliis praedito ſolitarius inſiſtit; videas in hoc velamentum ſtaminum ſimplex, ovario inſidens & adnatum campanae formam referens, in tria quatuorve apice incurvata ſegmenta fiſſum, & futurum fructum operiens; videas porro in apice ovarii, tuba quidem ſimplici, ſed ſuperius in ſex ſtigmata abeunte terminati, poſita ſtamina duodecim, apicibus gemellis coronata, ex quorum conjunctione minutum quaſi cornu exit.

Fructus intus in ſex loculamenta partitus multa continet ſemina.

Recentis plantae incautum & largiorem juſto uſum violentos vomitus & atrocia alvi profluvia excitaſſe, tam aliorum, quam Wedelii praecipue *a*) docuit obſervatio.

54. Arum (maculatum) acaule, foliis haſtatis integerrimis ſpadice clavato. Linn S. N. II. p. 603. Sp. plant. II. p. 1370. Knorr theſ. rei herbar. II. A. 11.

a) Ephemer. N. C. D. T. A. 2. obſerv. 130.

Arum foliis ſagittatis, ſpatha recta, clava cylindrica. Haller l. c. II. p. 160. nr. 1302.

Arum vulgare non maculatum. C. Bauhin. Pin. p. 195.

Arum. Blackwell. T. 228.

Graecis: Aron, Dracontia, Thymon, Alimon, Colocaſſion.

Mauritanis: Iarus, Sara.

Hiſpanis: Yaro, Foja de Yaro.

Italis: Aro, Gigaro.

Anglis: Aron, Cockowpint, Cuckow pint, Wake robin, Rampe.

Gallis: Pié de veau, Vit de chien, Vit de prêtre, Verge d'Aron.

Belgis: Calfſvoet, Papekullekens.

Ungaris: Natragulya.

Germanis: *Aronskraut*, *gewoehnlicher Aron*, *Aron*, *Aronwurz*, *gefleckte Aronswurzel*, *teutſcher Ingwer*, *Pfaffenpint*, *Zehrwurz*, *klein Natterwurz*.

Majo inter frutices & dumeta hinc inde invenias florentem hanc plantam.

Radix tuberoſa, farinoſa, viſcida, carnoſa, fibras multas emittit.

Folia ex ipſa radice nata, nitida, glabra, ſaepius maculata, haſtae aut ſagittae figuram utcunque referentia, longis petiolis inſiſtunt.

Stamina, membrana cohaerente ex albo virente maxima, inflata, recta, dimidiatum conum forma ſua referente, decidua, altero latere convexa, altero aperta, concluſa, nullis filamentis ſuſtentata, media inter breves rotundas papillas, quarum ſuperiores deorſum incurvata fila, inferiores ſurſum pilos educunt, craſſa, quadrangularia, & in quatuor loculamenta partita columnae quaſi cylindricae infiguntur; infimam ejusdem columnae partem numeroſa occupant ovaria, tuba breviſſima munita; ſuprema pars tota nuda eſt, & univerſa colum-

columna ſuis aucta decoribus clavam ſanguinei coloris aemulatur.

Baccae rotundae coccineae, ſucco ejusdem coloris refertae, unicum vel duo ſemina rotunda, dura continent, quorum ſuperficies reticulum refert.

Tota planta recens acerrima linguam diutiſſime mordet & urit, *a*) ipſas fauces contumaci & fixo ardore afficit, *b*) & ſputum cruentum excitaſſe *c*) legitur, ut merito a rodente hujus ſtirpis acrimonia, niſi aut aetate, aut exſiccatione, aut acidis vel melle additis, aut aliis praeparationibus cicurata, funeſtos in corpus humanum metuas effectus.

55. Mercurialis (perennis) caule ſimpliciſſimo, foliis ſcabris. Linn. S. N. II. p. 657. Sp. pl. II. p. 1465.

Mercurialis caule perenni ſimplici, foliis ovato-lanceolatis hirſutis. Haller l. c. II. p. 277. n. 1601.

Cynocrambe mas & femina, ſive Mercurialis ſylveſtris. J. Bauhin. l. c. II. p. 979.

Afris: Harmas, Aſumeslabon.

Graecis: Cynocrambe, Cynia, Linozoſtis agria.

Hiſpanis: Verca perruna.

Italis: Mercorella baſtarda.

Anglis: wild Mercury.

Gallis: Chou de chien, Mercuriale ſauvage.

Belgis: wild Mercuriael, wild Bengelcruyt.

Germanis: *beſtaendiges Bengelkraut, wild Bengelkraut, Hundskraut, Hundskoel.*

Rariorem paulo in noſtris oris ſtirpem, aliquando tamen in montibus noſtris, & Majo quidem floridam invenias.

Radix perennis.

Caulis nullis unquam ramis inſtructus, pilis obſitus.

a) Haller. l. m. c.

b) A demorſa radice Ritter l. m. c. eo artificio ſuo tempore a menſis abactos fuiſſe parafitos, refert Matthiolus Comment. L. II. C. 162. p. 595.

c) Haller l. m. c.

Folia ſcabra, patentia, ad marginem ſerrae ad inſtar inciſa, ovi aut lanceolae figuram aemulantur.

Sexus in alia atque alia ſtirpe alius atque alius, in nulla conjunctus; ut in alia non videas, niſi flores, ſtaminibus ſolis inſtructos, & ovariis carentes, in alia non niſi flores ovariis foetos, & ſtaminibus deſtitutos; quam rem jam veteres videntur ſubolfeciſſe, in eo tamen decepti, quod, quos ex ſtructura & functione partium, ex ſubſequentibus ſeminibus femininos eſſe flores, certiſſima nos docuere pericula & curatiſſimae obſervationes, ex nimia in ſimilitudinem rerum externam, indeque factam ſaepe ſaepius falſiſſime ad veram convenientiam concluſionem, propenſione, teſticulorum maſculorum forma inducti, maſculos dixerint, quos noſtra aetate novimus maſculinos, femininos appellaverint.

Maſculi igitur flores primo in glomeres, & hi in ſpicas raras digeſti, longis ſatis petiolis, ex foliorum axillis prodeuntibus inſident; videas hic velamentum ſimplex, viride, glabrum, in quatuor, vel plerumque tantum tria cava, ovata, aliquantum tamen acuta ſegmenta fiſſum, videas porro pro numero ſegmentorum hujus velamenti nunc ſedecim, nunc duodecim ſolum ſtamina, ex filamentis longis tenuibusque, & gemellis apicibus conflata.

Feminei flores plerumque bini aut ſolitarii, longis petiolis ſtipati, velamentum pariter habent ſimplex, glabrum, viride, ex tribus vel quatuor foliis compoſitum, & ovarium unicum duabus recurvis tubis terminatum, cujus ſulco proceſſus duo tenues, ſubulae formam referentes, inhærent.

Capſulæ gemellæ, aſperæ, globoſæ, ſingulæ unicum modo ſemen continent.

Herba, pro olere comeſta, capitis ardorem, vomitus, alvi profluvia, profundos ſopores, convulſiones ipſamque mortem excitaſſe, ab Ill. Sloane *a)* obſervata eſt.

IX. Fun-

a) Philoſoph. Transact. nr. 203. p. 640.

IX. Fungi.

Dubia plantarum tribus, cujus ſpecies, varietates, cujus vegetandi ſeſeque propagandi modus hactenus quidem nondum plene nobis innotuere, veluti amphibiorum inter animalia claſſis, veneno ſcatet, tanto periculoſiori, quod multa huic ordini ſubjecta genera pernicioſiſſima ab edulibus & molli catillonum noſtrorum palato acceptis, vix unquam, niſi fallacibus notis diſtinguat vulgus, difficillime ſæpe ſæpius vel verſatiſſimus in re herbaria oculus, *a*) ut in annalibus medicorum vix legas ſæpenumero, niſi generale fungi nomen, non determinata ſpecie.

Quod notas externas ſpectat, quibus recenſendæ a nobis ſpecies omnes a reliquis ſtirpibus diſcerni facile poſſunt, commune omnibus eſt, mollem habere carnem, deſtitui autem & floribus, & foliis, & radicibus, certe talibus, qualia reliquis plantis competunt.

Omnes fere, ſi nimia adſumantur copia, natura ſua viſcida, ab inſtrumentis digeſtionis difficilius domanda, facili in putredinem lapſu, magna inſectorum & limacum vi, qua ſaepius ſcatent, alii fungi, oſcula vaſorum, quae ſucco, ex alimentis extracto, in ſanguinem deducendo deſtinantur, nimium conſtringunt; alii denique aperta, & rodente plerumque acrimonia vitæ hominis inſidiantur; ut legas, uſum horum fungorum generatim ſecuta eſſe truculentiſſima, crudorum quidem atrociora, etiam pro ratione regionis, *b*) ætatis & conſtitutionis eorum, qui adſumunt, varia mala, alvi obſtructiones, *c*) nau-

a) Qui cavis inſident petiolis, exitioſos eſſe, Helveti, teſte Ill. Hallero l. c. III. p. 154. ſibi perſuadent; in quibus rancidum aſpectum, colorem lividum, nigrum, viridem, pavonium, auctam aut natam per coctionem duritiem, viſcoſum lentorem, citam putrefactionem obſervavit, ut certiſſime nocentiſſimos, praeeuntibus Dioſcoride, Plinio, Rhaze & Matthiolo, rejicit Guerin. l. c. p. 50.

b) Guiſart hiſtoire de chirurgie. II. p. 295.

c) Andry traité des alimens du Carême & des differentes qualités des legumes. Paris. 1709. ch. 6.

nauſeas, *d*) moleſtam ventriculi ſenſationem, *e*) dolorem, *f*) inflationem, *g*) gangrænam, *h*) labiorum inflammationem, *i*) maculas in gula gangrænoſas, *k*) vomitus, *l*) ſingultus, *m*) ſtrangulationes, *n*) inteſtinorum tormina, *o*) alvi profluvia perpetuo ad alvum exonerandam niſu comitata, *p*) etiam cruenta, *q*) deliquia, *r*) ſopores, *s*) morbum attonitum, *t*) deliria, *u*) inſaniam, *v*) tremores, *w*) reſpirationis difficultates, *x*) præcordiorum anguſtias, *y*) febrem, *z*) urinam craſſam, *aa*) cruentam, *bb*) ſudorem frigidum *cc*) & frequentes mortes. *dd*) Omiſ-

d) Solo ſuo foetore. Pennier des trufes. p. 57.

e) Vidus Vidius de curat. generali. Florent. 1582. L. II. c. III.

f) In alio exemplo id. ibid. in Pauſaniae puella Hippocrates Epidem. L. VII. n. 110. Galenus de alimentor. facultat. L. II. Cap. 69. Amatus Luſitanus Curat. centur. I. cur. 39.

g) Guldenklee Caſ. medicin. L. VII. Caſ. 4.

h) Hatte Recueil periodique III. p. 299.

i) Hildanus Centur. obſervat. & curat. chirurg. IV. obſ. 34.

k) Hatte l. c.

l) In binis exemplis Vidus Vidius l. c. continuos Stalpart van der Wiel, obſervat. rarior. anatomico-chirurgico-medic. Cent. I. obſ. 40. in altero etiam exemplo Hildanus, in altero choleram idem l. c.

m) Guldenklee l. c.

n) Idem, Hippocrates l. c. & Botallus de fungo ſtrangulatorio, catarrho & lue venerea. Lugd. 1565.

o) Guldenklee l. c. Journal de Medecine. Vol. IV. c. 4. Plancus apud Battarra Fungorum agri Ariminenſis hiſtor. Favent. 1755. p. 21.

p) Allen Synopſ. univerſ. medicin. addend. p. 154. Plancus l. c.

q) Guiſard l. c.

r) Galenus, Am. Luſitanus, Hildanus ll. cc. Belfortis adnotat. ad Galenum de urinis. Binninger obſervat. & curat. Cent. I. obſ. 56.

s) Vidus Vidius l. c.

t) Idem l. c. & Kollichen Act. Hafnienſ. II. p. 294.

u) Hildanus, Vidus Vidius ll. cc. & de la Broſſe de la nature des plantes & deſſein d'un jardin royal de medecine. Paris. 1628.

v) Amat. Luſitanus l. c.

w) Guldenklee l. c.

x) Id. Galenus & Amat. Luſitanus ll. cc.

y) Hippocrates, Binninger, Stalpart van der Wiel. ll. cc.

z) Foreſtus l. c. L. X. obſ. 116. ſchol.

aa) Amat. Luſitanus l. c.

bb) Guiſart l. c.

cc) Belfortis & Guldenklee ll. cc.

dd) Inde deducit Tiberii Claudii mortem multasque alias integrarum familiarum

Omiſſis igitur iis, quae ex generalioribus principiis aut nimio aut imprudenti uſu nocent, fungorum generibus, ea tantummodo hic recenſere animus eſt, quae reliquis aut acriora multo aut viſcoſiora funeſtis eventibus ſuam jam comprobarunt virulentiam, & quæ civitatis apud nos jura adepta fuiſſe, ipſe meis vidi oculis. Tranſeant igitur lycoperdon, boleti & agarici variæ ſpecies, quæ aut ſolo nimio uſu, aut improvida applicatione, aut mala præparatione damnoſæ reddunturtur; tranſeant etiam eæ fungorum ſpecies, quas nullis experimentis additis lethales pronunciarunt auctores, qualis eſt v. g. Agaricus fimetarius aliique.

56. Agaricus (muſcarius) ſtipitatus, lamellis dimidiatis ſolitariis, ſtipite volvato; apice dilatato, baſi ovata. Linn. S. N. II. p. 722. Sp. pl. II. p. 1640.

Amanita petiolo anulato ſanguineo, lamellis albis. Haller l. c. III. p. 160. nr. 2373.

Agaricus viceſimus quartus. Schoepffer Icon. fungor. I. T. XXVII. & XXVIII. ſeptuageſimus nonus & octogeſimus ibid. T. XC. & XCI.

Fungi venenati muſcarii quarta ſpecies. J. Bauhin. l. c. III. P. 2. p. 841.

Germanis: *Fliegenſchwamm*, *wilder Fliegenſchwamm*.

Quam maxime varians & plerumque ſpecioſiſſimus fungus Auguſto menſe in ſilvis vegetat.

Petiolus in fungo nondum evoluto craſſiſſimus, breviſſimus & bulbum quaſi referens, in adultiori tenuior, infima tamen parte tuberoſus ibique plurimis ſquamis alias, alias breviſſimis fibrillis donatus, cetera albus, rariſſime rubellus, aliquando ſtriatus, leviter curvatus, ſolidus & aliquantum durus, proxime petiolo anulo lato, membranaceo, albo, inferiore ſui parte ſeg-

rum neces Plinius L. XXII. n. 23. Jouiani Suidas. II. p. 121. vid. etiam Vidus Vidius, Stalpart van der Wiel, Hatte, Botallus l. cc. Binninger l. c. I. obſ. 28. Sloane Voyage to Jamaica, Madera, Barbados &c. Lond. T. I. 1707. p. 65. Cardanus de ſanitate tuenda. Rom. 1580. L. II. C. 44.

segmentis aliorum plurimis inæqualis, pileo ad angulum rectum insertus.

Pileus in tenerrimo adhuc fungo volva parva eaque satis fugaci, cujus vestigia adultioris fungi superficiem macularum eminentium ad instar utplurimum ornant, involutus primo globi aut ovi, post coni, deinde campanæ formam refert, tandem convexus, denique penitus planus, ut orbiculi speciem præ se ferat, oris tamen semper revolutis, rarius, quantum equidem novi, infundibulum æmulans.

Superficies alias tota æquabiliter sanguinea, ora tantummodo aut alba, aut flava, aut striata, per ætatem tamen in aureum & denique in dilutam valde flavedinem abit, alias miniata & albis sparsis villis aut verrucis a volva reliquis obsita, aliquando versus oram dilute fusca & striata; alias tota cum petioli superficie dilute fusca, & magnis tuberculis exasperata; alias tota cinerea; alias ex viridi grisea, in medio punctis maculisque albis sparsis, versus oram striis quasi radiis exarata; alias ex atro aut fusco cinerea, nunc striata, & paucis iisque tanto majoribus albidis, nunc plurimis exiguis, iisque albis maculis insignita.

Caro utplurimum flavescens, aliquando alba aut rubella.

Inferior pilei pagina lamellis plurimis, confertis, albis, in adultiore fungo fuscis aut luteolis, tenuibus & sæpius pulverulentis obsessa est.

Acris & foetidus fungus, sive crudus, sive aliis temperatus, *a)* aut præparatus & aliquantum a nativa indole mutatus, *b)* inebriare, *c)* audaciam, *d)* deliria, *e)* rabiem, *f)* tremores *g)* ipsamque mortem *h)* inferre observatus est. DIA-

a) Cum epilobio angustifolio in liquoris speciem redactus Kamtschatkensibus in usu esse, Natural History of Kamtschatka.

b) Ipsam urinam nocere, quae a comesto hoc fungo mittitur. Ibid. p. 327.

c) Aut decem crudos fungos, aut liquorem illum cum epilobio angustifolio paratum. ibid. p. 208. 209. & 327.

d) Memoratum liquorem. ibid.

e) Et eundem, & crudos fungos. ibid.

f) Crudos fungos, adeo, ut desperabundi homines in ferrum ignemque ruant. ibid.

g) Liquorem illum. ibid.

h) Exemplo sex Lithuanorum, ex aliis Haller l. c. III. p. 161.

DIATRIBE CHEMICA
VITRIARIORUM MAGNESIAM
EIUSQUE
PARTEM TERREAM
ALCALINAM CONSIDERANS

A

CAROLO GODOFREDO HAGEN

MEDICINAE DOCTORE ET PHARMACOPOEO REGIO AULICO IN UNIVERSITATE REGIOMONTANA PROFESSORE CHEMIAE DESIGNATO ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM COLLEGA.

§. I.

Sicuti multa usque ad hoc tempus corpora a chemicis neglecta densaque respectu determinationis partium constitutivarum caligine obducta jacuerunt; sic & Magnesia, cujus usus in officinis hyalurgicis tam celebris quam jam antiquus est, intacta restitit, quare illam ad examen chemicum revocandi, partesque ejus constituentes eruendi, mihi animus est.

§. II.

Haecce Magnesia, cujus nomen ob similitudinem coloris & structurae verisimiliter a magnete proficiscitur, seu, ut alii volunt, a mangonizare *), quia vasa figulina nigro vitrificat colore, hinc derivant vocem italicam Manganese, unde vocem Magnesia ortam esse credunt — a mineralogis diversas impetravit *denominationes*, quae illius respiciunt characteres. Quarum praecipuae sunt:

Magnesia parum martialis, *Cronstedt Mineralogie*. §. 116.
Ferrum mineralisatum, minera fuliginea, manus inquinante, quae sparsim striis convergentibus constat. *Wallerius Mineralogie*. p. 345.
Molybdaenum (Magnesia) tritura atra. Linnaei systema naturae. III. 121.
Ferrum nigricans splendens, e centro radiatum. Woltersd. min. 31.
Ferrum mineralisatum nigricans obsolete splendens fibrosum. Carthaeuser. min. 72.
Magnesia vitriariorum. Baum. min. I. 269.
Lapis Manganensis. Caesalp.
Terra sitiens. Theatr. chymic. IV. 868.
Lapis spurius.

Braun-

*) Mercati Metallotheca. Cap. V. p. 148.

Braunſtein. Glasmacher Magneſie.
Manganeſe. *Italor.*

§. III.

Si faciem externam Magneſiae expendimus, magnam cum antimonio invenimus ſimilitudinem, & ſi characteres celeberrimorum Autorum nunc enumeratos colligere & in unum redigere lubet, deſcriptione hujus minerae facile ſuperſedere poſſum. Interim proponere placet, eam eſſe mineram metallicam, obſolete ſplendentem, ut plurimum nigram, fuliginoſam, fragilem, quæ manus facile inquinat, & a magnete non attrahitur. Inveniuntur praeſertim quatuor ſpecies, nempe

1. Magneſia ſolida. WALLER. l. c.
Magneſia textura vitrea. CRONSTEDT. l. c.
Ferrum compactum. CARTH. l. c.
Derber Braunſtein.

2. Magneſia radiata. CRONST. l. c.
Magneſia ſtriata. WALL. l. c.
Ferrum radiatum. CARTH. l. c.
Strahliger Braunſtein.

3. Magneſia ſquamoſa. WALL. l. c.
Ferrum -- intricatum. CARTH. l. c.
Schuppiger Braunſtein.

4. Magneſia hemiſphaeriis continuis. CRONST. l. c.
Ferrum reniforme. CARTH. l. c.
Druſenartiger Braunſtein.

Reperitur Magneſia in principatu Pedemontano, quae a vitriariis optima cenſetur, in Toſcania, Anglia, Suecia, Norwegia, in tractu metallico & Misnenſi & principatu Anhaltino.

§. IV.

Gravitatem ſpecificam Magneſiæ, cum tribus, quarum compos factus ſum, ſpeciebus tentavi, & ſequentes ad aquam deſtillatam rationes *) animadverti:

Magneſia ſquamoſa (§. III. 3.) ſe habet ut 3. 742 : 1000.
radiata (ib. 2.) - - - 4. 143 : 1000.
hemiſphærica (ib. 4.) - - 3. 726 : 1000.

Magneſiam radiatam (§. III. 2.) partium heterogenearum magis immunem & reliquis puriorem ſemper obſervavi, eaque ex cauſa experimentis meis chemicis ſubjeci.

§. V.

Variae de noſtro ſubjecto apud Autores Mineralogos, qui ejus mentionem fecerunt, occurrunt *ſententiae*. Sunt enim, qui credunt, illud tantummodo eſſe recrementum minerae, ex qua jam metallum excoctum eſt, cui tamen opinioni plurimi uno contradicunt ore. E contrario vero LINNAEUS **) toti generi, cui nomen Molybdaenum imponit & Plumbaginem annumerat, ſingulare ineſſe metallum, ingenioſe coniicit, quod ſecundum ſententiam ſuam ab omnibus jam notis toto coelo diverſum & nunquam fuſile eſt, hydrargyro ſemper proprium, illi igitur ex directo oppoſitum eſſet. Hancce hypotheſin nullo niti fundamento, meramque eſſe conjecturam liquido conſtat. Plurimorum tamen, quorum nomina jam ex characteribus in §. II. enarratis conſtant, ſententia in eo convenit, mineram eſſe martialem. Hiſce etiam adnumerandi ſunt HENKEL ***) & KUNKEL ****), quorum poſterior tamen praeſentiam ferri experimento tale quid neutiquam

*) Secundum MUSCHENBROECK Magneſia ſe habet ad aquam pluvialem ut 3. 530. ad 1000. Confer. Ejusd. Introductio ad philoſophiam naturalem. Lugd. Bat. 1762. I. pag. 545.

**) LINNAEI Syſt. naturae. Edit. duodecima. III. 121.

***) Henkels Pyritologia. §§. 89.

****) KUNKEL. ars vitriar. experim. 1679. p. 272.

quam comprobante evincere conatur. Cl. POTT †) in contrariam abit ſententiam, & experimentis, quae nullo modo tamen rite poſſunt eſſe inſtituta, magneſiae noſtrae principium denegat martiale & terram aluminoſam ipſi ineſſe credit. Ex hac ergo ſententiarum diverſitate veritatem eruere, dilucidisque experimentis partes veras Magneſiam conſtituentes, quantum fieri poteſt, proponere, operae pretium eſſe duxi.

§. VI.

Experimentum I.

Unciam Magneſiae ſubtiliſſime pulveriſatae (quam alcoholiſationem ſemper in mortario adornavi vitreo) injeci in crucibulum, & per duas horas igni expoſui continuo, levemque tunc obſervavi odorem ſulphureum. Frigefactum exemi, & Magneſiam parum mutatam -- nam aliquatenus ad rufeſcentem vergebat colorem — ſemidrachmam ponderis amiſiſſe reperi.

Particulas quasdam de Magneſia itaque in auras abiiſſe, decrementum indigitat ponderis. Ut vero experirer, quae haec ſit materia, ſequens inſtitui

Experimentum II.

Semiunciam Magneſiae ſubtiliſſime pulveriſatae retortae indidi vitreae, & balneo arenae commiſſae, adaptato recipiente, omnibusque juncturis rite clauſis, ignem per gradus auctum ſubſtravi, & per quinque horas, & quod excedit, in illo retinui. Mox guttulae quaedam aqueae in excipulum tranſibant, quibus transgreſſis nihil amplius memoratu dignum obſervavi. Magneſia in retorta contenta eundem ac illa, de qua in praecedenti §pho eſt ſermo, referebat colorem, & decem grana ponderis amiſerat.

†) POTT. obſervat. & animadverſ. chymic. Coll. I. 79.

Hoc decrementum, una cum eo, quod in Exper. I. annotavi, a *particulis aqueis* & forsitan *sulphureis* derivandum esse, liquet.

§. VII.

Experimentum III.

Semunciam Magnesiae in subtilissimum pulverem redactae injeci in retortam vitream & decem circiter *aquae destillatae* adfudi uncias, & applicato excipiente destillationem in balneo arenae adornavi. Duabus unciis aquae supergressis, illas in retortam rejeci & iterum ignem subministravi. Idem quatuor reiteravi vicibus. Postremo omne, quod retortae inerat, filtravi & liquor filtratus ab aqua assumta colore non diversus apparebat, nec quicquam ex illo cum alcalicis seu acidis praecipitare potui. Magnesiam in filtro obtentam siccavi, quae tamen & nec granulum ponderis amiserat.

Nullam itaque materiam salinam, nec aliam per aquam solubilem substantiam Magnesiae inhaerere concludo.

§. VIII.

Experimentum IV.

Uni drachmae Magnesiae subtilissime lævigatae adfudi *acidi vitriolici* cum aqua destillata debilitati unciam unam, nullamque sensi effervescentiam. Leni exposui calori & postea filtravi.

1. Solutio est amoene *rubicunda.*
2. Ab *aqua* adfusa non turbatur.
3. Decoctum *gallarum* illam non mutat.
4. A *liquore tingente Meyeri* *) pulchrum ad fundum dimittit coeruleum praecipitatum.
5. Cum *alcali vegetabili* & *minerali fixo* valde effervescit & lutescens præcipitatur.

6. Aci-

*) *Meyers chymische Versuche des ungelöschten Kalchs.* p. 4. 4.

6. *Acidum salis* instillatum solutionem non reddit turbidam.

§. IX.

Experimentum V.

Eodem modo eademque proportione ac in Exper. præc. in *acido nitri* solutionem Magnesiæ perfeci & sequentia observavi:

1. Solutio nullo modo tincta erat.
2. *Aqua* immissa non afficiebatur.
3. A decocto *gallarum* non mutabatur.
4. A *liquore tingente Meyeri* ex viridi statim in bruneum transibat colorem, & quum tantum liquoris instillarem tingentis, ut pondus ipsius fere superaret pondus solutionis, colorem amoenum viridem retinebat.
5. Cum solutione *alcali vegetabilis*, *mineralis* & spiritus *salis armoniaci* efferveſcebat & pauculum terrae luteae ad fundum dimisit.
6. Ab *acido salis* instillato nebulosa facta est, & diebus nonnullis praeterlapsis ad parietes vitri particulas quasdam sepoſuerat.

§. X.

Experimentum VI.

Solutio Magnesiae in *aqua regis*, ex semidrachma florum salis armoniaci & uncia una acidi nitri constante, eodem modo adornata

1. Colore gaudet *aureo*.
2. *Aquam* immutatam relinquit.
3. A *liquore Meyeri tingente* in pulchrum coeruleum abit colorem.
4. A decocto *gallarum* nigreſcens evadit.

5. Cum

5. Cum *alcali vegetabili fixo* praecipitatum dat, quod a guttulis nonnullis inſtillatis colore luteſcente fundum petit. Si vero liquor ab hoc primo praecipitato decantatur, & rurſus praecipitatur, magiſterium album eructatur.

§. XI.

Experimentum VII.

Cum *acido ſalis* Magneſia iisdem circumſtantiis obſervatis ſubit ſolutionem, quae

1. *Flavo-rubro* ſeu *aureo* colore eſt tincta.
2. *Aquam* adfuſam non turbat.
3. A decocto gallarum nigreſcentem induit colorem. *)
4. A *liquore tingente* colore dilute coeruleo praecipitatur.
5. Ab *alcali vegetabili* & *minerali fixo* eodem modo praecipitatio abſolvitur ac in ſolutione cum aqua regia. (Exper. VI. 5.)

§. XII.

Ex quibus experimentis (§. VIII-XI) facili negotio ſequentia colligere licet:

1. *Terram* quandam, cujus indolem & genus poſtea experimentis eruere omnem navabo operam, praecipuam eſſe partem conſtituentem Magneſiae, probant praecipitata per alcalia e ſolutionibus exturbata.
2. Inter partes conſtituentes Magneſiae ſummo jure locum obtinet ferrum, quia
   α. Solutiones cum aqua regia & acido ſalis a decocto gallarum nigreſcentes evadebant. (Exper. VI. 4. & Exper. VII. 3.) Quod vero ſolutiones in acido vitrioli (Exper. IV. 3.) & Nitri (Exp. V. 3.) immutatae perſtite-

*) Neſcio itaque, qua autoritate Cel. Pott contendere poſſit, decoctum gallarum ſolutionem Magneſiae in acido ſalis non turbare. Confer. Ejus obſervationes circa ſal commune. p. 79.

ſtiterint, fortaſſis a pauca quantitate, quae in ipſis ſoluta haerebat, derivandum eſt.

β. Solutiones in acido vitrioli (Exp. IV. 4.), aqua regis (Exp. VI. 3.) & acido ſalis (Exp. VII. 4.) cum liquore Meyeri tingente coeruleum dabant praecipitatum.

γ. De praeſentia ferri etiam in eo continetur argumentum, quod terra ab initio luteſcens expellatur. (Exper. VI. 5. VII. 5.)

3. Auguror, neutiquam tamen pro certo vendito, parvam Magneſiae ineſſe quantitatem *Vismuthi*, quia in Exper. V. 4. liquor Meyeri tingens viride ad fundum cogit praecipitatum & praeterea haec ſolutio cum acido ſalis nubila evadit. (Exper. V. 6.) Veriſimiliter Vismuthum generatur corneum, quod tamen extra omnem dubitationis aleam ponere exigua quantitas neutiquam conceſſerat.

§. XIII.
Experimentum VIII.

Semunciam Magneſiae in alcohol redactae cum uncia una ſalis tartari trivi, & crucibulo indidi candenti, quo tecto per ſpatium horae in igne retinui. Qua praeterlapſa maſſam nigerrimam tenaciter cohaerentem in ipſo reperi. Solvi hanc in tribus circiter unciis aquae deſtillatae, filtravi, nullam vero ſolutionis notam in liquore filtrato obſervavi.

§. XIV.
Experimentum IX.

Quo experirer, an Magneſia ſolutionem patiatur in *hepate ſulphuris*, ſequens mixtum paravi: ſumſi nempe unciam

unam salis tartari, semunciam sulphuris citrini & unciam unam Magnesiae. Quae rite pulverisata & mixta tigillo indidi, vehementissimoque igni exposui. Massa per tempus quoddam fusioni resistebat, usque dum in unam molem coiret; nihilominus tamen tigillum penetrabat. Post frigefactionem exemta nigrum prae se ferebat colorem, & in aqua soluta obscure viridi gaudebat colore. Lixivium per acidum quoddam praecipitatum sulphur citrinum fundum petere cogebat; evidenti argumento, nihil magnesiae per hepar sulphuris esse solutum.

§. XV.

Experimentum X.

Miscui Magnesiae vitriariorum laevigatae drachmas sex cum uncia una *nitri depurati* & iteratis vicibus tigillo, inter carbones jam locum tenenti, infudi. Post unamquamque ingestionem detonationem subiit, omnique materia ingesta crucibulum quodammodo tectum per tempus quoddam in igne retinui. Massa erat nigra, friabilis, aerisque humiditatem avide attrahebat, qua ex causa illam in vitrum, quod subere erat obturandum, immisi. Cujus praeparati quum frustula quaedam in vitrum crystallinum cum pellucidissima aqua repletum iniicerem, & statim bacillo ligneo agitarem, color amoene viridis totum tingebat liquorem, qui tum in coeruleum & denique in purpureum transibat colorem.

Hoc praeparatum, cujus inventorem ignoro, ob mutationem coloris a chemicis nomen *Chamaeleon mineralis* nactum est, in quo progressus colorum paucis absolvitur minutis. Qua ex causa ab illo, qui ex mixtione liquoris tingentis cum acido nitri oritur, *) distinguendus est, quia

*) Confer. Dissertatio mea chemica inauguralis expendens Stannum, quae illius exhibet descriptionem, Pars. I. p. 27. Not. (q)

quia ad absolutionem hujus viginti, & quae excedunt, horae requiruntur.

§. XVI.

Experimentum XI.

Magnesiae & florum *salis armoniaci* simplicium aequalem portionem semunciam nimirum in mortario vitreo conjunxi optime, retortae vitreae ingessi & adaptato recipiente ignem substravi. Odorem tunc percepi sulphureum. Et licet ignem gradatim per duas horas auxerim, tamen duo tantummodo grana salis, odorem sulphureum redolentis, brunei coloris, quem a marte natalia duxisse liquet, in retortae collo sublimabantur & pauxillum spiritus urinosi in recipiente transcendebat. Reliquum in retorta contentum obscure rubro gaudebat colore & crusta alba quasi vegetante tectum apparebat, quod aqua calida edulcoratum & siccatum rubicundum porrigebat pulverem, ex quo magnes nonnullas attrahebat particulas. Haec, quae remanserunt, iterum cum aequali portione florum salis ammoniaci sublimavi, & eodem jam laudato salutatus sum eventu.

§. XVII.

Experimentum XII.

Sex drachmas *mercurii sublimati corrosivi* cum duabus & semis drachmis Magnesiae pulverisatae diligenter trivi & retortae injeci vitreae. Substrato & per gradus aucto igne mercurius sublimatus alta petiit magnesia in fundo remanente. Sublimatum in examine chemico omnino immutatum, & magnesia haud affectum se sistebat.

§. XVIII.

Experimentum XIII.

Sumſi Magneſiae & *cinnabaris factitiae* partes anaticas, optime his contritis, ſublimationem inſtitui obſervatis omnibus cautelis in experimentis praecedentibus adhibitis. Poſtquam per aliquod tempus ignem ſubieceram, mercurius vivus collum retortae tranſibat, quo transgreſſo maſſam nigram in retorta remanentem inveni.

A parte martiali, jam antea (§. XII. 2.) probata, decompoſitionem cinnabaris deducendam eſſe, fere concederem, niſi quantitas ejus in Magneſia adeo exigua & aliis experimentis infra deſcribendis non convictus eſſem, terram in Magneſia praeſentem & maximam partem conſtitutivam ejus facientem (§. XII. 1.) mercurium deliberaſſe: licet partem martialem etiam aliquid contribuiſſe, haud negem.

§. XIX.

Quia in nonnullis jam prolatis experimentis odorem alliaceum exiguum ſenſiſſe mihi fere perſuaſi, an fortaſſis *arſenicum* in mixtione Magneſiae praeſto eſſet, dubius haeſi. Quod ut extra omnem dubitationis aleam ponerem, ſequens inſtitui

Experimentum XIV.

Unciam Magneſiae cum drachma *florum ſulphuris* miſcui exactiſſime, & ſecundum regulas artis retortae vitreae indidi & ignem ſubminiſtravi. Sulphur immutatum ſublimabatur, licet rurſus odorem alliaceum exiguum percipere mihi viderer, & reſiduum faciem croci martis prae ſe ferebat. Hoc cum ſulphure iterum conjunxi, novamque adornavi ſublimationem, nihilo minus tamen ſulphur colore citrino alta petiit, quod etiam

etiam tertia vice reiterato experimento rursus obtigit, etsi tum quinque grana sulphuris tantummodo ascenderent. Sulphur diacrisin passum fuisse, non solum ponderis docet decrementum, sed exinde etiam elucet, quia jam post peractam primam sublimationem infra sulphur, quod ascendebat, humidum unguinosum observavi, quod chartam coerulam, cui metae sacchari involvuntur, rubro inficiebat colore, & saporem vitriolicum linguae imprimebat.

Quia in hoc experimento sulphur nec aurantio nec rubro colore sursum ferebatur, arsenici immunem fere Magnesiam declaro, quum praeterea experimentis plus confidam, quam sensibus nostris sat saepe fallacibus.

§. XX.
Experimentum XV.

Duabus partibus Magnesiae laevigatae superaffudi unam partem *olei olivarum* & in catino supra lenem ignem sub continua agitatione retinui. Dum fumum haec miscela edere incipit, Magnesia forti cum spuma dissolvitur. Ad solutionem accelerandam nullum adhibui acidum.

§. XXI.
Experimentum XVI.

Circa hanc solutionem Magnesiae (Exper. praec.), quam ad emplastrorum consistentiam redegeram, omnia adornavi, quae in praeparatione Pyrophororum observantur, & obtinui nigrum pulverem, qui quidem ab accessu aeris calorem, neutiquam vero ignem concepit, nec pulverem pyrium deflagrabat.

Ad hoc experimentum inſtituendum me impulit ſulphur ſeu potius acidum vitrioli, ſulphuri ſemper inhaerens, quae in Magneſia praeſentia eſſe credidi, & quod poſterius ſecundum experientiam celeberrimorum chemicorum cum inflammabili ſemper largitur pyrophorum Hombergi.

§. XXII.

Hiſce abſolutis in vitrificatoriis experimentis verſatus ſum, in quibus ignis gradum omnesque encheireſes, quae ad producenda vitra chemica requiruntur, fideliter obſervavi.

Experimentum XVII.

Quatuor partes *boracis* calcinatae cum una parte Magneſiae dabant vitrum luteum, hyacinthinum, pellucidum, cujus ſuperficies ſuperior bruneum oſtendebat colorem.

Experimentum XVIII.

Pars una Magneſiae cum quatuor partibus *vitri ſaturni* pellucidiſſimi -- ex quatuor partibus minii & una parte arenae albiſſimae conſtantis -- vitrum porrigebat bruneo ſeu aureo colore nitens, pellucidum.

Experimentum XIX.

Quatuor partes *frittae*, ex una parte arenae albiſſimae & tribus ſalis tartari conſtantes, cum una parte Magneſiae vitrum producebant ſubpellucidum, ex luteo in obſcure viridem vergens colorem. Cl. CRONSTEDT *) & alii credunt, ſalem alcali frittas, quibus Magneſia addita eſt, ſemper in violaceum mutare colorem, quod tamen experientiae meae minime reſpondet.

Expe-

*) *Cronſtedts Mineralogie* p. 116.

Experimentum XX.

Magneſiae unam partem cum quatuor partibus *vitri antimonii hyacinthini* per tres quadrantes horae tantummodo in igne retinebam, quia maſſa adeo infeſtos ſpargebat vapores & vitrum fere opacum ex bruneo nigreſcens obtinui.

Experimentum XXI.

Vitri arſenici & Magneſiae partes anaticae dabant maſſam, quae ſcoriam martialem potius quam vitrum ſimulabat. Si pondus vitri arſenicalis pondus Magneſiae ſuperat, tigillum penetrat, illudque vacuum relinquit. Vitrum arſenici e duabus partibus minii & una parte arſenici albi conſtabat.

Docent haec experimenta, magneſiam ſemper obſcuriorem & plerumque bruneum vitris impertiri colorem, quem a particulis martialibus derivare, haud incongruum foret.

§. XXII.

Haec ſunt, quae circa Magneſiam ipſam inſtitui experimenta. Supereſt itaque adhuc, ut terram ceu maximam partem conſtitutivam Magneſiae propius expendam, quo natura & indoles ejus magis eluceſcant. Sed ad haec examinanda, major quantitas ejus, ac experimenta praecedentia porrigebant, erat acquirenda. Qua ex cauſa hanc elegi methodum, quam aliis multo faciliorem deprehendi.

Experimentum XXII.

Duas uncias Magneſiae alcoholiſatae ingeſſi in retortam vitream ſatis capacem, quibus quatuor uncias olei vitrioli concentrati ſuperaffudi & in arenae balneum collocavi. Recipiente ſine omniluto adaptato, ignem ſubminiſtravi, quem pede-

pedetentim ad vehementiorem gradum usque auxi. Hunc calorem per duodecim horas retinui, & quia materia valde tum intumescebat & collum retortae transcendere minabatur, ignem substratum extinxi. Frigefacta retorta, massam fundum & latera vasis occupantem inveni albissimam, qua ex causa postero die iterum ignem substravi, quo medium & superficies massae eundem colorem adipiscerentur. Per sex tum horas vehementissimum ignis adornavi gradum, quo mediante retorta in totum candebat, acidum vitriolicum sub forma nebulae imperspicuae & guttarum brunearum transcendebat & materia contenta undiquaque sicca & alba apparebat. Distracto vase massam valde porosam & spongiosam animadverti, pars ejus inferior ad quatuor digitorum remanentiam circiter brunea evasit, stratum quod sequitur roseo gaudebat colore & superius praealbo. Concretum hoc salinum linguae admotum in totum liquescebat & tres uncias duasque drachmas ponderabat. Solvi illud in aqua destillata, quam paululum tantum calidum reddebat, statim in frustula fatiscere coepit. Color solutionis per filtrum trajectae respondebat iam indicatae Exper. IV. 1. Residuum in filtro siccatum erat obscure carnei coloris, ponderabat duos scrupulos, & in carbone addito phlogisto cum instrumento vitreo ad ferruminandum usitato, vulgo *Lothröhrchen* dicto, ignitum a magnete valde attrahebatur. Diebus sequentibus in liquore filtrato nebulae obscure rubrae circumnatabant, quae ope filtri separatae, gelatinae similes erant, & eodem modo ac remanentia tractatae nutum magnetis sequebantur. Solutionem evaporavi & in locum frigidum ad crystallisandum sepositi, postero die inveni crystallos subrubicundas ex meris laminis superimpositis constantes. Lixivium remanens & a crystallis separatum iterum evaporavi, id quod ad ultima usque repetii, & semper easdemque obtinui crystallos, licet in lixivio ultimo

sal

ſal amarum inter has inveni. Hae cryſtalli humiditatem aeris attrahebant & in calore liquefiebant. Qua ex cauſa partem quandam illarum in crucibulo calcinavi, & ex ſolutione ſal multo firmius obtinui, nec in aere nec in modico calore deliqueſcens. In aqua facillime ſolvebantur, ex qua cum ſolutione alcali fixi terram primo luteam, poſtea autem albidiorem praecipitavi. Hanc aqua calida ab omnibus particulis ſalinis optime ablutam ad experimenta inſtituenda ſiccavi.

Experimentum XXIII.

Eadem fere methodo Magneſiam cum acido ſalis ſubfumante tractavi. Finita vero deſtillatione ſtatim concretum ſalinum in crucibulum immiſi & calcinavi, quo acidum ſuperfluum abiret, maſſamque obtinui fuliginem ſplendentem ſimulantem. Hanc eodem modo cum aqua elixavi, filtravi & praecipitavi. Praecipitatum vero omne multo puriori gaudebat albedine ac prius. (Exper. XXII.)

Experimenta circa hanc terram coepta ordine, quo inſtituta ſunt, proferam, & ultimo omnia conjunctim recenſebo.

§. XXIII.

Experimentum XXIV.

In acidum vitrioli cum aqua debilitatum immiſi fruſtula terrae, quae magna cum effervescentia ſolvebantur, repetii itaque immiſſionem terrae, donec acidum ſaturatum erat. Solutio ſaporem habebat ſubdulcem. Filtravi ipſam, evaporavi & ad cryſtalliſandum ſepoſui, quo tum eaedem cryſtalli, facillime in aqua ſolubiles, ac jam in Exper. XXII. deſcriptae exſtant, enatae ſunt. Etſi in hanc ſolutionem ſal alcali fi-

xum ſolutum eo modo, ut Cl. MARGGRAF docet, *) inſtillavi, tamen nullum alumen obtinui.

Experimentum XXV.

Quum acidum nitri cum hac terra ſaturavi, idem motus efferveſcentiae ortus eſt. Saporem ſolutio habuit multo acriorem, dulciculum tamen. Nulla ratione operae adhibitae habita ad cryſtalliſandum non erat diſponenda. Acidum vitriolicum inſtillatum, licet hanc mixtionem in locum calidum ſepoſuerim, nihil ad fundum dejecit. Charta ſolutione illita flamma vireſcente deflagravit.

Experimentum XXVI.

In acido ſalis aeque bene & cum efferveſcentia ſolutio peracta eſt. Sapor hujus ſolutionis majorem habebat dulcedinem ac jam memoratae, propius ſapori ſolutionum ſaturni in acidis accedens. Ad cryſtalliſandum etiam non erat redigenda. Per inſtillatum acidum vitriolicum nihil exturbatur, licet etiam calide ttactaverim. **) Solutio ſiccata & in crucibulo fortiſſime calcinata non omne dimittebat acidum ſalis.

§. XXIV.

Experimentum XXVII.

Terram ſubſtratam in tigillo tecto igni ad calcinandum expoſui, & ipſam rubro-brunei coloris, rubricae fabrili apprime accedentis reperi.

Expe-

*) *Marggrafs chymiſche Schriften*, I. 205.

**) Ex ſolutione vero terrae coloris luteſcntis, quam ſub prima praecipitatione obtinui (Expr. XXII.) inſtillato acido vitriolico poſtero die flocculi pulchre virides ſe praecipitaverant.

Experimentum XXVIII.

Hanc terram calcinatam cum in aquam frigidam immiſerim, nullus ſtrepitus, nullus calor ortus eſt. Horis nonnullis praeterlapſis liquorem pellucidum decantavi & ſequentia reſpectu ipſius obſervavi: cum acidis nihil praecipitabatur; nec color mercurii ſublimati corroſivi nec mercurii dulcis mutabatur, dum hos cum eo trivi; ſolutio vero mercurii vivi in acido nitri perpauxillum coloris aurantii praecipitare videbatur.

§. XXV.

Experimentum XXIX.

Terrae praedictae & ſalis tartari puriſſimi ſumſi partes aequales, immiſi in crucibulum & igni fuſorio per horam tradidi. Hoc mixtum, quod in unam maſſam fuſum erat, ſaporem haud cauſticum linguae admotum imprimebat, neque minus in aere celerrime deliqueſcebat. In aquam immiſſum mox ſolvebatur, & ſedimentum obſcure viride ad fundum dejecit. Ex ſolutione luteſcente pellucida ab acidis inſtillatis materia pauca flocculenta viridis ſucceſſu temporis praecipitabatur, quae commixtio penetrantiſſimo ovis putridis ſimili excipiebatur odore.

§. XXVI.

Experimentum XXX.

Miſcui ſalis armoniaci depurati duas drachmas cum ſemuncia terrae Magneſiae, indidi retortae vitreae & in balneo arenae collocata junĉturisque optime clauſis ignem ſubſtravi. Mox alta petierunt flores pulchre ſe ſublimantes, & liquidum paucum in excipulum tranſtillavit. Operatione finita

ta ſublimatum & liquidum transgreſſum urinoſe ſapuerunt & oluerunt. Cum acidis in motum efferveſcentiae abiverunt & ſyrupum violarum viridi infecerunt colore. Reſiduum in retorta perlevem cum aqua edidit calorem & ex obtento lixivio terra alba colore per menſtruum alcalicum ad fundum dejecta eſt. Maſſa in filtro reſtans terrae umbrae ſimilis erat.

§. XXVII.

Experimentum XXXI.

Semunciam Magneſiae cum duabus drachmis cinnabaris in unum pollinem trivi optime, retortae vitreae immiſi & in arenam collocavi. Adhibito igne per gradus aucto, mox hydrargyrum omne collum retortae tranſcendere obſervavi, cinnabarinque decompoſitam eſſe certior factus ſum. Materiae in retorta reſtanti adfudi aquam calidam, quo facto acido inſtillato odor ſulphureus ortus eſt. Lixivium per inſtillationem ſolutionis ſalis tartari lacteſcens evaſit.

§. XXVIII.

Terram noſtram ab admiſtione partis metallicae non eſſe immunem, docet Exper. XXVII, quo illa calcinata bruneum nanciſcitur colorem. Probant idem etiam reſidua experimentorum obſcure colorata ut Exper. XXIX. XXX & q. f. r. Alcalinae indolis vero illam eſſe & efferveſcentia & ſolutio in acidis ſatis ſuperque demonſtrat. Quum vero tres ſpecies dentur terrarum alcalinarum, nimirum calcaria, aluminoſa & muriatica, adhuc ſub iudice quaeſtio verſatur, ad quamnam ſpeciem haec eſſet referenda. Ad illam ſolvendam phaenomena terrae alcalinae ſubſtratae cum phaenomenis jam laudatarum comparare optimum foret, quo uno obtuitu colligi queat

queat, an uni harum, seu commixtioni unius alteriusque, seu nulli respondeant.

§. XXIX.

Cum terrae calcariae proprietatibus terra subsurata multa habet communia, nempe

1.) Quod metathesin salis armoniaci efficit. (Exp. XXX.)

2. Quod acidum salis in calcinatione non omnino dimittit. (Exper. XXVI.)

3. Quod cinnabarin decomponit. (Exper. XXXI.

4. Quod residua ab Exper. XXIV. XXXI. cum acidis foetorem sulphureum excitabant, id quod terrae calcariae proprium est.

E contrario calcariae indolis eam non esse suadent:

1. Crystallorum figura, cum acido vitriolico productarum, (Exper. XXII. XXIV) quae formae selenitis neutiquam respondent.

2. Solubilitas tam facillima crystallorum in aqua (Exper. XXIV.), cum e contrario selenites difficillime in ipsa aqua ebullienti est solvendus.

3. Copia terrae hujus, quam acidum vitrioli solvendo par est, multo major observatur, ac si illud cum terra calcaria saturatur.

4. Quia per se calcinata phaenomena calcis vivae omnino non edit. (Exper. XXVIII.)

5. Quia sal alcali fixum non causticum reddit. (Exper. XXIX.)

§. XXX.

Terram aluminoſam non eſſe, inde elucet, quia omni artificio adhibito nullum alumen producere poteram. (Exper. XXIV.) Muriaticam vero terram, baſin ſalium amarorum conſtituentem, ipſi ineſſe, ut veritas omnibus numeris abſoluta eſt aſſumenda. Nam tantum abeſt, ut ad hoc probandum ad flammam viridem, quam ſolutio terrae noſtrae in acido nitri cum charta communicat (Exper. XXV.), & quod ſecundum experimenta Cl. MARGGRAF tantummodo ratione terrae muriaticae obſervatur *), provocem, ut potius intrepide ſal ipſum ex lixivio cum acido vitriolico obtentum, ſalique amaro perquam ſimile (Exper. XXII.) in conſpectum proferre nullus dubitem.

§. XXXI.

Quum ex lixivio, in Exper. XXII. deſcripto, duas tantummodo diverſas cryſtallos obtinui, duas etiam tantummodo diverſas terras alcalinas baſin earum conſtituere, concludo. Terram muriaticam ſuam inter partes conſtitutivas conferre ſymbolam, jam evici: ſupereſt itaque adhuc, alteram terram cryſtallos, ex laminis tenuiſſimis ſupraimpoſitis conſtantes componentem eruere. Hic vero haeret aqua. — Experimenta circa hanc veritatem adeo laborem fruſtrata ſunt, ut nil firmi circa hoc poſtulatum ſit ſtabiliendum. Num fortaſſis eſt nova ſpecies terrarum alcalinarum? An potius eſt terra calcaria, quae per admixta metalla adeo modificata eſt, ut phaenomena oſtendat, quae alias illam non determinant? -- Ultimam ego quidem arripio ſententiam, quia terrae noſtrae multa competunt, quae alias tantummodo inter notas characteriſticas terræ calcariæ veniunt (§. XXIX.) Auguror quidem & augu-

*) *Marggrafs chymiſche Schriften* II. p. 9. & 34.

augurium me non fallere credo, nonnullos mihi objecturos esse, me terram labe metallica inquinatam ad experimenta vocasse, sed doceant hi prius methodum, quomodo illius immunis reddi possit, saltem hactenus nulla mihi nota est via, terram alcalinam, quæ intimo cum metallica parte jungitur amplexu, ab illa liberandi. Difficultates, quibus hæc operatio premitur, unicuique in experimentis adornandis exercitato, statim se obvias dabunt.

§. XXXII.

Quæ cum ita sint, concludo, Magnesiam nostram præcipue ex terra alcalina, calcariæ proxime accedenti, ex terra muriatica & marte constare. Illas nunc (§. XXXI.) evicimus; hic autem in §. XII. 3. probatus tribus rationibus exstat, quibus gravissimum addo argumentum, dum lectorem ad Exper. XI. & XXII. reduco, ubi tam dilucide probavi, hujusmodi ferrum a magnete attrahi. *) Levem fortassis etiam Magnesiae inesse Vismuthi quantitatem, indicavi §. XII. 4. Diversa phaenomena mihi etiam conjecturam insinuarunt, hanc mineram & Cobaltum in mixtione fortassis alere, licet omni adhibita opera nullum atramentum sympatheticum producendo par fuerim. Secundum experimenta Cl. Marggraf Zincum non continet **), de quo ego etiam nullum inveni vestigium. Respectu quantitatis partium constitutivarum calculum meum sententiae Wallerii adiicio, qui centum libris

*) Hisce etiam addere possem experimentum a Cl. Montamy institutum, quod nos de praesentia martis haud dubios relinquit. Instillavit nimirum in solutionem Magnesiae in acido vitriolico factam solutionem alcali sulphurati, & statim coeruleum berolinense fundum petiit. Confer. Montamy *Abhandlung von den Farben zum Porcellain und Emailmahlen*. p. 231.

**) *Marggrafs chymische Schriften* I. 274.

libris Magneſiae decem ferri (ego quidem metalli potius dicerem) adjudicat *), reliquum vero meram terram eſſe alcalinam, credo.

§. XXXIII.

In uſum adhibetur Magneſia a figulis ad vaſa nigro encauſto obducenda & in hyalurgiis ad nimiam pelluciditatem vitrorum temperandam & viridem ſeu coeruleum colorem illorum tollendum, qua ex cauſa illa a KUNKELIO & aliis *ſapo vitri* nuncupatur. Mira haec revera eſt proprietas Magneſiae, quia alias vitris colorem impertire ſolet. (Exper. XVII-XXI.) Reſpectu explicationis tam difficillimae hujus phaenomeni, nulla mihi a diverſis autoribus prolata ſatisfacit theoria **), & ignorantiam meam hac in re confiteri magis quam rationes ab ultimis petere placet, quia in re, ubi experimenta ad explicationes ſemper neceſſaria deſunt, optimum eſſe duco, manum de tabula.

Berolino Onoldum
miſſa d. 12. *Iunii* 1776.

Expe-

*) Wallerius Mineralogie. 346.

**) MONTAMY nimis ingenio ſuo indulget, hoc phaenomenon per ſimile explicans, quo duo prismata vitrea diverſi coloris invicem juncta nullos transmittunt radios. Conf. l. c. 231.

EXPERIMENTA
ET
OBSERVATIONES
SEPTICORUM
ET
ANTISEPTICORUM
INDOLEM ILLUSTRANTIA

AVCTORE

EBERHARDO GMELIN M. D.

PRAEFECTVRAE WIRTEMBERGICAE FREVDENSTADIANAE MEDICO ORDINARIO, ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM COLLEGA ET INSTITUTI MOR. ET LITT. ELEGANT. QUOD ERLANGAE FLORET, SOCIO HONORARIO.

ILLUSTRISSIMAE ACADEMIAE CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM pagellis hiſce decenter offero experimenta quaedam cum ſubſtantiis aliquot, quoad relationes iſtarum ad corpus humanum vivum maxime memorabilibus, inſtituta, cum ſyſtemate quodam, aſt lubenter fateor! lacunis atque defectibus adhuc ſcatente, de ſepticis & antiſepticis. In eo themate elaborando normam, quam illuſtris Academia Divionenſis occaſione problematis: quae ſit natura & indoles remediorum, latiori ſignificatione dictorum antiſepticorum, quis modus, quo vim ſuam exſerant, quaenam diverſae eorum ſpecies, & qualis uſus in morbis? ad annum 1767. propoſiti, ſequutus ſum. Rei autem ipſius amplitudo, & dignitas, & gravitas vires meas multum ſuperans, effecerunt, ut, quod ad ultimum quaeſtionis articulum de uſu in morbis determinato attinet, in generalibus tantummodo perſtiterim, ſpecialiora haud attigerim. Occaſionem autem, tum haec experimenta inſtituendi, tum ſyſtema illud qualecunque condendi, mihi ſubminiſtravit ſequens hiſtoria, qua cum ea ex cauſſa merito facio hujus commentarii initium.

Hiſtoria morbi & mortis

ex eſu

baccarum atropae belladonnae.

Vir ſexaginta & duos annos natus, die vigeſimo quinto Auguſti, anno 1772. armenta cuſtodiens, calidiſſimis tum temporis ſolis radiis expoſitus, veſpera vehementi vexabatur ſiti, quam, habitu ſucculento ſplendentium nigrarum baccarum, ceraſis ſimilium, illectus, temperare voluit. Ex dulci & grato ipſarum ſapore quam maximam refectionem ſentiens, magnum ingeſſit numerum, & praeterea liberis ſuis ramum bac-

bacciferum rediens dono dedit, qui a matre prudenter moniti, ipsum intactum reliquerunt. Vix lectum petiit, cum inquietudine & anxietate afficeretur, deliraret, floccos de lecto carperet, evelleret; uxor ipsius, his symptomatibus perterrita, universale nostrae plebis ipsi dedit remedium, spiritum vini. Brevi post horrore concussus est, crebrius oscitavit, lecto surrexit, mortem instare praedixit, & familiam suam ad preces hortatus est, de dolore singulari non conquestus, tremore tantummodo & vertigine tentatus est. In lectum non multo post repositio praebuerunt electuarium apii & sambuci cum lacte: continuo lecto exsilire tentavit, inquietus, anxius fuit, nunc perpetuo deliravit. Tandem quiete jacuit, nec nisi tegumentum lecti aliquoties vi projecit; denique convulsionibus affectus & sensibus orbus ita prostratus est, ut hora ab esu baccarum circiter decima quarta, cum aliquot suspiriis, sed placide exstingueretur.

Quam morbi & mortis historiam uxor defuncti mihi retulit. Magistratus vero de caussa mortis tam improvisae viri alias sani nondum instructus, adornavit sectionem legalem, quam ego ex ordine institui.

Sectio Cadaveris.

Duodecima a morte hora suscepi sectionem.

Monstrarunt mihi primo ramum, cujus baccas antea ingesserat: clarissime vidi ex habitu plantae & baccis esse atropam belladonnam Linnaei, die *Wolfskirsche*, *Tollbeere;* eoque magis nunc curiosus fui, quo rariores sunt sectiones corporum humanorum, hujus plantae venenatis viribus interemtorum.

Cadaver spargebat foetorem intolerabilem, horrendum, ut neque Chirurgus, neque Scabini, sectione legali interesse voluerint, sed ego solus, & sectionem instituere, & reperta notare, fuerim coactus.

Totum corpus, alias gracile, horrendum in modum intumuit, abdomen, ſcrotum & penis, prae immenſo tumore, lapidis inſtar, dura erant, penisque erectus, & quamprimum aperiebantur, profluxit aqua quam maxime ſpumoſa, foetoris putridiſſimi, cultellos corrodens. Ex ore, naribus & oculis emanavit ſanguis valde ſpumoſus, reſolutus. Facies, pectus, abdomen, dorſum, extremitatesque copioſis, magnis veſicis gangraenoſis, lividis, obſita erant.

Aperto abdomine apparuit ventriculus, baccis, manducatione contritis, atropae belladonnae plenus, nullibi vero inflammatus vel gangraenoſus, ſed colore & ſubſtantia naturali. Duodenum inteſtinum in lividum vergebat colorem, cetera adhuc ſatis firmum erat; reliqua autem inteſtina nec colore nec ſubſtantia a ſtatu naturali recedebant. Lien & hepar erant friabilia & fere jam putrefacta. In cavitate pectoris obſervavi pulmones valde tumidos, & ubi vertebris adjacent, lividos. Ventriculi cordis fuerunt vacui, & ſubſtantia cordis naturalis. Sanguis, ubicunque arteriam vel venam incidi, profluxit quam maxime tenuis, fluidus, reſolutus, ſpumoſus.

Encephalum etiam jam putredine correptum erat, arteriae ipſius, venae & ſinus ſanguine turgebant, ut ubique eſſet ruberrimum.

Animadverſiones.

Hiſtoriam hanc communicavi Cl. Profeſſori Gmelino, quam in tractatu de vegetabilibus venenatis Sueviae, Academiae Caeſareae oblato, recenſuit & in uſus ſuos convertit.

Eſt vero eo magis memorabilis, quo magis effectus hujus plantae venenati ſectione anatomica manifeſti redduntur; & ſi a majori ad minus valet conſequentia, quid de viribus ipſius

ipsius medicatis sentiendum sit, & quousque extendi possint, eo clarius inde eluceſcit.

Ob similitudinem effectuum tam venenatorum quam medicatorum adjungo vires conii maculati seu cicutae vulgaris, & aquaticae, aconiti, hyoscyami, stramonii, tentaturus, an possim integram cujusvis plantae virtutem ad vires simplices reducere, ut quaevis earum possit seorsim considerari, deinde quid conjunctae, quae integram plantae virtutem constituunt, valeant, sicque appareat, quomodo mortem vel salutem nonnunquam afferant, & sub quibus conditionibus?

Ex animi dejectione, deliriis, anxietatibus, convulsionibus, prostratione virium, quae esum baccarum belladonnae sequuta sunt, apparet, ipsum principium vitale, quod omnibus corporis humani systematibus praeest, invasisse, hujusque motus irritatione violenta primum perturbando, dein injecto torpore suspendendo, functiones vitae pessumdasse. Eumque effectum jam produxisse, quum venenum adhuc in ventriculo solummodo haereret, & nervos ipsius quovis modo mutaret, irritaret, demonstrat celeris horum symptomatum post esum baccarum exortus, & exempla hominum his symptomatibus ab esu baccarum jam correptorum, & dato vomitorio, ut baccae vomitu redderentur, brevi post integrae sanitati restitutorum; cujusmodi exempla refert Elias Camerarius. De opio id notissimum est, granum unicum ingestum somnum placidum conciliare, eoque vomitu rejecto, effectus opii desinere. Eodem modo agere cicutam vulgarem, aquaticam, stramonium, aconitum, hyoscyamum, docent exempla, a Prof. Gmelino in laudato tractatu collecta. Omnes hae plantae invadunt principium vitale, sed pro diversitate sexus, aetatis, consuetudinis, vitae generis, internae dispositionis & idiosyncrasiae, nunc haec, nunc illa, eaque nunc mitiora, nunc vehementiora, producunt symptomata; semper autem de qualicunque principii vitalis perturbatione testantur.

Alter effectus cum priori proxime cohaerens oritur ab expansivo, vaporoso, volatili succi principio. Succus enim v. g. cicutae recens, id quod experimentum refert P. I. Ehrhart in dissertatione de cicuta, Argentorati 1763. habita, vitro cylindraceo, vesica integra duplicata madida quam arctissime obturato servatus paucis elapsis minutis adeo vesicam distendit, ut certissima vitri inde minitetur fractura. Aperto tum vitro, odor cicutae omnia replet, & qua qua versum diffunditur. Quae expansio quum a fermentatione proficisci non possit, oriatur necesse est a volatili, vaporoso principio.

Principium id belladonnae etiam inesse quam proxime verisimile est. Quod vaporosum si in ventriculo clauso supponamus, ventriculi, intestinorum distensiones, contractiones, laesam respirationem, anxietatem &c. creabit.

Tertius effectus consistit in rarefactione & resolutione massae sanguineae, putredinis primo gradui valde affini, quo corpus putrescens intumescit, aërque liberare se tantum annititur. Unde nascitur tumor totius corporis & augmentum symptomatum, a prioribus mutationibus jam illatorum, a mutatis ventriculi nervis & affecto inde vitali principio & continuato hoc motu intestino, aër, a corporis particulis integrantibus hactenus ligatus, nunc magis liber, superat resistentiam earum particularum, extricatur, ipsarumque nexus solvitur, ut venenum fermenti ad instar sanguinem fudisse videatur, vesicas sanguine fuso, spumoso plenas excitet in tota corporis superficie, sanguis ex ore, naribus & oculis profluat spumosus, resolutus, totum corpus horrendum in modum intumescat, solida emolliantur, macerentur; imo viscera in putredinem quam maxime proclivia, quemadmodum hepar & lien & cerebrum, jam putrescant, & vis vitalis ipsa pro constitutione corporis ocyus serius exstinguatur.

Mappus refert simile triste fatum civis Rappoltivillani, qui ab assumtis duabus libris vini, succo baccarum belladonnae infucati, subito mortuus est, sphacelo totum corpus occupan-

cupante, ita, ut brevi totum nigredine fuerit corruptum, & cuticula chirurgi, sectionem legalem suscipientis, digitis adhaeserit.

Collectiones Franconicae, s. Fraenkische Sammlungen Vol. III. P. XIII. p. 44. continent similes quosdam casus tristes ex belladonna, & simul Politiae dispositionem, quo cunctis, ad cautionem, deleteriae hae baccae innotescerent. *Conf.* & Ill. Delii Prim. Lin. Chemiae forensis §. 17. Ejusdemque *Adversaria physico medica* p. 8. §. 8. ibique singularem errorem notatum, qui in Vogelii Materiam medicam irrepsit, dum de Baccis belladonnae ibi sermo est, quod tamen de solano scandente dici debuisset. Acta Academiae Parisiensis anni 1735. referunt casum, ubi quis adsumserat opii drachmam, cui tumores lividi, infantis quadrimestris caput magnitudine aequantes, brachia & femora cadaveris deturpabant, cum foetore intolerabili, centenique feles accurrebant, ac lingebant cadaver.

Vegetabilia quum nota non sint, quae putredinem actu promoveant, credas forte, belladonnae hos effectus in solida & fluida, iisdem vitalium virium motibus vitiatis deberi. Obstat vero, quo minus his motibus solis effectus descriptos tribuamus, cum a morbis nervorum diuturnis, vehementibus, istas fluidorum & solidorum degenerationes non observemus.

RELATIONES CORPORVM QVORVNDAM AD SANGVINEM HVMANVM, RATIONE VIRIVM VEL SEPTICARVM VEL ANTISEPTICARVM

per experimenta & observationes ostensae.

Ergo institui experimenta cum sanguine recenti hominis sani & succo expresso baccarum atropae belladonnae & cum succo cicutae vulgaris, & cum conchis praeparatis, quorum ecce summam!

Institui experimenta haec mense Iulii calore atmosphaerae, quo in scala Fahrenheitiana stetit mercurius inter gradum

dum 58. & 76. Sumſi vitra, quibus ad mixturas uti ſolemus, collo brevi atque anguſto, unciarum circiter ſex capacia, eaque epiſtomio chartaceo operui.

1.) Craſſamenti ſanguinis unciae circiter binae ſucci cicutae unciae dimidiae commixtae, nullam primo momento mutationem produxerunt; poſt horam dimidiam color ſucci ſuperſtantis in rubellum mutatus eſt, talisque hac die permanſit. Mixtura odorem cicutae proprium habet.

2.) Succi belladonnae drachmae duae, craſſamenti unciae uni mixtae, initio ſtatim rubello colore tinctae ſunt; poſt quatuor horas notabilem jam craſſamenti quantitatem ſolverunt, ſed ſine conſpicuis bullis: obſcure rubrum colorem nunc habet ſuccus, & odorem ſibi proprium.

3.) Succi cicutae drachma una cum ſeri ſanguinis uncia una mixta nullam produxit notabilem mutationem, praeter filorum quorundam hinc inde ſeceſſum. Odor eſt cicutae.

4.) Succi belladonnae drachma una cum ſeri uncia una mixta, eadem praebuit phaenomena, qualia cicuta.

5.) Concharum praeparatarum ſcrupulus unus craſſamenti unciae dimidiae mixtus, ubi adhaeſit pulvis, colorem coccineum produxit; ubi vero non adhaeſit, craſſamenti color fuit nigreſcens.

6.) Craſſamentum in ampla patina ſeorſim aſſervatum, prima die ad ſenſum non mutatum eſt, color ſuperne laete ruber, inferne obſcure ruber. Odor nullus.

7.) Serum in anguſto vitro ſervatum, non mutatum eſt.

8.) Succi & cicutae & belladonnae in propriis vaſis ſeorſim ſepoſiti ſunt.

Altero die ſucci cicutae & belladonnae de craſſamento plus in ſe ſuſceperunt, ut quantitas & volumen craſſamenti in fundo haerentis notabiliter minuta fuerint, & ſucci ſaturatius rubrum colorem habeant. Nullibi obſervavi putredinis ſigna,

ne

ne in reliquis quidem vaſis, nec aliam notabilem mutationem.

Tertio die ſucci & cicutae & belladonnae plus adhuc de craſſamento ſolverunt, & odorem non amplius ſibi proprium habuerunt, ſed ſubputrido mixtum; ſuccus cicutae vero plus, quam belladonnae ſuccus; obſervavi etiam in ſuperna parte craſſamenti aliquot bullas & colorem profunde rubrum & nigreſcentem.

Succi harum plantarum, cum ſanguine haud mixti, ſed ſeorſim ſepoſiti, jam aceſcere inceperunt.

Succi cicutae & belladonnae ſero affuſi habent odorem urinae putreſcentis, ſuccus autem cicutae magis, quam belladonnae ſuccus, qui adhuc de odore proprio aliquid habet.

Craſſamentum, cui conchae praeparatae additae ſunt, foetet, color niger eſt, ubi conchae ſparſae non ſunt; ſed ubi conchae, ibi adhuc color coccineus, bullae adſunt, deliqueſcere incipit.

Craſſamentum ſeorſim ſepoſitum foetet, color in ſuperficie ſuperiori profunde ruber eſt, nullae bullae, deliqueſcit.

Serum ſeorſim ſepoſitum non mutatum eſt, nondum foetet.

Quarto die ſucci cicutae & belladonnae plus diſſolverunt craſſamentum, ut profunde rubri coloris ſint. Odor utriusque eſt magis evolutus putridus. Craſſamentum ubique nigreſcens apparet; bullae nullae.

Succi ſeorſim ſepoſiti manifeſte acidi ſunt, & ille belladonnae ſitum contraxit.

Succus cicutae ſero affuſus manifeſte foetet, & turbidus fit.

In mixtura ſucci belladonnae & ſeri foetor ſubputridus cum proprio mixtus eſt.

Serum ſeorſim ſepoſitum paululum foetet, multo minus vero, quam illud, cui cicutae ſuccus mixtus eſt.

Craſſamentum cum conchis praeparatis & magis foetet, & deliqueſcit.

Id vero, quod ſeorſim & ſolum ſepoſitum eſt, magis & quidem terribiliter foetet, totum deliqueſcit, & quod adhuc ſupereſt craſſamenti, leviſſima vi ſcindi poteſt, ut cohaerentia ejus pene nulla ſit. Tota maſſa eſt nigerrima.

Quinto die ſuccus cicutae craſſamento affuſus terribilem foetorem putridum ſpargit, craſſamentum nigri coloris magis funditur.

Craſſamentum ſucco belladonnae mixtum minus foetet, tamen manifeſtum odorem putridum habet, ita tamen, ut odor plantae proprius adhuc cognoſci poſſit; bullae nullae, craſſamentum fere penitus ſolutum eſt.

Serum ſucco cicutae affuſum putridum foetorem habet, ſedimentum depoſuit mucilaginoſum, puriforme; bullae adſunt.

Mixtura belladonnae & ſeri quoque magis putridum odorem, plantae proprio adhuc mixtum, ſpargit, & turbida eſt; bullae nullae.

Serum ſeorſim ſepoſitum exſiccatum fere eſt, & vix foetet.

Craſſamentum ſeorſim ſepoſitum valde foetet, & id, quod nondum colliquefactum eſt, nigri coloris, tenacitatem acquiſivit, non adeo facile ſuperandam. (Quam mutationem exhalationi in aëre libero tribuo: expoſitum enim fuit aëri libero in patina ampla, quae charta leviter tantummodo tecta erat.)

Craſſamentum cum conchis, ſuperne exſiccatum viſum eſt, inferne vero quam maxime putret & deliqueſcit.

Sexto die aegrorum cauſſa abfui, nec mutationes hac die contingentes obſervare potui.

Septimo die mixtura cicutae ſucci & craſſamenti teterrimum foetorem putridum ſparſit: nec oleum tartari per deliquium

quium, nec ſpiritus ſulphuris bullas excitavit. Craſſamentum magis eſt colliquefactum.

Craſſamentum ſucco belladonnae commixtum, odorem putridum ſparſit, ſed odor plantae proprius nondum penitus evanuit; abs reagentibus mutatio nulla; craſſamentum fere prorſus evanuit in ſucco.

Serum ſucco cicutae affuſum valde foetet, a reagentibus non mutatur.

Serum ſucco belladonnae affuſum valde putridum olet.

Craſſamentum ſolum, quod ex parte exſiccatur, & teterrime foetet; idque cum conchis mixtum, ab affuſo ſulphuris ſpiritu non efferbuit; ſed foetor putridus utriusque ex inſtanti mutatus eſt in excrementorum odorem.

Nono die ſuccus belladonnae & craſſamento & ſero affuſus odorem putridum ſpargit, ut tamen adhuc odor belladonnae proprius diſtingui poſſit.

Succus cicutae craſſamento & ſero affuſus teterrime foetere pergit; cum oleo autem vitrioli nondum efferveſcit.

Nec craſſamentum meracum, nec id cum conchis mixtum, amplius foetent, ſed in ſolidam, firmam, reſinoſam quaſi, abiere maſſam.

Die decimo quarto ſuccus belladonnae craſſamento affuſus teterrime foetet, ut odor proprius evanuerit; craſſamentum prorſus diſparuit, & oleum vitrioli affuſum aliquas excitavit bullas & efferbuit.

Succus cicutae cum craſſamento mixtus teterrimam mephitim ſpirat, craſſamentum diſparuit; nec oleum vitrioli excitavit bullas.

Serum, cui cicutae ſuccus commixtus eſt, valde foetet, & bullas cum ſpiritu ſulphuris affuſo excitavit.

Serum ſucco belladonnae affuſum exſiccatum eſt.

Ulterius non potui deducere haec experimenta, tum ob nauſeam inde ortam, tum ob frequentiores, aegrorum cauſſa factas, peregrinationes. Fateor quoque quam lubentiſſi-

me, ea capta non esse praecisione Pringliana, quum ipsius apparatum ad manus non habuerim. Evenit inde, ut aëris, tempore experimentorum contingentes, mutationes & vicissitudines, ratione caloris, humiditatis &c. experimenti eventum nunc accelerare, nunc retardare potuerint.

Ex his autem experimentis fluunt prono alveo sequentia corollaria.

Succum belladonnae & citius colliquefacere, solvere crassamentum, atque majorem ejus quantitatem, quam cicutae succum.

Succum cicutae in certa proportione adhibitum, nec possidere vim septicam, nec antisepticam ratione crassamenti, sed crassamentum meracum, idque seorsim positum, atque id cum succo cicutae mixtum, sub iisdem conditionibus, eodem fere tempore putrescere, & odorem cicutae proprium abs putrido brevi vinci, eo fere tempore, quo succus cicutae meracus acescit.

Conchas praeparatas non plus habere sub conditionibus memoratis praerogativae in promovenda crassamenti putredine, quam cicutae succum.

Succum belladonnae crassamento mixtum eodem tempore subputridum spargere odorem, sed proprii odoris magis esse tenacem, ut octavo adhuc die perciperetur; foetorem putridum purum non nisi sero evolvi.

Serum sanguinis succo cicutae & belladonnae mixtum, statim post mixtionem fila excutere, eaque ratione plasticam ipsius indolem corrumpi; & citius putredinem capere, quam id meracum, sub iisdem conditionibus seorsim sepositum.

Succum autem cicutae ratione seri sanguinis majorem exserere vim septicam, quam succum belladonnae, qui etiam odorem proprium ad quintum usque diem servavit.

Putredinem in libero aëre & aperto procedere absque vivido fermentationis motu, absque intumescentia & strepitu, absque bullarum aërearum manifesto ortu & decrepitatione.

Serum

Serum ſanguinis putreſcere ſerius, quam ejus craſſamentum.

Mixturam ex craſſamento & belladonnae ſucco conſtantem, putridam, die decimo quarto demum efferbuiſſe cum oleo vitrioli.

Serum ſanguinis putridum, cui cicutae ſuccus mixtus fuit, eodem demum tempore cum ſulphuris ſpiritu efferbuiſſe.

Olei vitrioli pauculas affuſas guttas craſſamenti deliquefcentis putredinem cito ſiſtere, idque in maſſam ſolidam mutare, cum foetore vulgari excrementorum alvinorum.

Magnae ſucci belladonnae ad ſanguinem rationi (ſumſit enim unciam unam ſucci, in quam aliquot guttulas ſanguinis calidi ex naribus ſtillavit) tribuendum eſſe arbitror, quod Cl. OETINGER (in Diſſertatione de belladonna tanquam ſpecifico in cancro, ſub praeſidio ALBERTI Halae Magd. 1739. defenſa) octidui tempore ne minimum quidem putrefactionis ſignum obſervaverit, tempore valde calido. Major inde per fermentationem orta acidi quantitas a paucis ſanguinis guttulis putredinem avertere facile potuit: aut eodem forte, mihi quidem ignoto modo, ſucci belladonnae major quantitas ſubſtantiarum putredinis capacium putredinem impedit, quo id praeſtat ſal culinare, cujus minor quantitas, e. g. ejus grana viginti, ad carnis drachmas duas addita, putredinem promovet; major vero ipſius quantitas, e. g. drachma dimidia, eam manifeſte differt & impedit.

Colliquefactionem quandam craſſamenti pariter obſervavit Oetinger, ſed mutatum id in ſedimentum atro-fuſcum, non mucaginoſum, ſed pulverulentum quaſi.

Ut vires dictarum plantarum in corpus vivum illuſtrentur, ſufficit, hac vice didiciſſe, ſuccum cicutae in certa proportione ratione ſeri manifeſtas exſerere vires ſepticas, & ſuccum belladonnae ſeri putredini magis favere, quam obſtare, cum odor urinae putreſcentis in mixtura ex ſero & belladon-

nae ſucco conſtante apparuerit, antequam in ſero meraco, ſeorſim ſepoſito potuerit detegi; & his experimentis iſtorum ſuccorum vim ſolventem, colliquefacientem, extra omne poſitam eſſe dubium.

Eodem tempore atque ſub iisdem conditionibus periculum feci cum extracto opii aquoſo & mercurio ſublimato corroſivo.

1.) Cum craſſamenti uncia una miſcui grana duo extracti opii aqua ſoluti; ſolutio rubello colore tincta eſt: ceterum nulla facta eſt mutatio.

2.) Craſſamenti drachmis duabus mercurii ſublimati corroſivi granum unum cum dimidio aqua ſoluti addidi; poſt aliquot horas color craſſamenti ſature ruber in pallide rubrum mutatus eſt. Craſſamenti vero particulae videntur ſolidae, poroſae & ſiccae & fragiles; odor nullus.

3.) Grana duo extracti opii aquae fontanae drachma ſemis ſoluti unciae dimidiae ſeri commixta, colorem non mutarunt; odor eſt opii.

4.) Granum unum cum dimidio mercurii ſublimati aquae fontanae drachma ſemis ſoluti cum uncia una ſeri commixtum, turbidam fecit mixturam, coloris ex albo paululum flavescentis; ceterum nulla mutatio.

Altero & tertio die ſolutio opii craſſamento affuſa ſaturius rubrum colorem induit, & ſolutio mercurii ſublimati ſero affuſa ſenſim depoſuit ſedimentum ex albo flavescens. Nullibi apparent putredinis ſigna.

Quarto die in ſolutione extracti opii craſſamento commixta vix percipi potuit foetoris aliquod veſtigium, ſolutio ſaturatius rubro colore tingitur; bullae nullae.

Solutio mercurii ſublimati in craſſamento nullam amplius produxit ſenſibilem mutationem.

Serum cum opio nondum foetet, & clarum, pellucidum eſt.

Serum

Serum cum ſolutione mercurii ſublimati adhuc turbidum eſt, ſedimenti vero quantitas augetur.

Quinto die craſſamentum cum opio adhuc vix foetet, colorem habet profunde rubrum.

Craſſamentum cum mercurio ſublimato nulla ratione mutatum inveni.

Serum cum opio adhuc pellucidum eſt, odorem mutavit paululum in magis nauſeoſum.

Serum cum mercurio ſublimato clarius fit, aucta ſedimenti quantitate, & omnis odoris expers eſt.

Septimo die craſſamentum cum opio mixtum, magis colliquefactum, magis putridum, ſed nondum plane evolutum habet odorem, a ſpiritu ſulphuris nullae oriuntur bullae.

Solutio mercurii ſublimati craſſamento affuſa excolor eſt, & oleum tartari per deliquium affuſum nullam produxit mutationem, quemadmodum alias fieri ſolet praecipitatio colore aurantio, ſi oleum tartari cum ſolutione mercurii ſublimati miscetur; nec praeterea ullum in craſſamento ingratum odorem produxit; id quod alias alcalibus fixis cum ſubſtantiis animalibus mixtis proprium eſt. Mixturam ex craſſamento & mercurio ſublimato etiam poſt annum nulla ratione mutatam inveni.

Solutio mercurii ſublimati cum ſero mixta, nunc clara eſt, & multum habet ſedimentum, foetoris omnis expers. Nec ab affuſione olei tartari per deliquium ulla facta eſt mutatio, nec in hac mixtione etiam poſt annum ulla apparuit corruptionis nota.

Nono die craſſamentum cum opio ſubputridum habet odorem.

Die decimo quarto craſſamentum cum opio parum foetet, & ſerum cum opio quoque putrescere incipit.

Liquet ex his experimentis:

1.)

1.) Opium poſſidere vim antiſepticam, ut putredinem ſanguinis per aliquot dies manifeſte impediat, dein ſi incipiat, valde moderetur, infringat, ut non niſi levis oriatur foetor; dein ſolvere craſſamentum.

2.) Mercurium ſublimatum corroſivum cum recenti etiam ſanguine commixtum, quemadmodum in ſeri commixtione manifeſtiſſime apparuit, praecipitari colore ex albo paululum flavescente, prouti praecipitatur, ſi cum alcalibus volatilibus confunditur: color ille paululum flavescens olei adhaerentis effectus tantummodo eſſe videtur. Deinde ſanguinem diutiſſime incorruptum ſervare.

Annon credibile eſt, vim ipſius antiſepticam latere in acido ſalis, praecipitata calce mercuriali, ſui juris facto? Non videtur, cum per oleum tartari affuſum acidi meraci veſtigium non appareat. Nonne vero ſimilius eſt, confuſione ſanguinis & ſolutionis mercurialis alcali volatile ſanguine excuſſum, cum acido ſalis novum iniiſſe connubium, eaque ratione calcem mercurialem praecipitaſſe, & ſalem ammoniacum, cujus vis antiſeptica nota eſt, conſtituiſſe? Sane principia chemica, ex congruis experimentis & obſervationibus deducta, non niſi alcalia volatilia mercurii ſublimati ſolutionem colore albo praecipitare docent; ergo confuſione ſanguinis & ſolutionis mercurialis alcali volatile ſanguini inhaerens, liberum fuiſſe redditum, & cum acido ſalis coiviſſe, quam maxime credibile eſt.

Inquirendum ergo nunc eſt, num a novo hoc concreto, ſale ammoniaco, ſumma haec vis antiſeptica exſpectanda ſit? Acidum ſalis in mercurio ſublimato venali ſe habet ad mercurium ut 1 : 3. $\frac{1}{2}$ & ad totam ſublimati quantitatem ut 1 : 4. $\frac{1}{2}$. ſecundum experimenta Illuſtris Gaubii.

Ergo tertia pars grani acidi ſalis concentratiſſimi continetur in grano uno & dimidio ſublimati. Supponamus nunc, octodecim alcali volatilis partes requiri ad eam acidi ſalis quantitatem ſaturandam; orietur inde ſal ammoniacus pondere grano-

granorum ſex. Ponamus nunc, nihil de hoc ſale calci adhaereſcere, ſed omne ad partis animalis conſervationem impendi. Nunc ad carnis vitulinae drachmas duas, calore corporis humani ſani, ad triginta horas, nec ultra, conſervandas, requiruntur, ſecundum experimenta Pringliana, ſalis ammoniaci grana viginti.

Craſſamentum autem, utpote in putredinem adhuc magis proclive, pondere drachmarum duarum, per annum & ultra absque putredinis ulla nota conſervatum, & in poroſam, friabilem, ſiccam maſſam mutatum eſt; quocum tamen ad ſummum ſex ſalis ammoniaci grana mixta eſſe poſſunt. Ergo ſali ammoniaco, ex connubio alcali volatilis, ſanguine excuſſi, & acidi ſalis, praecipitata calce mercuriali, nato, vis haec fortiſſima antiſeptica adſcribenda non eſſe videtur.

Nec eam calci metallicae tribuendam eſſe arbitror, utpote ſanguine haud ſolubili, nec cum ipſo ne in externa quidem ſuperficie ubique contactum ſubeunti.

Ergo vis haec fortiſſima antiſeptica quaerenda eſſe videtur in ſanguinis mutatione, quam efficit ſolutio mercurii ſublimati cum ſanguine commixta. Vidimus vero, excuſſam fuiſſe calcem metallicam, quod non potuiſſet fieri, niſi ex ſanguine, quemadmodum ex urina, evolutum fuiſſet alcali volatile: Ergo mutatio ſanguinis ab affuſa mercuriali ſolutione producta conſiſtit praecipue in decompoſitione ſalis ſanguinis, in ſuas partes integrantes, acidum & alcali volatile. Id enim ammoniacalis eſſe naturae, per experimenta conſtat, & ſalis ſeri cryſtallos, oculo armato detectos, & cryſtallis ſalis ammoniaci valde ſimiles, egregie depingi curavit Ill. Delius.

Acidi autem per inſtillationem olei tartari per deliquium ſigna non ſunt detecta: forſitan ejusdem eſt cum acido ſalis nativi urinae humanae indolis, quod cum alcali fixo ſicco quidem effervescit, cum ſolutione autem aquoſa ejusdem alcali minime: prouti ex Schlosseri experimentis conſtat.

Quidquid ſit, videmus tamen ex putredinis effectu, ſub qua ſenſim ſenſimque alcali volatile evolvitur, ut temporis progreſſu manifeſte ſe per reagentia prodat; hinc acidum ſalis nativi liberum redditur; putredinem eo non ſiſti, ſed potius, quo magis alcali volatile evolvitur, eam eo magis promoveri & accelerari.

Credibile itaque potius eſt, eo, quod alcali volatile ſanguinis priſtinis ſuis vinculis excutiatur, eaque ratione ſanguis eo ſubito privetur, putredinem arceri, impediri, & ſi totum excutiatur, plane impoſſibilem fieri.

Quam alcali volatilis excuſſionem & privationem demonſtrat etiam poſt praecipitationem colore ex albo paululum flavescente, facta adfuſio olei tartari per deliquium, quod, prouti omnia alcalia fixa, corporibus putrescibilibus alias affuſum producit odorem ingratum, nauſeoſum; ad mixturam autem ex ſanguine & ſolutione mercuriali conſtantem id affuſum plane nihil ejusmodi produxit.

Idque eo magis credibile eſt, cum nullum inveniatur corpus putrescibile, PRINGLIO etiam nunc conſentiente, quin de eo oſtendi poſſit, & ſalem in ſe habere alcalinum volatilem, & oleum; & ſuppoſita putredine, neceſſe eſſe, ut ſupponatur & ſalis & olei ſimul, corporis alicujus ex his compoſiti, in ſe mutuo actio, ſalis nimirum alcalini volatilis evolutio, volatiliſatio & olei corruptio, & utriusque connubium & fugacitas; ab utroque foetor naſcitur putridus, ita, ut alcali volatile, ſpiritus fere volantis & rapacis munere fungens, oleo nauſeoſo volatilitatem, qua nares ferit; oleum contra corruptum proprie id, quod foetorem nominamus, efficiat: oleum enim per ſe putredinem non concipit, ſed rancorem, corruptionem ſpecie diverſam; alcali vero volatile meracum, evolutum jam, per ſe putredinis multo minus capax eſt, ut potius militet inter fortiora antiſeptica, quemadmodum acidum meracum, fermentationis acidae productum, hanc potius impedit,

pedit, retardat, ſiſtit, eademque ratione ſpiritus inflammabiles fermentationem ſpirituoſam cohibent.

Regeri forſitan poſſet; ergo facile componi poteſt corpus, putredinis capax; modo combinetur alcali volatile & oleum. Sed reſpondeo, nondum notam eſſe illam determinatam alcali volatilis ad oleum proportionem, quae abſolute requiritur, ut corpus ſit putrescibile; quemadmodum cantharides, utpote ingenti alcali volatilis quantitate ſcatentes, non niſi poſt longam temporis moram, dum nempe ipſorum ſuperfluum alcali volatile exhalaverit, in putredinem ruunt; ut potius recentes ob ſuperfluum alcali volatile inter antiſeptica locum habeant. Secundo reſpondeo, nos non ita ſubigere poſſe oleum cum alcali volatili puro, ſi excipias cauſticum, ut corpus inde emergat quaſi homogeneum, ut nempe cuivis particulae olei, alcali volatilis quaedam adhaereat; id quod machinae organicae proprium adhuc opus eſſe videtur. Non plane vero ideo negaverim poſſibilitatem, corpus putrescibile componendi.

Quantum vero hucusque conſtat, diſpoſitio ad putredinem non niſi corporum organicorum attributum eſſe videtur. Putredo autem ipſa alicujus corporis organici, tanquam mutatio corporis, non concipi poteſt ſine motu; qui, quum in integra maſſa non obſervetur, inter partes corporis integrantes ſit, neceſſe eſt; hunc motum inteſtinum ab aëre fixo, in corporibus putreſcibilibus haerente, nunc exitum quaerente, proficiſci; tum phaenomena ſub putredinis actu contingentia, tum ſumma hujus aëris nota activitas, manifeſtum faciunt. Aër vero ille fixus ad exitum diſponitur calore & humiditate, frigore vero & ſiccitate fortiſſime cohibetur. Liberatio autem aëris fixi ſola non videtur ſufficere, ad corpora putreſcibilia in motum inteſtinum putridum deducenda, cum ea in vacuo Boyleano, ſub quo aër fixus facile quidem exit, & evolvitur, non adeo facile putreſcant; & ſi eſſet perfectum vacuum, ſane nunquam putreſcerent: Ergo etiam re-

quiritur acceſſus aëris atmosphaerici, ut motus is inteſtinus incipiat & continuetur. Cauſſam itaque motus inteſtini pono cum Cel. BOISSIER, in actione ſimultanea aëris interni & atmosphaerici, dum prior ſe liberare tentat a ſubſtantia putredini obnoxia, alter in eam penetrare.

Requiritur ergo, quousque nimirum experimentis & obſervationibus id oſtendi poteſt, & olei & alcali volatilis certis ſub conditionibus & in certa proportione in aliquo corpore organico, ope aëris fixi intima mixtio, ut id putreſcibile ſit. Et ut putredo ipſa contingere poſſit, requiritur aër atmosphaericus, calor, humiditas; quae tanquam conditiones, ſine quibus non, conſiderari, & cauſſae putredinis accidentales ſeu extrinſecae nuncupari poſſunt.

Antiſeptica itaque ſequenti ratione in claſſes, ordines, genera & ſpecies dividi poſſunt.

Claſſis Prima continet ea, quae accidentales ſeu extrinſecas putredinis cauſſas tollunt vel minuunt. Eaque ſub ſe comprehendit

A.) Ea, quae liberum aëris atmosphaerici acceſſum avertunt, aut

α.) Aërem atmosphaericum a corpore putreſcente plane excludendo, ipſumque auferendo; prouti antlia pneumatica.

β.) Aut ſe interponendo inter aërem atmosphaericum & corpus putreſcens, ipſiusque poros ita occludendo & obſtruendo, ut aër externus non amplius per iſtos meare & remeare poſſit: quem effectum praeſtant oleoſa, mucilaginoſa, gummoſa.

B.) Ea, quae frigore corpus putreſcens contrahunt, aërisque fixi exitum ea ratione cohibent.

α.) Frigida actu, quemadmodum glacies & nix, eaque cum ſalibus mixta.

β.) Quae

β.) Quae miſcela ſua frigus producunt, quemadmodum ſalia media. Fatendum autem eſt, explicationem hanc non penitus exhaurire ſalium mediorum vim antiſepticam.

C.) Quae humiditatem corporis putreſcibilis tollunt; prouti aër ſiccus, calor ingens.

Contraria ſunt certiſſime ceteris paribus ſeptica. Notiſſima ſunt, aërem externum, humidum, calidum, putredini quam maxime favere, ipſamque accelerare & promovere.

Claſſis Secunda continet ea, quae unionem & mixtionem partium corporis putreſcibilis integrantium ita mutant, ut id vel in putredinem ideo minus pronum evadat, vel putreſcibile eſſe plane deſinat.

Quae claſſis ſub ſe comprehendit,

A.) Quae partes corporis conſtituentes arctius uniunt, fortius ligant, eaque ratione aëris fixi liberationem, evolutionem, utpote motus inteſtini auctorem, cohibent, impediunt: exempla ſunt acida, auſtera, adſtringentia, ſpirituoſa, amara, roborantia.

B.) Quae proportionem partium corporis putreſcentis eſſentialium mutant,

a.) vel augendo unius partis eſſentialis quantitatem, idque

α.) aut augendo olei quantitatem, quo in caſu corpus putreſcens a putredine vel diu praeſervatur, vel tandem plane in rancorem abit, non putreſcit. Quorſum refero olea preſſa, deſtillata, balſama nativa, camphoram, reſinas, gummi-reſinas. Vero ſimile autem eſt, quum balſamorum & oleorum fragrantium, e. g. oleorum eſſent. camphorae, aſae foetidae, adeo parva doſis magnam corporis putreſci-

bilis quantitatem tam egregie conſervet; virtutem iſtam potius fragranti iſti principio, quod in oleoſam corporis putreſcentis partem agere, eamque a rancore praeſervare videtur, tribuendam eſſe. Sic caſtoreum, animalis cujusdam pars excrementitia, ob partes ſuas odoriferas & olei eſſentialis copiam, diutiſſime incorruptum ſervatur.

β.) Aut augendo alcali volatilis quantitatem, addendo vel alcali volatile meracum, vel corpora eo liberaliter impraegnata.

Inde, uti jam dixi, accidit, ut cantharides, & viperae quoque, non niſi longum poſt tempus putrescant, dum nempe ſuperfluum iſtorum alcali volatile exhalaverit.

γ.) Aut addendo aërem fixum ex corporibus fermentantibus & efferveſcentibus, qui eo putredinem retardat, quod aër fixus ex corpore putreſcente exiens, illico ab ambeunte aëre fixo, abs peregrino corpore communicato, reſtituatur, ſicque diſſolutio partium corporis conſtituentium praecaveatur, & corpus putreſcibile in ſtatu ſuo originali conſervetur.

Acidum autem aëri illi fixo adhaerens, & a corpore fermentante vel efferveſcente abreptum, aliquam virtutis conſervatricis partem ſibi vendicare poſſe videtur.

Inceptam autem jam putredinem ea ratione corrigere videtur, quod aërem fixum, magna ex parte jam amiſſum, reſtituat, & tanquam menſtruum exhalationum putridarum, has abſorbeat, iisque corpus putreſcens liberet: quae conjectura eſt Cel. PERCIVAL.

b.) Vel diminuendo unius partis eſſentialis quantitatem, aut plane excutiendo eam. Sub quo ordine comprehenſa ſunt,

α.) Quae

α.) Quae principium oleoſum ſolvunt, extrahunt, vel ex parte ſaltim, vel ex toto, vera antiſeptica ſunt: cujus generis ſunt ſapones, ſaccharum, ſucci fructuum horaeorum ſaponacei, ſaliva. Manifeſte retardant putredinem, & jam inceptam valde moderantur.

β.) Quae ſalinum principium ſolvunt, extrahunt; quemadmodum aqua fervens, bulliens. Aqua moderate calida quidem etiam extrahit ſal, ſed valde lente: quum vero ex altera parte humiditas aquea & calor moderatus tantopere faveant putredini, haec iis adminiculis adjuta multo citius inchoat, quam ſal corporis putreſcentis ab aqua ſolvitur & extrahitur. Porro quae celerrime & quaſi actu ſubitaneo alcali volatile vinculis ſuis liberant, quemadmodum alcalia fixa, ſolutio mercurii ſublimati corroſivi, forte etiam aliorum ſalium metallicorum vel vitriolorum, inter fortiora & fortiſſima pertinent antiſeptica. Gradum fortitudinis determinat celerior & perfectior alcali volatilis expulſio.

Quae lente tantummodo alcali volatile extricant, quemadmodum faciunt teſtacea, terrae calcareae, aëris fixi liberationem, ejusque in partes corporis conſtituentes actionem ſucceſſivam, promovent, augent, eaque ratione vera fiunt ſeptica.

Medium inter haec conſtituit aqua calcis vivae.

γ.) Quae aërem fixum tam celeriter ex corpore putreſcente extrahunt, ut requiſitum non habeat tempus, in reliquas partes corporis putreſcentis conſtituentes agendi, ſicque putredinem, quae ſucceſſu demum temporis, non uno quaſi ſaltu, contingere poteſt, inchoandi. Ex hoc principio putredinem remorantur, pro parte ſaltim, vacuum Boyleanum, aqua calcis vivae, lixivium ſaponariorum.

C.) Quae

C.) Quae corporis putrefcibilis mixtionem ita mutant, ut plane alienam indolem nanciſcatur. Hujus ordinis ſunt farinacea, & omnia in fermentationem acidam prona corpora, quae cum corporibus putrefcibilibus intime mixta, initio quidem motum inteſtinum putridum non impediunt, ſed is vix inceptus brevi convertitur in fermentatorium, quo generatur acidum multo fortius, quam ea corpora pura, meraca, per ſe generaſſent.

Aſt ſi mixtionis hujus majorem partem conſtituit corpus animale; oritur inde foetor caſei corrupti & acidum debilius: prouti docent experimenta Pringliana.

Omnes eae ſubſtantiae, quae putredinem praecavent, etiam jam inceptam infringunt, moderantur, ſiſtunt, & putridum corpus corrigunt, ut adeo corpus jam putridum, cum corporibus fermentationis capacibus mixtum, fermentationem promoveat, atque ab hac corrigatur.

Liquet etiam ex his, cur adeo rara ſint vera ſeptica? quae putredinem directe promoveant; cum corpora putrefcibilia, praecipue animalia, jam eam mixtionem habeant, quae putredini quam maxime faveat, ſi conditiones externae, ſine quibus non, reſpondeant. Corpora haec, quum ipſa nunc magis nunc minus, in putredinem prona ſint, ſibi ipſis optime inſervire poſſunt tanquam ſeptica. Exhalationes putridae ipſae ſunt vera fermenta ſeptica, quae faciunt, ut corpus animale cito in putredinem ruat, eaque citiſſime abſolvatur: Inde evenit, ut corpus putrefcens in vaſe cum anguſtiori collo citius putrefcat, quam idem in lata patina aëri libero expoſitum, ſi caetera paria ſunt.

Inde noxae aëris ſtagnantis, non renovati, incluſi. Videntur autem effluvia illa putrida, quorum vehiculum aër externus eſt, ſumme activa & efficacia eſſe, ut facile corpora penetrent, laxent, & ſi inveniant quoddam ad putredinem naturaliter diſpoſitum, ut motum ipſi inteſtinum communicent,

cent, aërem fixum ad exitum disponant, liberent, eaque ratione putredinem promoveant.

Omnia porro corpora, putredinis quidem per se non capacia, putredinem corporum praedispositorum promovent, quae cohaesionem eorum laxant, aërisque fixi exitum ea ratione facilitant. Hinc aqua moderate calida putredinem bene promovet; si etiam destillata adhibeatur.

Porro etiam omnia, quae aëris fixi liberationem, & motum intestinum in corpore putrescente, per indirectum promovent, nec ex altera parte vires habent antisepticas.

Hujus ordinis sunt testacea & terrae omnes calcareae, quorum agendi modum jam supra explanavi.

Cur autem salis cibarii quantitas, quae est infra pondus gr. XXX. aquae unciis duabus soluta, putredinem citius concitet, nec aliorum salium minuta quantitas idem efficiat? rationem reddere non valeo.

Quaeratur forte ex me, cujus septicorum classis sit cicutae succus? Fateor, responsionem, quae plenarie satisfaciat, in promtu me non habere. Suspicor autem, cum ipse facile motum intestinum concipiat, & quidem citius, quam serum sanguinis meracum, eo ipso ciere, excitare, promovere materierum putrescibilium motum intestinum, eaque ratione nexum ipsarum solvi; succum vero cicutae, qui motu intestino acidum generat, nec generare ejus fortitudinis acidum, quod motum intestinum ad acidi elevationem dirigat, sed generare tantummodo valde debile; nec multum in se continere aëris fixi, quod motum intestinum putridum supprimat, vel dissolutionem partium corporis putrescentis cohibeat: quemadmodum e contrario observamus, partes animales farinaceis mixtas, primo putredinem concipere, eam vero sisti, quamprimum farinacea fermentare incipiunt, quae a putrido fermento in vehementiorem motum rapiuntur, & acidum generant longe fortius. Sagax Physicorum industria forte plura deteget hujus generis septica.

Succus belladonnae etiam ſolvit ſanguinem, aeque facile motum inteſtinum concipit per ſe, ut aceſcat, ſed ſanguini commixtus eo gradu putredinem non promovet, & proprii odoris eſt tenaciſſimus. Quae ratio? generare forſitan acidum fortius & plus aëris fixi in ſe continere, credas. Aſt aeque tranquille fermentationem acidam ſubit ac cicutae ſuccus, nec fortius inde productum acidum obſervavi. Sed tenacitas odoris majorem olei quantitatem innuere videtur, quae vim ipſius ſepticam facile reſtringere poteſt.

Et opii extracti aquoſi grana duo ad craſſamenti unciam unam addita, exſeruere manifeſtam & notabilem vim antiſepticam, & ſolverunt ſanguinem. Pringlius obſervavit, opii grana tria, aqua ſoluti reſtitiſſe melius putredini carnis drachmarum duarum, quam ſexaginta ſalis culinaris grana; aſt advertit ſimul, juſto plus aëris ſeparari & carnem mollescere magis, quam a quavis fere ſubſtantia alia antiſeptica: obſervavit itaque aliquos putredinis effectus, aëris nimirum exitum & liberationem, & carnis emollitionem; foetorem autem putridum eo tempore non obſervavit; videtur ergo opium promovere motum inteſtinum; plenariam vero putredinem manifeſte retardat; alcali volatile non evolvitur, volatile non fit, nec oleoſum principium corrumpitur, unde nullus foetor. Impeditne ergo alcali volatilis evolutionem, volatiliſationem, & olei corruptionem, an utraque firmius & intimius miſcet & ligat? Experimenta rem decernant. Forte eodem modo, quo alia odorifera & vaporoſa, putredinem avertit.

Una adhuc claſſis ſepticorum conſtitui poſſet, qua continerentur, quae in corpore putreſcibili eam mixtionem & proportionem partium eſſentialium reſtituunt, quae putredini quam maxime favet. Exempla corporum putreſcibilium ea ratione mutandorum dant cantharides, viperae, caſtoreum. Forte in plurimis locum haberet haec mutatio, ſed cum experimenta non praeluceant, in his ſubſiſto.

Trans-

Transeo nunc ad usum septicorum & antiseptcorum in morbis, de isto annotationes aliquot generales prolaturus. Ex recensione antisepticorum secundum ipsorum agendi modum nunc patere arbitror, quaenam in praxi medica, caeteris paribus, praeferenda sint reliquis: ea nimirum, quae mixtionem neque solidorum neque fluidorum in plane alienam mutant, nec principium vitale in turbas conjiciunt, sed tantummodo cohaesionem solidorum & fluidorum augent, aëris fixi copiam submini strant, & blande agunt; hinc acida, austera, amara, roborantia, adstringentia, spirituosa, inhalatio aëris fixi quovis modo administrata. Deinde sequi, quae virtute, oleosum corporis putrescentis principium conservandi & corruptum corrigendi, praedita esse videntur, quemadmodum camphora, asa foetida, balsama nativa.

Reliqua vero, quae proportionem partium corporis putrescibilis essentialium valdopere mutant, & sanguinem fundunt, & acrimonia sua rodunt, & vires vitae vehementer stimulant, vel aliis viribus corpori humano infensa sunt, interne assumta, tanquam antiseptica, nunquam optato effectu operari possunt. Exempla sint mercurius sublimatus corrosivus, alcalia fixa, sapones, alcalia volatilia &c. quae quum mixtionem sanguinis tantopere mutent, ut vitae humanae non amplius conveniat, & acres ipsorum particulae principium vitale vehementer stimulent, irritent, sanguinem fundant, & calorem plus minus mordacem producant, non in ea ratione, qua vires antisepticas exserere visa sunt, ingeri & ideo putredinis potius promotores, quam correctores evadere possunt. Novi Medicum navis mercatoriae, qui experimentis Pringlianis inductus omnes aegros, quorum magnam habuit copiam, febre putrida laborantes, copioso sale alcalino volatili tractavit, omnesque fato perdidit, ut desperabundus in proprium corpus violenta manu saevierit. Ea propter autem non dici possunt directe-septica: si enim usu calcis vivae, vel lithontriptici illius Anglicani sensim evolvitur & excutitur humori-

bus alcali volatile, ipſisque inducitur tenuitas & acrimonia alcalina, ut in urina iſtorum hominum alcali volatile manifeſte ſe prodat, non oritur putredo humorum; cum natura ſic ſenſim ſenſimque ſtimulo illi alcalino volatili aſſueſcat, nec tam violenter inde incitetur & irritetur.

Aſt eadem in praxi chirurgica adhibita maximae ſunt utilitatis, inter quae praecipue eminent ſolutiones plumbi & mercurii ſublimati corroſivi. Egregius ille Suecus Medicus, PETER BIERCHEN, numerat ſolutionem mercurialem ſaturatam inter fortiſſima antiſeptica, ipſiusque virtutes in ulceribus ſphaceloſis, e. g. in noma, maximis extollit laudibus. Aqua phagedaenica, quae ad exulcerationes externas, carnem luxuriantem & foeda in primis ulcera venerea mundificanda & conſolidanda feliciter adhibetur, in praeſcriptione, quae in recentiſſima Diſpenſatorii Wirtembergici editione exſtat, habet aquae calcis vivae uncias ſedecim & mercurii ſublimati grana viginti quatuor. Cum vero ſecundum experimenta Cel. MEYER aquae calcis vivae uncia una praecipitet mercurii ſublimati grana duo; ſecundum datam formulam omnis mercurius praecipitatur, ſicque deſtruitur; & ſi nec praecipitatum ſeparatur, nec aqua filtratur, pulvis tamen gravis, etiam ſub concuſſione vaſis continentis, fundum petit, nec ſub effuſione aquae, nec ſub ipſius applicatione aequaliter diſtribui poteſt: ergo ejusmodi aqua phagedaenica fere tantummodo tanquam ſal medium terreſtre, ex acido ſalis & terra calcarea conſtans, agit: ſi vero plus mercurii ſublimati, quam ab aqua calcis praecipitari poteſt, ſumatur; tantum mercurii fruſtra conſumitur, quantum ab aqua calcis praecipitatur: hinc & ſumtibus parceretur, & magis ex fine ageretur, ſi ſolutio mercurii ſublimati meraca, nunc magis, nunc minus ſaturata, in uſus adhiberetur.

Secundo ſubſtantiae antiſepticae quum praeterea etiam aliis, iisque diverſiſſimis viribus ſint inſtructae, ut una cum vi antiſeptica refrigerantem virtutem, altera calefacientem,

nunc

nunc reſolventem, relaxantem, nunc incraſſantem & adſtrictoriam, conjunctam habeat, idemque de antiſepticis unius ejusdemque ordinis valeat; exemplo ſint acida, ſpirituoſa, cortex peruvianus; morbi autem ex claſſe putridorum pariter diverſiſſimi ſint, & ſaepius adhuc acre ſui generis ſibi junctum habeant, & idem morbus ſecundum diverſos ſuos gradus alius ſit; & praeterea corpora aegrorum quam maxime diſcrepent, nunc ſtricta nunc laxa, nunc irritabilia nunc torpida ſint, nunc humores ſolutos, tenues, nunc viſcidos, lentos, denſos, habeant; patet clariſſime, non quaevis antiſeptica huic vel illi morbo putrido, vel cuivis ſubjecto, indiſcriminatim convenire, ſed ſemper ejusmodi eligendum eſſe, quod etiam vel ex reliquis ſuis viribus morbum debellare, putredinis cauſſam ſingularem vincere valet, vel ſaltim iis morbum nec augere nec exacerbare poteſt, & quod gradui morbi & conſtitutioni corporis privae conveniat.

Tertio pleraque antiſeptica vegetabilia ea doſi aſſumta, quae partes animales mortuas, ſi utrinque eandem proportionem obſerves, nec recentes conſervat, nec jam putridas corrigit, quum vires antiſepticas in corpore vivo adeo manifeſte exſerant; credibile eſt, in corpore vivo plane alia ratione agere, quam in parte animali mortua. E. g. ſi cortex peruvianus eo, quo id in mortuo facit, modo, in corpore humano vivo putredinem averteret, corrigeret, ſiſteret, enormis ipſius requireretur quantitas, ſi eam proportionem ad totum corpus aut ſolummodo ad humorum maſſam adhibere velimus, quam notabiliter in experimentis obſervamus eſſe antiſepticam: & quidni chamomilla aeque ſiſteret ingeſta putredinem, eamque corrigeret, ac quidem cortex peruvianus? Dubia haec occurrunt in conſideratione plerorumque antiſepticorum vegetabilium. Credamus igitur oportet, vires vegetabilium plerorumque, ut corticis peruviani, arnicae, myrrhae, reliquorum, agere non ſolummodo viribus ſuis antiſepticis, ſed ſimul, & potiſſimum roborando ſolidum vivum, ſenſile, me-

phiti putrida proſtratum, debilitatum, vires ipſius incitando, inſtaurando, ut crudum ſubigatur, ad certum gradum putreſcat, nec ultra, tum ad excernicula deferatur, & corpore excernatur, vel ad locum quendam corporis deponatur. Eo modo agere ipſas naturae vires, demonſtrant manifeſte morborum acutorum criſes. Quem vero latet hujus claſſis antiſepticorum vis roborans, nervina, reficiens? et quam momentoſa eſt in hiſce morbis indicatio vitalis! inde derivo virtutes vini generoſi egregias in morbis putridis ſub lapſu virium vitalium. Cavendum autem eſt, ne ultra, quam par eſt, vires naturae intendamus: Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum. Simili ratione naturam humanam, & forte omnem organicam vivam, etiam in ſanitate, opus digeſtionis, ſanguificationis, ſe-& excretionis perficere, & machinam a morte ſtatim putreſcentem, aëri proprioque calori, inſtrumentis ad putredinem efficaciſſimis expoſitam, per tot annos incorruptam tueri, ſanior docet Phyſiologia. Inde patet etiam, potentiſſima antiſeptica nonnunquam cum damno aegri aſſumi, dum nondum adeſt in corpore vivo ille putredinis gradus, qui requirat, ut Medicus ei omnibus viribus contranitatur, ipſam plenarie ſiſtat: Ita enim turbat Medicus opus coctionis & criſeos, tam ſalutare & neceſſarium ad bonum morborum eventum; id quod egregie ſuſtentaſſet & promoviſſet, ſi, obſervata indicatione vitali, inceptam putredinem congruorum antiſepticorum prudenti uſu moderatus eſſet, atque ne ultra invaleſcat, intra cancellos ſuos retinuiſſet.

Acida vegetabilia, ſpirituoſa, adſtringentia, camphoram, praeſertim ſi ea doſi Colliniana aſſumitur, potiſſimum meris ſuis viribus antiſepticis, putredinem in corpore vivo avertere, corrigere & ſiſtere, vero ſimile eſt.

Inter omnes vero ſubſtantias, quae in corpus humanum vivum meris viribus antiſepticis potentiſſime agunt, ſunt ſalia terreſtria, prouti nitrum, & acida mineralia, quorum parva quantitas

tas notabilem putrescentem massam corrigit, vel a putrescibili putredinem arcet, & quidem quantitas, quae justis sub cautelis in corpus vivum ingeri potest, & sine molestia & sine detrimento ferri. Ideo quoque oleum vitrioli pro circumstantiis plus minus dilutum, omnium fere Practicorum unanimi consensu, constituit medicamentum excellentissimum, in dissolutione massae sanguineae, in statu subputrido, gangraenoso. De eo autem nulla ratione dici potest agere directe in principium vitale. Exhibui semel spiritum vitrioli sat fortem cum mucilagine gummi arabici, per nycthemeri spatium ad drachmas tres, in statu humorum subputrido, gangraenoso, ut sponte gena dextra in gangraenam sit conversa, pulsus fuerit debilis, parvus, celerrimus, intermittens, inaequalis, cum virium totali prostratione, eo cum effectu, ut intra bidui spatium pulsus factus sit solidus, constans, magnus, minus celer, vires animales increverint, & in gena salutaris nata fuerit suppuratio, aegerque paucos post dies integre convaluerit, multoque melius postea se habuerit, quam ante hujus morbi invasionem. In febre illa putrida, quae ante aliquot annos per totam fere Germaniam grassabatur, eadem saepe liberali manu dedi spiritum istum, mucilagine gummi arabici mitificatum, quamprimum corruptionem humorum ex symptomatibus invalescere cognovi; nec ipsum exhibuisse unquam poenituit. Id molestiae ex ejus usu adverti, quod dentes inde ita obtusi facti fuerint, ut non nisi cum molestia, per quatuor hebdomades ad summum, masticationem ipsis absolvere potuerint.

Acida nitri & salis, licet aeque egregiam habeant vim antiseptican, a Medico tamen in usus internos vocanda non sunt, quia secundum experimenta Cel. Poerneri, acidum salis ossa animalium recentia celeriter & notabiliter solvit, ut forma ossis mutetur, nec nisi textus fibrosus remaneat; tardius & minus notabiliter ea solvit acidum nitri, forma ossium haud mutata, substantia tantummodo lamellosa & spongiosa facta;

facta; acidum autem vitrioli ea aggreditur tardiſſime & vix notabiliter.

Quarto putredo in corpore humano vivo imminens avertitur, praecavetur, jam praeſens corrigitur, imminuitur, & progreſſus ipſius ſiſtitur; ſi id, quod anſam ipſi praebet, tollitur, vel jam corruptum a ſanis ſeparatur, & quidem remediis, quae per ſe nequaquam ſunt antiſeptica. Externa ejusmodi remedia ſunt emollientia, reſolventia, cataplasmatis, fotus, balnei ſpecie applicata, quae inflammationem, obſtructionem alicujus partis discutiendo, reſolvendo, corruptionem ipſam arcent, praecavent; ſcarificationes putredini alicujus partis limites ponunt, ſuppurantia & exſtirpationes corruptum tollunt: hinc omnia, quae vitium aliquod locale, putredinem minans, quovis modo ſanant, corrupti a ſano ſeparationem promovent, progreſſum corruptionis ſiſtunt, quodam ſenſu ſunt antiſeptica, licet proprie iis viribus praedita non ſint. Interna ejusmodi ſunt omnia, quae corruptum corpore evacuant; emetica, purgantia, diaphoretica &c.

Progredior nunc ad ſepticorum uſum, cujus neceſſitas in iis morbis, qui humores viſcidos, ſpiſſos, coagulatos, concretos, vaſis impactos, pro fundamento habent, ab omnibus agnoſcitur. „*Quemadmodum enim natura humana, etiam in ſanitate, tam non aliena eſt a putredine, ut non ipſo ſuarum actionum vigore materiam ingeſtam propriosque humores ad illam concipiendam diſponat; ita nec abſimile vero videtur, eandem ſeptica quoque ſua facultate uti, cum concreta, impacta, obſtructa in puris formam convertit, ut in fluorem reducta loco moveri queant.*„ In iis jam morbis, quos natura ipſa leni ſepſi ad ſanitatem diſponit, Medicus naturae miniſter lenia ſeptica porrigit, quae agunt „*concitata putredine, nec conſummata tamen, neque penitius in craſſamentum ſanguinis partiumve firmarum texturam inducta, eoque inſuper beneficio, ut, quae indies ſubnaſcitur, putrida materies per patentiora corporis emunctoria continuo foras ejiciatur,*

ejiciatur, nec intus retenta fermenti ſeptici vice fungi queat.„ quae verba ſunt Illuſtris GAUBII.

Inter ea nunc eminet aqua marina, cujus virtutes egregias in reſerandis obſtructionibus & tumoribus glandularum a RUSSELLIO, GAUBIO, aliisque, maximis extolluntur laudibus. Ex ſupra adductis Pringlii experimentis jam eluceſcit, muriam pro vario ſalſitudinis ſuae gradu aut ſepticam exſerere, aut antiſepticam poteſtatem. Quum nunc marinae aquae libra una vix unciam ſemis ſalis cibarii contineat, patet, eam epotam quotidie ad aliquot uncias vel ad libram usque, eamque inſuper ab aquoſis corporis humoribus dilutam, neceſſario ſepticas exerturam fore vires. Idemque praeſtare aquam aequa ſalis cibarii copia ſaturatam, Gaubii obſervationes docent. Summa autem attentione in uſu hujus muriae opus eſt, ne vel nimis protrahatur, vel ipſius vis ſeptica totum corpus putreſcere faciat. Transactiones enim Philoſophicae Vol. XV. memorant, gracili & delicata corporis habitudine virginem, epota quotidie aquae marinae pinta, poſt diem decimum enormi ſanguinis fluxu per vaſa uterina, gingivas, nares, correptam, brachio dein gangraena affecto, exanthematibus rubris, lividis, per univerſum corpus eruptis, irrito quorumvis remediorum uſu exſpiraſſe, cadavere ſanguinem plane diſſolutum putridumque monſtrante. Credibile eſt, ſalem marinum vi ſeptica in humores egiſſe; emunctoriis autem occluſis, retentum putrorem tam vehementer increviſſe, ut univerſa humorum maſſa, una cum ipſo forſan ſale putrefacto, contabuerit. Ideo ſub ejus uſu in id praecipue attendendum eſt, ut emunctoria, per quae natura, quod intus putreſcere incipit, mature excernere conſuevit, aperta ſint. Qua ſub cautione uſus ejus eo magis commendandus eſt, quum toties experiamur, „*etiam in medendo tranquillam poteſtatem, repetito ſaepius actu, efficere, quod violenta nequeat, illasque materias, quas in nutritio ſucco natura non aegre ferre conſuevit amatve, facilius intromitti & altius in omnes corporis receſſus duci.*„

Eodem modo agere aethiopem vegetabilem, & Russelii obſervationes de uſu ipſius in tabe glandulari, & Ill. Delii examen chemicum docent, quo conſtat, cuncta ea ſalia in ipſo latere, quae Cel. Gaubius ex aqua marina obtinuit. Imo fontes aliquos ſoterios ſimili modo in corpus humanum vivum agere, ex ſimilitudine principiorum, quibus conſtant, cum principiis aquae marinae, ab eodem Ill. Delio detecta, & ſimilitudine effectuum, quos in corpore humano praeſtant, quam maxime vero ſimile eſt.

Deinde agunt vi ſeptica in corpus humanum vivum, tumores & obſtructiones glandularum ſolvunt, teſtacea & terrae calcareae. Ita Greg. Mensurati, referente Haenio & confirmante propriis experimentis, plurimos colli tumoribus tentatos in Styria & Carinthia, curavit remedio, ex nihili albi ʒjv. oſſium ſepiae, putaminum ovorum āā ʒij. panni ſcarlatini ʒiß. vaſe clauſo combuſtis, inque pulverem redactis, conſtante, cujus grana octodecim adultus bis de die ſumſit, ea quidem lege, ut ipſo in plenilunio purgans phlegmagogon ſumatur, & ſequentibus ſex diebus duodecim pulveres aſſumantur, dum interea loca tumida probe fricentur. Et ejusmodi tumores hoc remedio reſoluti ſunt, qui neque ſuppurantibus, neque vapori aceti, neque ſpongiae uſtae, neque mercurio ſublimato, ullo modo minuti ſunt. Qui mirandus ſane effectus non niſi eorum terreorum, pulveris iſtius partem fere dimidiam conſtituentium, virtuti ſepticae, quae experimentis Pringlianis nunc conſtat, tribuendus eſſe videtur.

Septica porro poteſtate agunt in corpus humanum vivum, quaecunque ſanguinem fundunt, ſolida laxant, flaccida reddunt, debilitant, praeprimis ſi ſimul vires vitales in turbas conjiciunt, vel iſtas incitando juſto vehementius, vel eas proſternendo; quanquam cum corpore animali mortuo certa in proportione mixta manifeſte antiſeptica ſint; quum ea proportione ad totum corpus non ingeri poſſint ſine certiſſimo mortis periculo. Acrium & ſtimulantium ejusmodi ſepticorum exem-

exempla praebent mercurialia, ranunculorum quaedam ſpecies, euphorbium, colocynthis &c. Narcoticorum autem atque ſtupefacientium ſepticorum genus ſub ſe comprehendit opium, cicutam, belladonnam, hyoſcyamum, ſtramonium, aconitum, rel.

Septica etiam poteſtate, ſaltim quoad effectum, agunt in corpus humanum vivum, quae ſolidum vivum inflammant, corrodunt, mortificant; qualia ſunt omnia cauſtica, arſenicum, mercurius ſublimatus, praecipitatus ruber, oleum vitrioli: licet ea referenda ſint ad antiſeptica fortiſſima.

Quae annotationes de ſepticis & antiſepticis tentaminis loco ſufficiant, in illuſtranda illa doctrina non omni forte utilitate deſtitutae, quum ſaltim ipſorum indolem, agendi modum, diverſitates, uſumque in morbis aliquatenus declarent.

Progredior nunc ad caſus deſcripti, qui ad hunc de ſepticis & antiſepticis commentariolum anſam mihi praebuit, ulteriorem diſcuſſionem, & penultimi ordinis ſepticorum applicationem & uſum in debellandis morbis.

Vlterior & continuata caſus deſcripti illuſtratio.

Ergo per experimenta conſtat de ſolvente, colliquefaciente virtute belladonnae, opii. Idem conſtat per Wepferi experimenta in brutis inſtituta, de cicuta vulgari, aquatica, napello; de ſtramonio & hyoſcyamo idem certiſſimum eſt per obſervationes crebrius repetitas. Excepta nunc cicuta vel belladonna quoque, de reliquis non ita dici poteſt, agere cum corporibus putreſcibilibus mixta, tanquam fermenta ſeptica, ſed ea potius putredinem arcere, retardare, differre.

Aſt cum „*ipſum vitale principium invadant, hujusque motus aut irritatione violenta perturbando aut vehementiſſime incitando, aut & injecto torpore ſuſpendendo*„ pro corporis ingeſti & individui ingerentis ratione „*functiones vitae peſſumdent*„

porro humorum maſſam, & praeprimis ſanguinis craſſamentum ſolvant, colliquefaciant, ſolida flaccidiora, molliora reddant, aëri fixo exitum parent, ſicque putredinis primum gradum jam conſtituant, & praeterea intenſum calorem excitent; non mirum eſt, cum naturae vis hac ratione oppreſſa aut perturbata, non amplius corporis ſaluti invigilare poſſit, & corrumpi incipiens corpore amandare; tot autem conditiones putredini adeo egregie faventes concurrant, nec plantae hae vel ipſarum partes unquam ea ingerantur copia, qua putredini arcendae potentes ſunt deprehenſae; non mirum eſt, inquam, quod ab his ingeſtis corpus humanum vivum adeo brevi temporis intervallo vitae continuandae reddatur impar, & tam celerrime poſtea in putredinem exquiſitam & omnibus numeris abſolutam ruat.

Vires indicatarum plantarum medicatae.

Expoſitis nunc viribus plantarum dictarum venenatis, jam aliquam habemus normam, ſecundum quam ipſas a Medicis laudatas vires medicatas metiri poſſumus. Exhibitae autem iſtae ſunt forma infuſi, ſucci expreſſi, conſervae, ſyrupi & plerumque extracti forma. Volatile vero, cum ſub coctione & inſpiſſatione ad extracti conſiſtentiam avolet, disquirendum eſt, quid privum ſibi id vendicet, haereatne vis princeps in volatili, an in fixo principio?

A ſimplici experientia initium facio. Plantae hae recentes ſpargunt odorem gravem, ingratum, viroſum, narcoticum, ut ipſas eo ſolummodo generi humano nocuiſſe, exempla non adeo rara ſint. Servavi ſuccum cicutae & belladonnae expreſſum in lagenis longo collo inſtructis & ſubere clauſis in cella ſubterranea: quum ipſas ſemel incaute aperirem, gravibus & virulentis ſuccorum effluviis ita affectus ſum, ut ex inſtanti viſus meus hebeſceret, & per totam illam diem ſine vividiſſimis doloribus lucem aſpicere non potuerim; oculis dein frequenter aqua frigida elutis, viſus ſenſim eſt reſtitutus.

tus. Pharmacopoei, extracta inde parantes, de iisdem incommodis saepius conqueruntur. Ergo & recens planta, & succus recenter expressus, & infusa, & syrupi, & conservae, utpote volatili principio, quod praecipuam vim narcoticam & nervis adeo infensam in se continere videtur, adhuc instructa, magis reformidanda sunt, quam extracta.

Nec extractorum usus, teste experientia, omni caret periculo. Effectus enim istorum in corpore humano vivo his mutationibus continentur:

1.) Resolvunt, fundunt sanguinem, sudoris & urinae satis notabile profluvium faciunt, salivationem cient, mucinarium excretionem augent, menstruorum fluxum cohibitum, si quidem caussa in spissitudine humorum lateat, restituunt, cumque justo largiorem reddunt, nauseam, vomituritiones, vomitus spontaneos, alvi notabilem laxitatem & diarrhoeam producunt, imo usu diuturno nonnunquam tussim siccam, ferinam, purulentam, imo sanguinolentam movent, & funestam humoribus acrimoniam inducendo, febris lentae & maciei auctores evadunt.

2.) Systemati vitali quam maxime infensa sunt deprehensa, ut languorem totius corporis cum summa virium prostratione exitiali inferant, nunc somnum inducant, nunc vigilias, cephalalgiam, vertiginem, sensuum internorum torporem, praecipue visum depravatum multiplicem, oculorum hebetudinem, caliginem, scintillationem, oculorum convulsiones, ebrietatis sensum, lipothymias, paralyses, deliria, appetitum ciborum nunc auctum nunc prostratum maxime, respirationem difficilem, anxietatem, reliqua producant.

Qui effectus, a Medicis peritissimis, & sine praejudicio & bene observantibus, saepe annotati, quum vitam in ipso suo fonte aggressam denotent, adeo momentosi sunt, ut mirandum sane sit, usum eorum extractorum in libris, populi instructioni dicatis, tanquam sacram in morbis quibusdam rebellibus anchoram, fuisse commendatum, quasi careret omni

periculo, & tutus eſſet etiam in manibus rudibus atque indoctis, quum tamen adeo facile noxius, imo nonnunquam venenatus evadat, niſi manu Medici & prudentis & periti adminiſtretur.

Quibus ex obſervationibus facile conſequitur, 1.) iis, qui ſanguinem tenuem, ſolutum, acrem habent, & corpus levcophlegmaticum, flaccidum, vel ulcera quoque interna; 2.) quorum natura ex uſu iſtarum plantarum vel inde paratorum extractorum, initio ſtatim turbatur, & male afficitur, plane eſſe evitanda; 3.) uſum autem diuturniorem & largiorem omnibus fere ſubjectis tandem maximo fore detrimento; 4.) in illis vero, quorum principium vitale huic ſtimulo aſſuevit, quemadmodum conſuetudinem omnia fere ſibi familiaria reddere novimus, agere continuatum iſtorum uſum aeque in humores, fundendo eos, ſolvendo, acuendo, ac in ſolida, laxando ea, eaque ratione etiam in aſſuetis procraſtinare mortem; quemadmodum contrariis quidem effectibus, abuſus ſpiritus vini, licet aſſuetis ebrietatem non amplius inducat, ſanguinem denſum, vaſa obſtruentem, & ſolida juſto duriora & conſtricta producendo, ſolidum autem vivum debilitando & enervando, mortis acceleratae auctor nominandus merito eſt.

Attamen cautus & prudens ipſorum uſus Practicis fide digniſſimis ſaepius viſus eſt ſalutaris in morbis, qui lentum, viſcidum, craſſum, vaſis impactum humorem pro fundamento habent. Haec quidem generaliter. Aſt hanc vel illam plantam in morbo ſingulari curando aliquid ſibi privum habere obſervabatur. Fatendum autem eſt, Practicorum cum his facta experimenta & obſervationes circa cujusvis plantae in dato morbi genere ſanando efficaciam non ita inter ſe convenire, ut Medicus in deſperatis fere illis morbis, in quibus tantis cum encomiis elata ſunt, tanquam ad certam ſalutis anchoram confugere poſſit. Factum inde eſt, ut alii Medici, cum ſub ipſorum uſu toties ſpe concepta exciderint, imo nocivos

civos inde effectus potius obſervaverint, ipſis omnem virtutem medicatam denegaſſent; imo iſta in venenorum claſſem relegaſſent: quemadmodum id omnibus novis inventis accidere aſſolet, ut ad coelum primo ſummis laudibus efferantur, dein ad inferos usque damnentur, donec ſerior aetas juſtum ipſis decernat pretium.

Nec adeo remota eſt ratio, cur tanta ſit circa determinatum earum plantarum uſum opinionum diserepantia. Exemplo ſint cicuta & belladonna, quae tanquam cancri ſpecifica initio divendebantur. Aſt ſi cum majori animi attentione obſervationes de cancris, medicamentis iſtis ſanatis, legimus; illico convincimur, cancros iſtos vel ſcrophulas fuiſſe, vel tumores venereos, vel atrabilarios, ex tenaci, craſſo, mucoſo, vel piceo ſanguine ortos, vel ejusmodi ulcera. Cancri genuini hiſtoriam, qualem Cel. ille Suecus Medicus, BIERCHEN, nobis exhibuit, vel etiam fungoſi, medicamentis iſtis ſanati, in ſcriptis illis nullibi reperimus. Nec mirum, quum genuinus ſcirrhus, ex quo verus cancer labente tempore naſcitur, ſit tantummodo vitium topicum; & quam diu materia illa impacta non corrumpitur, in motum non deducitur, nec virus aliis partibus communicatur, cum ſanitate reliqui corporis illibata conſiſtere poteſt per aliquot luſtra: quam primum autem ea eveniunt, vel vitio circa ſex res non naturales commiſſo, vel aſſumtis medicamentis ſolventibus, irritantibus; illico tota mutatur ſcena, & dirus cancer cum crudelibus ſuis comitibus prodit: inde genuinus ſcirrhus merito appellatur: noli me tangere; & cum angue ſub herba latente comparatur. Ergo genuinus ſcirrhus & cancer, vel tantummodo ſibi relinquenda ſunt, & putredini atque acrimoniae omnia rodenti aliquo modo reſiſtendum; vel, ſi vicinae glandulae aut etiam ipſe ſanguis, viru cancroſo nondum infecta ſunt, ferro aut pulvere illo Anglicano, exſtirpanda penitus.

Aſt

Aſt omnes ſane practicorum, qui ſine praejudicio aeque ac ſine invidia uſum earum plantarum tentarunt, obſervationes de cicutae & belladonnae uſu in iis concurrunt, quod ſcrophulae & conſtitutio ſanguinis ſcrophuloſa, venerea, tumores & ulcera inde orta, aliae ſanguinis vel lymphae ſtaſes, obſtructiones, rheumaticae, arthriticae, ex uſu earum vel potius inde paratorum extractorum, feliciter ceſſerint. Obſervationes plurimae etiam confirmant ſalutarem uſum hyoſcyami, ſtramonii, aconiti, ut prima planta in tuſſi ex tuberculis pulmonum ſanguineis & phthiſi inde nata, ob inſigniores vires narcoticas, altera in morbis melancholicis, maniacis, ex ſanguine atrabilario, inſimi ventris viſcera obſtruente, ob inſigniores vires ſolventes; tertia in rheumatismo chronico & arthritide, praecipue in corporibus ſtrictis cum humoribus viſcidis, craſſis, tenacibus, ob vires eximias diaphoreticas, ut etiam canes ex WEPFERI experimento inde ſudaverint, ſingularem laudem ſibi acquiſiverint: ea autem non ita intellecta eſſe vellem, quaſi ſingulae plantae adeo privam in indicato morbi genere ſanando virtute gaudeant, ut a reliquis in eo morbo efficacia plane nulla ſit exſpectanda, quum obſervationes doceant, omnes jam indiſcriminatim fuiſſe cum fructu adhibitas in ſingulis iſtis morbis. Cur autem non ſemper juvent? ratio potiſſimum ſita eſſe videtur in diverſis indicatorum morborum ſpeciebus, imo eorum quoque gradibus, nondum ſatis adhuc cognitis, nec per ſigna ſua diſtinctis atque determinatis: deinde quia, ſi morbus eſt refractarius, uſus iſtarum ſine detrimento non diu continuari poteſt: & limitatio virtutis quodnam medicamentum non ſtringit?

Ergo indicatione juſte formata, & corporis conſtitutione bene penſitata, ſub cautelis ſupra traditis, a minima incipiendo doſi ſecure in uſum vocari poſſunt praedictae plantae.

Adjungo adhuc aliquot obſervationes ex propria praxi depromptas; quae, quum & alia medicamenta ſimul in uſum vocaverim, iſtorum medicamentorum pretium non ita quidem

dem ſimpliciter conſtituunt, tamen docent, bonam curationis partem ipſis eſſe tribuendam.

Extracto cicutae ſaepius uſus ſum in glandulis obſtructis, induratis, ſcrophuloſis, ſaepius cum optimo ſucceſſu, nonnunquam fruſtra; & quamprimum appetitum proſtratum, vel languorem eo inductum, vel alias nervorum affectiones, obſervavi, medicamento abſtinui.

Bina exempla proferam, unum de interno ejus maxime uſu, alterum de externo.

Ante aliquot annos Chirurgus quidam ad me duxit mulierem, quadraginta circiter annorum, ex infima plebe, aliquot, quos ipſa lactavit, liberorum matrem, quae ante ſex circiter menſes, eo tempore non lactans, horrore concuſſa, mammam ſiniſtram aequaliter intumeſcere ſenſit, ſpatio duodecim dierum excreſcente dein illa in notabilem, lapidis inſtar durum, muſculis pectoris accretum, ubique aequabilem, cuti concolorem, indolentem tumorem, inque eo ſtatu ad id, quo me conſuluit, tempus, permanentem, ſi excipias, quod ab aliquot retro hebdomadibus dolores pungentes, ſed raro recurrentes, in mamma affecta perceperit: ceterum nulla malignitatis nota apparebat, & mulier de aliis incommodis non conquerebatur; mamma dextra vacua, collapſa fuit; qualis ſemper fuit mammarum naturalis ſtatus, ut ideo ſemper lactatio fuerit difficilis. Praeſcripſi ipſi interne extractum cicutae, per diem ad ſcrupulum unum, cum ſaponis veneti ſcrupulis duobus, quae mixta invicem, in pilularem formam redacta, & partitis vicibus exhibita fuerunt: externe praeſcripſi emplaſtri cicutae & ſaponis veneti aequalem portionem, ut mammae aegrae imponeretur. Tantam praeſcripſi portionem, quae ad uſum per quatuordecim dies ſufficeret: his abſolutis, rediit, monſtravitque mihi mammam laevam dextrae ita ſimillimam, ut, quae fuerit olim affecta, niſi id in diario meo notaſſem, ex aſpectu divinare non potuiſſem, nec, quemadmodum mihi retulit, ullum ex uſu percepit incommodum.

Alter memorabilis casus hic est: Mulieri plebejae quadraginta & aliquot annorum, de viru venereo olim jam suscepto valde suspectae, per aliquot jam annos cephalaea pertinacissima, vehementissima, ut prae dolore nonnunquam lipothymica humi procumberet, affectae, a dimidio anno ichor foetidissimus naribus stillavit; &, quum me consuleret, apportavit mihi ramenta ossea, aspera, spongiosa, quae cum ichore, dum semel sternutabat, naribus expulsa sunt. Oculis prae horrendo foetore nares inspicere fere non potui; vidi tamen, membranam Schneiderianam pallide-rubrum habere colorem, & in superiori narium parte, lardosum. Examinavi nares specillo, & deprehendi versus sinus sphoenoidales os nudum, asperum. Praescripsi ipsi liquorem mercurialem Swietenii, ut mane & vesperi cochleare unum cum saturato bardanae decocto sumeret; & naribus cicutae infusum saepius de die injici curavi. Methodo ea id profecit, ut post tres septimanas, cum ad me rediret, cephalaea jam plane desierit, foetor evanuerit, membranae narium color naturalis redierit, & os nudum papillis carnosis renatis jam fuerit tectum.

Cum aconiti extracto in aegris arthritide vaga & fixa, rheumatismis inveteratis laborantibus, saepius feci periculum, & quidem semper cum magno dolorum & molestiarum levamine, etiam in arthritidis calcareae, nodosae, tanto gradu, ut corpus integrum inflexibile, capite ad genua verso, genubus flexis & sursum tractis, globi in modum fuerit convolutum. Ast diuturniorem istius usum magnae virium prostrationis causam evadere, dolens observavi. Ideo conjunxi extracti aconiti usum cum infuso florum arnicae & herbarum amararum, eaque methodo id effeci, praecipue in rheumatismis chronicis, ut & eo citius optatam attigerim finem, & noxium illum aconiti effectum sustulerim.

In diario reperio casum de virgine, quadraginta fere annorum, bene quidem & regulariter menstruante, sed a decem annis in partibus mollibus, quae lumbos, pelvim, pedes tegunt,

tegunt, toties doloribus rheumaticis affecta, ut administrationi rei domesticae, quacum victum sibi quaerit, brevi non amplius par fuisset. Praescripsi extracti aconiti & sulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis & sacchari canarienſis, tantum, ut mane & vesperi, singula vice, partem tertiam grani extracti & granum dimidium sulphuris sumeret, & libram unam infusi ex florum arnicae & herbae centaurii minoris ana drachma una, spatio aliquot horarum, in lecto superbiberet: a primis quidem dosibus aucti sunt dolores, sed aucta post perspiratione, sensim ita minuti sunt, ut tandem post octiduum plane siluerint; continuatis postea medicamentis adhuc per octiduum ita convaluit, ut etiam nunc, dum haec scribo, elapsis jam aliquot annis, ab omnibus iis doloribus & molestiis libera & saniſſima vivat adhucdum.

Quae sufficiant ad confirmandum, quod tot Medici experimentis suis & observationibus probarunt, usum dictarum plantarum cautum, prudentem & legitime indicatum, quam maxime salutarem esse; easque omnibus gaudere boni medicamenti, quas Celsus postulat, notis, quum cito, tuto & jucunde curationem absolvant, ideoque etiam egregiorum medicamentorum titulum jure mereri.

Scripta allegata.

Dissertations sur les Antiseptiques, qui ont concouru pour le prix proposé par l'Academie de Dijon en 1767. Comm. Lipſ. Vol. XVII. p. 594.

Problema ab Academia Divionensi propositum. Comm. Lipſ. Vol. XIII. p. 163.

Memoires de l'Academie de Paris. 1735.

Bierchens Abhandlung von den wahren Kennzeichen der Krebs-Schaeden. Goett. 1775.

Büchner Diſſ. qua propoſita a Cl. Mackbride putredinis theoria examini ſubjicitur. Halae Magd. 1768.

Delius Experimenta nonnulla microſcopico-chemica circa ſal ſeri Erl. 1766.

Prim. Lin. Chem. Forens. Erl. 1771.
Diſſ. de aethiope vegetabili. Erl. 1774.
Adverſaria phyſ. med. Erl. 1775.
Fraenckiſche Sammlungen. Nürnb. 1757.

Gaubii Inſtitutiones Pathologiae Medicinalis. Lipſ. 1759.
Adverſaria. Leidae. 1771.

Haen ratio medendi. Editio Batava.

Mappi Hiſtoria plantarum Alſatiae.

Meyer Verſuche über den ungelöſchten Kalch.

Oetinger de Belladonna tanquam ſpecifico in cancro, Diſſ. ſub praeſidio Alberti. Halae Magdeb. 1739.

Piccardt Diſſ. de venenis & antidotis. Leidae. 1764.

Eſſays medical and experimental. Vol. II. By Thomas Percival.

Murray *Mediciniſche Bibliotheck.* I. *Band*, p. 75.

Poerner Ueberſetzung der Abhandlung des Baumé vom Thon.

Pringles Beobachtungen über die Krankheiten der Armee. von Brande. Altenburg. 1772.

Schloſſer de ſale urinae humanae nativo. Harl. 1760.

Spielmann Diſſ. de vegetabilibus venenatis Alſatiae. Argent. 1766.

Erlanga Onoldum
miſſa d. 9. Octobris 1776.

DIS-

DISQVISITIO CHIMICA DE SILICE

ACADEMIAE CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM ACTIS DESTINATA

A

IOANNE CHRISTIANO WIEGLEB

PHARMACOPOEO LONGOSALISSENSI ACAD. ELECT. MOGUNTINAE SCIENTIAR. UTILIUM SODALI.

§. 1. Nullum reperitur ſine dubio corpus, quamvis vile, nulliusque fere aeſtimationis, quin attentionem phyſici ad ſe vertere & indagationem indolis ſuae naturalis mereatur. Veritas haec tam liquida eſt, ut eam ulterius confirmare eſſet ſupervacuum, cum quotidiana experientia nobis maxime luculenta ante oculos ponat documenta.

§. 2. Praeſens noſtrum ſeculum in eo maxime prae omnibus antecedentibus emicat, quod ſtudia creverint praeprimis in variis terrarum & lapidum ſpeciebus, accuratiori negotio perquirendis, ad eorum genuinam naturam cognoſcendam. Uſus ex hac notitia non ſolum redundat ad opera ruralia, ſed etiam ad varia opificia & artes, & major, quam primo intuitu videri poſſit; qui tamen uſus nunquam conſequitur, niſi ſingulorum corporum exacta cognitio acceſſerit.

§. 3. Praetereo omnia, quae jam jam in hunc finem a diverſis celeberrimi nominis Phyſicis facta ſint, & ſubjicio modo in praeſentiarum naturam *Silicis* accuratiori indagini, quippe nondum eo perventum eſt, ut illa ita ſit eruta, ut omni dubio vacaret.

§. 4. *Henkelius* Cel. primus forſan fuit, qui illum ſua attentione dignaretur, & ejus ulteriorem cognitionem optaret; verum pauca probabilia, quae ſatisfacerent, reliquit phyſicus ſui temporis ille magnus, & ſilex tanquam aenigma in obſcuro latebat. *)

§. 5. Diu poſt Cl. *Poerner* omnium primus inauditam opinionem de ſilice proponebat obſervationibus fultam, nempe ejusmodi ſubſtantiam, quae ope acidi vitriolici ex argilla extrahi poſſet, pro terra ſilicea eſſe habendam; & propriam terram ſiliceam ſimilem eſſe terrae ex alumine eductae, hancque ex argilla pronatam terram huic ſimilitudine conjungi, & ſic pro una eademque terra aeſtimandam. Adducit ſequens experi-

*) *Henkels kleine mineralog. und chymiſche Schriften, S.* 340.

perimentum: se ex purissima & subtilissima terra silicea, creta & alcali fixo, accepisse massam, quae sub dio posita aliquamdiu humida & unguinosa facta esset, in multis quoque phaenomenis cum argilla conveniisset; & ubi acidum vitrioli infudisset, quidquam aluminosi inde prodiisse. *) In alio quoque loco Meminit: quando infundebatur bonum acetum in liquorem silicum, aut etiam aliud acidum, praecipitari terram; si illa bene edulcoraretur & acidum vitrioli affunderetur, verum inde enasci alumen. Exinde quaestionem movet: annon terra aluminosa, silicea esse videatur, aut annon illa haec sit maxima ex parte?**)

§. 6. In subsequente anno, nempe 1770. in lucem prodibat in Gallia tractatus Cl. *Baumé* de argilla sub hoc nomine: Memoire sur les Argilles ou recherches & experiences chymiques & physiques sur la nature des terres les plus propres a l'agriculture, & sur les moyens de fertiliser celles, qui sont steriles, par M. *Baumé*. A Paris 8. qui brevi post a Cl. *Poernero* in nostram linguam vertebatur, & cum animadversionibus illustrabatur, sub titulo: *Poerners Anmerkungen über Herrn Baumé Abhandlung vom Thon. Leipzig.* 1771.

§. 7. Memorabile erat, quod in tractatu chemici celeberrimi gallici eadem observatio descripta reperiebatur, quod e terra silicea acido vitriolico juncta alumen progigneretur, unde concluserit, terram aluminosam nihil aliud esse, quam subtilem & maxime dispersam terram siliceam. Ambo hi chemici sic unam eandemque fovebant sententiam uno tempore maxime dissitis locis; & mirabilis eorum consensus non poterat non omnem excitare attentionem, cum multum distaret ab aliorum notionibus, quae hucusque inter chemicos invaluerant; praecipue, cum hac occasione Cl. *Poerner*, id quod experimentis viderat, in allegatis notis ulterius confirmaret, asse-

*) *Allgemeine Begriffe der Chymie, aus dem französischen übersetzt. Leipzig*, 1769. *Th.* 1. S. 15. 16. 460. *Anmerk.*

**) *Ibid. S.* 369. *A.*

aſſerens: praecipitatam terram ſiliceam ſub humida & pulpoſa forma cito ſolvi in diluto acido vitriolico, & verum alumen componi.

§. 8. Quantum equidem ſcio, hanc ſententiam amplectebatur poſtea Cl. *Cartheuſer*, experimenta ad incudem denuo revocans. *) Eligebat ad captanda experimenta, loco ſilicis vulgaris, cryſtallum montanam, quam calcinatam terebat in pulverem, de qua tunc partem unam quaternis partibus ex ſiccati ſalis tartari in igne liqueſcere ſinebat. Maſſam liquefactam deinde ſolvi curabat in calida aqua & percolari; unde praecipitabat terram ſiliceam acido vitriolico, quam ſegregata humiditate ſalina, aqua probe edulcorabat. His factis infundebat parvae terrae edulcoratae adhuc humidae, mollis & pulpoſae portioni ſufficientem quantitatem ſpiritus vitrioli. Sic una pars praecipitatae terrae brevi tempore ſine ebullitione ſolvebatur; altera pars vero, quae oculorum judicio tanta fere erat, quanta ſoluta, remanebat inſoluta, licet vitrum per nonnullos dies in calore poſitum eſſet.

§. 9. Simili modo acidum nitroſum aqua dilutum ſolverat partem mollis & humidae terrae, quanquam miſtio incaluerat usque ad ebullitionem.

§. 10. Ex reliqua praecipitata, exſiccata & in tenuem pulverem redacta terra ſilicea, pars modo una ſpiritu vitrioli per coctionem ſoluta erat; reliqua pars vero ſolutionem non experta fuerat.

§. 11. Ad rationem exacte determinandam, quantum proprie hoc modo ſolveretur, & quantum ſolutioni reluctaretur, experimentum inſtituebatur cum duabus drachmis praecipitatae, ſiccae & in tenuem pulverem redactae terrae, una cum dimidia uncia ſpiritus vitrioli: inde hoc efficiebatur, ut non plus quam duo ſcrupuli & quatuordecim grana ſolverentur, & ſic ferme dimidia pars ad hoc experimentum ſumtae terrae

*) S. *Mineralogiſche Abhandlungen. Zvveyter Theil. Gieſsen* 1773. *S.* 225. *f.*

terrae inſoluta remaneret; tres ſcrupuli vero & ſex grana ex his duabus drachmis erant ſoluta. Solutio filtrata, peracta evaporatione, dedit veras cryſtallos aluminis ſimulque ſalem ſeleniticum capillarem.

§. 12. Ejusdem generis productum e mere calcinatis & pulveriſatis cryſtallis montanis, quas ante neque fudiſſet ſale alcalino, neque inde rurſus praecipitaſſet, ſe accepiſſe aſſeverat Cl. *Cartheuſer*, hoc tantummodo diſcrimine, quod de quatuor drachmis cryſtalli montanae duo ſcrupuli modo ſpiritu vitrioli ſolvi potuerint. Solutionem vero verum alumen & ſalem ſeleniticum largitam eſſe.*)

§. 13. His ductus experimentis concludit nunc Cl. *Cartheuſer*: cryſtallum montanam non mere conſtare ex terra vitreſcente aut ſilicea, ſed adjunctam ſibi habere terram aluminoſam. Ineſſe quidem hac ratione terram aluminoſam compoſitioni cryſtalli montanae tanquam partem conſtitutivam, eſſe vero diverſam a terra ſilicea, quae maximam partem cryſtalli montanae efficeret, ideoque pro ſingulari terra eſſe habendam.

§. 14. Haec veritas vix innotuerat, cum jam in lucem prodiiſſet tractatus I. C. F. *Meyeri* de ſolutione terrae ſiliceae in diverſis acidis**), in quo ille denuo perſuadere vult, ſe nullo modo e terra ſilicea alumen potuiſſe elicere.

§. 15. Hae contradictiones me movebant, ut animum inducerem meum, inquirere in veritatem, & videre, quis illorum exacte labores ſuos inſtituerit. Ea mente commiſcebam unciam unam pulveris tenuis ſilicis calcinati cum quatuor unciis ſalis tartari, & in crucibulo, uti decet, ſinebam fluere, usque dum tota ebullitio ceſſaret. Maſſa fuſa inter effuſionem colorem diaphanum prae ſe ferebat, qui poſt refrigerationem

*) *Ibid.* S. 233-238.

**) *Beſchäftigungen der Berlin. Geſellſch. naturforſchender Freunde. Erſter Band. Berlin.* 1775. 10te *Abhandl.*

tionem diſparebat, manente modo colore opalino. Pondus erat trium unciarum cum ſemiſſe.

§. 16. His peractis, recentem mixturam praedictorum ſimili pondere, ut antea, in uſurpatum illud crucibulum injiciebam, quoniam adhuc integrum erat, & ſinebam iterum hanc, usque ad finitam ebullitionem, & ultra quadrantem horae ſolvi. Potuit forſan fieri, ut in hac operatione parum carbonum pulveris in tigillum inciderit; nam cum in lamellam effudiſſem, ſal de colore erat ſuccineo. Pondere erat quatuor unciarum.

§. 17. Ultimo hoc experimento, ad contrarium evincendum inſtituto, animus erat clare demonſtrare, quod in fuſione ejusmodi mixturae non exigua pars fluentis materiae, adeoque pars ſilicis ipſius in tigillum ſeſe inſinuaret, & quod reſpicere debeamus in computatione ad hanc jacturam. Tali modo in ipſo labore recens tigillum effecerat, ut perderem per primam fuſionem unciam ſemis maſſae plus (§. 15), quam in ſecunda fuſione, in qua crucibulum nihil amplius materiae imbibere potuerat (§. 16), licet quidquam adhuc in ſe recepiſſe videatur.

§. 18. Utrumque ſal (§. 15. 16) ſolvebam aqua deſtillata frigida in diverſis vitris. Ambo diffluebant in totum, & inducebant aquae colorem vino perſimilem. De ſale ſuccinei coloris (§. 16.) ſecedebat corpus phlogiſticum forma pulveris atri, qui poſt exſiccationem ipſum granum minime aequabat. Quo facto utraeque ſolutiones ſibi ſimiles evadebant.

§. 19. Nunc addebam ſufficientem quantitatem aquae deſtillatae ad diluendam ſolutionem ſalis §. 15. deſcripti, & praecipitabam eam mediante acido vitriolico diluto, ſeparabamque terram per filtrum, quae erat formae gelatinae, & toties infundebam aquam ferventem deſtillatam, quousque omnis acredo in totum evaneſceret; inde reponebam hanc per aliquot

quot dies in filtro bene tecto, dum maxima pars humiditatis evaporaret.

§. 20. Tum vero adhuc pultiformis erat, immiſcebam ſufficientem quantitatem ſpiritus vitrioli in cucurbita, concutiens vitrum fortiter, quo terra eo facilius diſſiparetur. Hoc agens animadvertebam clare, initium ſolutionis fieri; multum vero aberat, quin omnis terra in ſolutionem abiiſſet. Tota quidem mixtio diaphana videbatur, uti ipſa terra ſilicea praecipitata per ſe eſt; aſt per moram ad fundum terra ſilicea, quantacunque erat, inclinabat, indubitato documento, omnem fere mixtionem in ſtatu indiſſoluto permanſiſſe. Mandabam poſt haec vitrum forti digeſtioni, usque ad ebullitionem, ſub qua etiam non contemnenda pars humiditatis per vaporem abibat. Nihilo ſecius tamen videbatur totum volumen terrae, quoad maximam partem indiſſolutum relictum eſſe. Aliquot dies poſt totam mixturam majori quantitate aquae deſtillatae liquidiorem efficiebam, & ſic committebam magma filtro, quo omnis humiditas inde ſecerneretur. Ex poſt per aliquot vices addebam aquam calidam deſtillatam terrae in filtro relictae, usque dum ne quid ſaporis acris relinqueretur.

§. 21. Omnem ſic perfiltratam humiditatem in cucurbita pedetentim evaporare ſinebam, quo tandem eam in vas murrhinum infundere poſſem; tunc ad formam oleoſam redactam cryſtalliſationi ſubjiciebam: aliquot vero praeteribant hebdomades vix emergente cryſtallo.

§. 22. Quoniam terra praecipitata ſilicea ſecedit valde ſubtilis, & magnum volumen efformat, neceſſitate cogebar, magnam quantitatem ſpiritus vitrioli ſuperaddere; inde fit, ut extractio illius terrae communiter multum ſuperflui acidi vitriolici ſecum habeat. Abundantiam ejus conſiderabam jam tanquam impedimentum, quo minus in cryſtallos ſe efformare poſſet. Quod ut felicius ſuccederet, diluebam ſolutionem ſalino-oleoſam juſta quantitate aquae deſtillatae, & injiciebam ſal alcali ſolutum usque ad ſaturationis punctum.

Inſequebatur praecipitatio, & accipiebam ex hoc labore, praegreſſa edulcoratione & exſiccatione, drachmam unam & viginti ſex grana terrae albae, quam ad ulteriorem indagationem reponebam.

§. 23. In filtro relictam terram inſolutam (§. 20.) rite exſiccari curabam, ubi adhuc aliquot grana ſuper unciam unam ponderabat. Hoc ex pondere ſuſpicabar, tenaciter retinuiſſe partem aliquam humiditatis, licet in duritiem lapideam abiiſſet; tum tigillo immittebam ad lenem excandeſcentiam; hac peracta & frigefacta non plus ponderis habebat, quam drachmas ſex cum 20. granis.

§. 24. Ut viderem, an amplius aliquid ex hac terra extrahi poſſet, accipiebam drachmas duas (§. 23.) iſtius terrae ſubtiliſſime tritae, cui affundebam ſemiunciam olei vitrioli, per unciam unam aquae deſtillatae dilutam, omnemque humiditatem ad ſiccitatem usque in catino igni expoſito evaporare ſinebam. Tunc omnem ſalſedinem affuſa aqua ebulliente ſejunctam & filtratam miſcebam cum alcali ſoluto. Sub hoc actu non plus terrae quam vix unicum granum ſe praecipitabat. Quod erat indicio, ſub prima operatione terram ſiliceam perfecte extractam eſſe. Terra reſidua poſt edulcorationem & exactam exſiccationem ponderabat drachmam unam & 56. grana. Reliqua grana, quae deficerent, ſine dubio in labore perierunt.

§. 25. His peractis inſtituebam experimentum inverſum cum terra praecipitata ex illo ſale ſiliceo §. 16. deſcripto: evaporando redigebam illam praegreſſa edulcoratione in pultiformem conſiſtentiam, & adjungebam libras duas ſpiritus vitrioli fortis, ſupponens vitrum per unum diem digeſtione. Tunc die inſequenti omnem humiditatem ferme ad ſiccitatem usque evaporabam. Terram reſiduam ſemipellucidam immergebam poſthac ferventi aquae usque dum omnem acrimoniam depoſuiſſet. Haec terra probe edulcorata per filtrum ſeparata, & per ſe, quam fieri potuit, optime exſiccata adhuc ſesqui unciam

ciam ponderis reddebat. Poſt excandeſcentiam vero pondus ad ſex drachmas cum ſemiſſe decreverat.

§. 26. Nullo modo fieri potuit, ut ex omni filtrata & evaporata humiditate cryſtalli aluminis prodirent, & ex hac (§. 25.) & ab illa (§. 21). Neceſſitate inde iterum adducebar, ut totum magma aqua deſtillata diluerem & ſolutione addita ſalis alcali praecipitarem. Praecipitatum inde ortum bene edulcoratum atque exſiccatum pondere aequabat drachmam unam & ſemiſſem.

§. 27. Nunc progrediebar ad inquiſitionem terrae acido vitriolico e terra ſilicea extractae. Conjiciens in unum omne quod aderat (§. 22. & 26.), atterebam in mortario vitreo, adjecta ſufficiente aquae portione, ad conſiſtentiam pultiformem; recuperabat prope priſtinam formam ſemipellucidam, qua ante exſiccationem gaudebat, & magis magisque ita intumeſcebat, ut e re eſſe mihi videretur, diverſis vicibus aliquid aquae deſtillatae denuo addere ad ſervandam debitam mollitiem. Inſtillatis tribus unciis ſpiritus vitrioli terrae ſubtiliter tritae, reponebam vitrum per aliquot dies in calorem. Nulla quidem ibi apparebat efferveſcentia, bullulae tamen exſilientes prodebant ſolutionis alicujus actum ſubeſſe. Evaporabam poſtea in vitro diverſis vicibus omnem humiditatem ad pultiformem conſiſtentiam terrae, jacturam reſarciendo additione repetita aquae deſtillatae. Ubi tamen animadvertebam non omnem terram, ſed modo ejus, ut opinor, unam partem ſolutum iri. Trajecto omni humore per filtrum, & adjecta pedetentim tanta aquae deſtillatae quantitate ſuper terram reſiduam, quanta edulcorationi ſufficeret; confundebam liquores ſalinos. Terra ſic inſoluta reſtans poſt exſiccationem adhuc ponderis habebat drachmam unam cum granis viginti.

§. 28. Claram & filtratam omnem humiditatem ad evaporationem lentam in hypocauſto reponebam, &, quamprimum tempus cryſtallifationis adeſſe opinarer, effundebam hanc in parvam vitream planam concham, remotam ab fornace com-

mittebam leni calori hypocauſti ad lentam evaporationem. Poſt aliquot dies tunc in medio vitri fundo faſciculus pellucidarum cryſtallorum tenuium oblongarum comparebat, forte 6-8. grana ponderantium, & quas accuratiori exploratione ſubjectas nihil eſſe vidi, niſi veras cryſtallos ſeleniticas.

§. 29. Poſtridie tandem verum pellucidum alumen magnis cryſtallis ſub forma conſueta conſurgebat, unde drachmam unam & duos ſcrupulos eximere licebat. Poſtquam has cryſtallos aliquamdiu inter chartam emporeticam repoſitas condideram, quo omnis heterogenea acris humiditas adhaerens ſegregaretur, hunc ſalem quoad & formam externam, & ſaporem reliquasque virtutes verum alumen eſſe deprehendebam. Reliqua humiditas erat adhuc ſapore aluminoſo, quae vero, quoniam aciditate abundaret, in cryſtallos regulares abire nunc recuſabat.

§. 30. Quibus peractis terram explorabam reſtantem (§. 27), in qua mirabar, ſolutioni in acido vitriolico reluctari, cum tamen antea eodem acido extrahi potuerit. Iudicatu nunc erat facile, naturae terram eſſe ſeleniticae; ut vero certior fierem, ſequens inſtituebam experimentum: miſcebam hanc cum duobus ſcrupulis ſalis tartari, ſinebamque in tigillo per dimidium horae candefieri. Poſthaec tritae huic quam ſubtiliſſime mixturae omnem auferebam ſalſedinem affuſa aqua fervente. Qua filtrata & evaporata exſurgebant cryſtalli tartari vitriolati; reliquum erat lixivii parum alcalici. Terram vero in filtro relictam, prius edulcoratam, ſolvebat acidum nitri, remanentibus modo XVI. granis. Id quod me magis convincebat, terram vere fuiſſe naturae ſeleniticae. Illa vero, quae ſolutionem reſpuerat, pura erat terra ſilicea, quae forte ſub ſeparatione extractionis acido vitriolico factae (§. 21. 26.) per filtrum receſſit.

§. 31. An ſelenites modo ſilici inhabitarit, an prius ſub extractione terrae ſiliceae compoſitionem inierit? quaeſtio nunc eſt. Obtineo poſterius, in ſilice juxta terram aluminis por-

portionem quandam terrae calcariae esse partem constitutivam, ab acido vitriolico simul cum terra aluminis solutam, & postea conjunctim praecipitatam: tum denique facta affusione acidi vitriolici terram aluminosam solvi (§. 27), terram calcariam vero, in consortio acidi vitriolici, sub forma selenitae restare.

§. 32. Ex his omni diligentia & accuratiori studio institutis experimentis tandem verissime elucet, Cl. *Baumé* & *Poernerum* in eo verum tenuisse, quod e silice, uti dixi, alumen haberi possit; in eo tamen utrosque errasse, quod crediderint, totam e lixivio silicis praecipitatam terram solutam esse, quod modo minima in parte accidere potuit. Ita conclusio eorum non quadrat, terram aluminosam terram esse veram siliceam.

§. 33. Experimenta Cl. *Cartheuseri* meis conveniunt, praeterquam quod is proportionem terrae aluminosae extractae adeo magnam indixerit; & videtur in eo hallucinatum esse, quod ad computationem terram praecipitatam siliceam sumserit, quae sine dubio post exsiccationem non exiguam quantitatem aquositatis similiter (§. 23. 25), continuerit, & hinc computatum in experimento pondus terrae aluminosae extractae nimium auxerit. Praeterea praesentem terram calcariam neglexit, & in eo erravit, quod etiam crystallos, quas in experimentis accepit suis, seleniticas, e combinatione terrae vitrescibilis crystalli montanae cum acido vitriolico deduxerit; hoc seductus praejudicio, crystallum montanam nihil terrae calcariae continuisse, quoniam sub extractione hujus nulla efferveseentia apparuerit. Verum conclusio haec a veritate procul aberrat, utpote terra calcaria in multis combinationibus naturalibus & existendi modis adeo latere possit, ut in extractione omnis sileat efferveseentia. Id quod hic evenire potest ex eo, quod terra calcaria cum terra silicea & alumino-

sa

ſa intime ſit juncta; aut poteſt fieri, ut terra calcaria, conſortio ſilicis aut cryſtalli montanae aëre ſit vacua, & ſic haud apparentibus bullulis ſolvi queat. Selenites praeſens ſat evincit, terram calcariam vere ineſſe.

§. 34. Reliquum elucet, *Meyerum* hac in re labores ſuos haud exacte inſtituiſſe, aſſeverantem, ſe nihil aluminis e ſilice obtinere potuiſſe.

§. 35. Per mea tandem experimenta me convictum credo, ſilicem adhuc mixtum corpus eſſe compoſitum, cujus partem majorem conſtitutivam efficit terra ſilicea ſpecifica, a natura cum portione terrae aluminis & calcariae, tanquam partibus conſtitutivis, conjuncta; quam proportionem experientia duce ſequenti modo determino; conſtare nempe uncias duas ſilicis

e XII. Drachmis L. granis genuinae terrae ſiliceae, (§. 23.25.)
II. Drachmis LVI. granis terrae ſolubilis, compoſitae duabus partibus aluminoſae, & parte una terrae calcariae.

aut numero rotundo

e XIII. Drachmis terrae inſolubilis proprie ſiliceae,
II. Drachmis terrae aluminoſae &
I. Drachma terrae calcariae.

MEMO-

MEMORIA

VIRI

PERILLVSTRIS MAGNIFICI

ET

EXCELLENTISSIMI

JOANNIS BAPTISTAE MORGAGNI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS

IN VNIVERSITATE PATAVINA PRIMARII ANATOMIAE PROFESSORIS ET PRAESIDIS, ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM ADIUNCTI, SOCIETATUM SCIENTIARUM PETROPOLITANAE, PARISIENSIS, LONDINENSIS ET BEROLINENSIS COLLEGAE.

ex

Angeli Fabronii Biographia Italorum Excellentium, qui Seculo XVIII. Floruerunt, Decade II. Decerpta.

Forum Livii, civitas duobus portubus cincta, commercii felix alumna, viris praestantissimis & literatis foecunda, natale solum est, in quo lucem aspexit Ioannes Baptista Morgagnus e nobili stirpe prognatus die XXV. Februarii MDCLXXXII, patre Fabricio, cive privilegiato Forolivienſi, dignitate & eruditionis laude illustri, matre Maria Torniellia, præclari nominis & familiæ matrona. Pater mature decessit, filiumque reliquit vix septennem, cujus tutelam mater provide susceptit, & unicum amoris pignus pietate, bonis moribus ac studiis, quibus ætas juvenilis imbui solet, instruendum curavit. Teneræ huic corporis constitutioni duo minitabantur pericula, febris nimirum vehemens, & lapsus in canalem longis fornicibus magna ex parte obtectum aquisque redundantem. Parum abfuit, quin a flumine sub fornicem raperetur adolescentulus & mergi deberet. Ast divina favente clementia vir quidam advenerat, qui puerum jam prætergressus non illum cadentem vidit, sed aliquid strepitus audivit, mox impense monentem, ut pereunti operam ferret. Accurrit, in canalem se projecit, & a submersione liberavit morti proximum.

Postquam ex ephebis excessit Morgagnus, optimam spem dedit linguas & literas elegantiores addiscendi, eo quidem felici successu, ut anno decimo quarto adscriberetur Academiae patriæ Filergitarum, & applaudente choro auditorum orationem poëticam recitaret. Anno vertente cathedram conscendit, & spartam respondentis singulari alacritate ornavit, de omni re, quæcunque in disceptationem & quæstionem vocaretur, enodate judicans. Forte visum fuit cuidam commilitoni ut prius pronunciaret distichon in laudem defendentis, quam argumentum attulisset, Morgagnus pro mira ingenii acie totidem versus præmisit, mox antithesin modeste excussit. Plus ultra petenti facilis patebat aditus ad Bononiam, celebrem

brem artis Machaonicæ nutricem, cujus moenia intravit anno ſeculi ſuperioris nonageſimo octavo. Sat felicem ibi ſortem invenit, florentes nimirum auditores Malpighii, Ioannem Iacobum Sandrium, Hippolitum Franciſcum Albertinium, & Antonium Mariam Valſalvam, cujus ſpeciali manuductione ad Anatomiam gaviſus eſt. Nec defuerunt reliqui Profeſſores inſtituere & erudire deſiderantem in vera ſcientia naturali. Adoleſcens illuſtri ingenio & induſtria præditus dogmata Philoſophiæ ac Medicinæ velocius addidicerat, ita, ut a præceptoribus abituriens pro teſtimonio diligentiſſime laudaretur.

Cum ſtudia Philoſophiæ ad normam Burgundicæ Du Hamel renovare coepiſſet, ophthalmia gravi afflictus eſt, quæ magnum & acerbum commovit dolorem, ſublata non ſolum legendi ſcribendique, ſed etiam ſomnum tenendi facultate; mitigationem vero palpebris tepide applicata pomorum dulcium pulpa conciliavit. Diuturna quidem valetudinis perturbatio non obſtitit, quo minus divinæ præſentis memoriæ conſcius in ſolemne veniret certamen, unde lauream Doctoris Medici ac Philoſophi glorioſe obtinuit anno hujus ſeculi primo. Plauſu maximo cum ipſi eſſet gratulatio ſignificata, in patriam redux ibidem brevi convaluit. Ex quo tempore, ſi ophthalmiam alteram, quæ ſeneſcenti accidit, excipias breviorem, videndi ſenſus incolumes conſtabant grandævo. Ad priſtinum illud robur conſervandum in tanta ac tam aſſidua oculorum contentione lotio matutina faciei & palpebrarum cum aqua recenti e puteo hauſta utilis fuit.

Quamvis autem omnes Medicinæ partes probe calleret; Muſas tamen Bononienſes iterum ſalutare & ſtudium anatomicum cumprimis recolere contendit, præceptore uſus Antonio Maria Valſalva, cui magno adjumento fuit in adornanda editione de aure humana & ſectionibus cadaverum humanorum, idque munus demonſtratoris Anatomici ſolus adminiſtravit eo anno, quo idem Valſalva Parmam accerſitus Bononia aberat. Unde factum eſt, ut brevi inclareſceret. Etenim

nim præter laudem rei Anatomicæ maximam in aliis quoque ſcientiis ita profecit, ut videretur omnia conſequi poſſe, ſimul ac velle coepiſſet. Tanta autem erat elegantia ſermonis Latini æque ac Etruſci, ut cum elegantiſſimo quoque ſcriptore poſſet comparari. Noverat & græcas literas, attigerat & poeticen, quoniam illius dulcedinis expers eſſe noluit; præclare tenebat Botanicam & Geometriam, quod in iis non parum ad ſua ſtudia præſidii eſſe putaverat; ob eandemque cauſam Opticam addidicerat, Hydraulicam, Mechanicam, nec non in Aſtronomia ſe exercuerat. Quum igitur haberet ſtudia communia cum multis eruditis, eſſetque ſingulari bonitate, moribus plane ſuaviſſimis, & ad omnem rationem humanitatis accommodatiſſimis, ita vivebat Bononiæ, ut univerſis civibus merito eſſet cariſſimus & probatiſſimus. Utebatur vero intime Manfrediis fratribus, Iacobo Bartholomæo Beccario, & Ioanne Antonio Stancario, hujusque fratre Victorio, cum quibus duobus poſtremis ipſi neceſſitudo quoque erat contubernii. Has ob cauſſas præcipuus ei honos habitus; creatus eſt enim, cum nondum compleſſet ſecundum & viceſimum ætatis annum, princeps Academiæ Inquietorum, in quam fuerat quinquennio ante cooptatus. Qua in poteſtate præclaras res geſſit. Nam perſuaſit Academicis, ut relictis inanibus diſputationibus, novam, utilemque amplecterentur philoſophandi rationem, novisque conditis propoſitisque legibus, has ut omnes probarent effecit. Plura hac de re videri poſſunt in vita Euſtachii Manfredii, qui & conditor illius Academiæ & ſocius una cum Victorio Stancario glorioſo in labore Morgagni fuit. Hic vero ut collegas ad occulta naturæ inveſtiganda ſuo exemplo inflammaret, in ſolemni ac publico Academiæ conventu, qui habitus eſt anno, poſtquam princeps ipſe fuerat, recitavit, quæ ei in longa cadaverum ſerie attentiſſime ſpectanti ſeſe obſervanda obtulerant, & in adverſaria conjecerat. Neque hæc communia & pervulgata, ſed pleraque nova, omnia vero difficillimam cognitionem habent. Ex quo

factum

factum est, ut non modo laudem ingenii, sed etiam admirationem sit consecutus; nullusque auditorum fuerit, qui eum non sit hortatus, ut illa in lucem proferret, pollicitus fore, & ipsi & Academiæ honorificentissima. Paruit ille horum consiliis ediditque MDCCVI. Bononiæ librum, quem inscripsit Adversaria Anatomica prima, consecravitque Eustachio Manfredio, tunc Academiæ principi, cæterisque sodalibus. Nihil enim magis laborabat, quam ut in Academiam, cui, quidquid erat, videbatur referre acceptum, gratissimus cognosceretur. Tali modo Bononiæ confecto studiorum curriculo, Venetias & Patavium venit ad salutandos doctos viros. Qua profectione magnum accepit detrimentum Academia. Vix enim ferre posse videbatur absentiam illius, qui ipsam præ cæteris exemplo, & legibus institutisque quasi parens & conditor formaverat. Patavii Morgagnus magnam junxit amicitiam cum Dominico Guglielminio, Venetiis cum Ioanne Polenio, & Ioanne Hieronymo Zanichellio, aliisque multis, quos sibi mores, & optimarum artium, ac literarum studio commendabat. Ibi quoad substitit (non diutius autem, quam triginta circiter mensibus fuit) assidue aut in dissectionibus animalium majorum, praesertim piscium, aut in re chimica, aut in pharmaceutica aut in physicis & anatomicis experimentis, aut denique in selectorum librorum, quos studiose comparabat, lectione versatus est. His tot instructus adiumentis, tunc demum venit ad medicinam faciendam; hancque in patria exercuit ea felicitate, quæ observationibus, dum Bononiæ degebat, ad ægrotantium lectulos jugiter, ac solerter habitis, responderet.

Quum enim relaxandi paulisper animi causa domum secessisset, ea de ipso opinio fuerat suorum civium, ut ad amplissimi in civitate viri abditum gravissimumque morbum dignoscendum, &, si fieri posset, ex aliqua saltem parte levandum advocaretur; quorum utrumque egregie praestitit. Iam vero in patria commoratus magnam apud omnes acquisivit fiduciam, & vix ægrotatio paulo difficilior accidit, quin a seniori-

bus ipsis medicis sibi socius optaretur Morgagnus; adeo attentus erat in observando, cautus in prædicendo, felix in curando. Quæ cum sine assidua animi contentione, & corporis fatigatione esse non possent, intelligere primum coepit, si hic porro pergeret, non diutius se esse victurum; mox ut erat, si quis alius tum otii inimicus, tum Anatomes amator in memoriam rediit oblatam sibi, cum Patavii esset, a Guglielminio fuisse occasionem ibi permanendi, & facultatem docendi, si ex ejus Gymnasii scholis una placeret. Inopinato autem accidit obitus Guglielminii. Quum enim in ejus locum sufficiendus esset immortalis vir Antonius Vallisnerius, quæsitum est de Morgagno, an Vallisnerii professionem susceperus esset? Quærentibus non gravate annuit, & a Senatu Veneto iisdem honestissimis conditionibus, quibus gaudebat Vallisnerius sub finem anni MDCCXI. ad tradendam theoricam medicinam est vocatus. Quapropter vix triennio in patria exacto Patavium concessit. Ipse decimo sexto calendarum Aprilis anno MDCCXII. quo primum suggestum conscendit in magna auditorum frequentia, latinam habuit orationem, qua formam expressit quarundam medicarum institutionum, quas animo conceperat. Itaque tripartita oratione proposuit, quæ partes esse debeant illius, qui ad perfectam medicinæ laudem adspirat, antequam medico præceptori tradatur, postquam erit traditus, & ex quo eidem ægrotantes tradentur. Plurimum laboris & temporis in erudiendis medicinæ studiosis impendit, ut docte, ornate, Latine, atque etiam ordinate omnia explicaret. Petierat ab eo Lancisius, quo cum magnam contraxerat amicitiam, ut diligenter describeret, quænam in triginta octo anatomicis tabulis Bartholomaei Eustachii per hos dies repertis agnosceret, quæ propria, & peculiaria inventa ejusdem autoris dici deberent, fuerint licet ab aliis post ipsum prodita. Qua quidem in re sic amici postulationi brevi octo dierum spatio satisfecit, ut laudem ab eo reportaverit viri in Anatomes historia omnium peritissimi. Sed praesertim petenti-

tibus non ſolum, ſed etiam flagitantibus amicis, qui hoc magni intereſſe dicebant ad decus ejus, in quo docebat Gymnaſii, ſtudium & curam contulit, ut defenderet adverſaria ſua anatomica contra animadverſiones, quas in illa fecerat Ioannes Baptiſta Blancus, & Iacobus Mangetus ſuum in theatrum anatomicum retulerat. Grave ac moleſtum fuit viro a contentionibus alieno, ac leni mitique animo, in illud ſe adductum eſſe diſcrimen, ut naturam atque ingenium ſuum deſereret. Et quidem non defenſoris modo, ſed acris etiam accuſatoris perſonam ſuſtinuit in iis quinque adverſariis, quæ intra biennium in vulgus edidit. Quæ accuſatio cum in eo maxime verſetur, ut coarguat, atque corrigat plurimos, ac graviſſimos errores, quibus ſcatent multorum anatomicorum ſcripta, queis locus datus eſt in hoc theatro ac praeſertim Verheyenii & Blanci, illud conſecutus eſt Morgagnus, ut hæc adverſaria non ſolum utilia, ſed etiam neceſſaria ſint rei anatomicæ ſtudioſis, qui eodem theatro uti deſiderant. Iis vero, qui aliquam cupiditatem habent noſcendi novas obſervationes, animadverſionesque ad anatomen quidem præcipue, ſed ſubinde etiam ad Chirurgiam ac Medicinam ſpectantes, nihil dulcius eſſe poteſt, iisdem adverſariis, quæ in hoc rerum genere mirum in modum abundant. Non eſt autem credibile, quam multa auctor diſſecare debuerit cadavera ad confirmandas a ſe propoſitas obſervationes; nec mediocrem quoque in eo diligentiam adhibuit, ut operi adjungerentur tabulæ anatomicæ affabre inſculptæ, qua in re uſus eſt præſertim opera Michaelis Angeli Cavazzonii, Ioannis Baptiſtæ Cromerii, & Franciſci Mariæ Franciæ. Cæterum vix ſecundis tertiisque adverſariis inſpectis tæduit Blancum vehementerque poenituit, quod Morgagnum offendiſſet; pro qua offenſione illi ſe ſatisfacturum Lanciſio per literas ſignificavit. Accepit ſatisfactionem Morgagnus, & ſignum mitigati animi erga illum dedit in adverſariis, quæ mox in lucem emiſit. Egerat enim Lanciſius de reſtituendo in gratiam Mangeto, cui oſten-

oſtendit, poſſe rem ad concordiam facile deduci, dummodo ille declararet, non invidia atque obtrectatione laudis Morgagni, cui ipſe ſemper faverit, ſe ſcripta Blanci ſuum in theatrum anatomicum intuliſſe, ſed inconſulto atque inconſiderate id feciſſe, factumque ſuum improbare ac deteſtari. Non dubitavit quidem Mangetus ingenue fateri Lanciſio, ſe *animadverſiones Blanci currente prelo accepiſſe, ac vix attente perlectas typis commiſiſſe, opereque jam edito deprehendiſſe in iis nonnulla, quae delicatulis acerbiora videri poterant*; ſed illum adeo pupugerunt ſecunda & tertia adverſaria, ut ei reſcripſerit, quae reconciliationis deſperationem afferre viderentur. Verum poſtea ſentiens multorum vocibus ſe reprehendi, quod talem virum offendiſſet, neque offenſum placare ſtuduiſſet, de reconcilianda gratia cogitare coepit. Verebatur quoque, ne peccatum ſuum a Morgagno ſeverius in aliis, quae paraverat adverſariis, puniretur. Quibus rebus factum eſt, ut ei ſe purgaverit per literas a Ioanne Fantonio ſcriptas, utens excuſatione negligentiae, quo majoris criminis, illatae ſcilicet injuriae, ſuſpicionem averteret.

Qua excuſatione & amici precibus commotus Morgagnus, multa, quae acrius ſcripſerat, obliteravit in edendis adverſariis. Sic bellum acerbum, quod inter Morgagnum, Blancum & Mangetum exortum fuerat, ſedatum eſſe videbatur. At non multos poſt annos Blancus iterum Morgagnum ad arma compulit: nam cum iterum typis committeret librum a ſe conſcriptum de hiſtoria hepatica, in hoc non ſolum veteres refricavit controverſias, ſed novas etiam exſuſcitavit, non videns hac re plurimum violari exiſtimationem ſuam. Nam fidem Lanciſio dederat, nihil ſe unquam commiſſurum, quod hominibus ſuſpicionem fictae reconciliatae gratiae movere poſſet. Nec modo infidi ſed etiam ingrati animi accuſationem timere debebat Blancus, cum eſſet Morgagno recenti beneficio obſtrictus. Quapropter minime reprehendi debet Morgagnus, ſi quid ab eo paulo ſeverius vindicatum eſt, cum de

hac

hac inſtaurata controverſia binas ſane longas ad amicum ſcripſiſſet epiſtolas, de quibus vere dictum fuit, nihil defendere, quod non evidenter probent, nihil oppugnare, quod non plane evertant. Profecto magna habenda eſt gratia Blanco & Mangeto, quod has epiſtolas, quaeque eis ſocia damus, adverſaria anatomica a Morgagno extorſerint, in quibus tanta doctrina, tot inventa, tanta in omni re anatomica eruditio apparet, ut idoneus certe judex Albertus Hallerus non dubitaverit pronunciare, nihil habere anatomen, quod cum illis operibus conferri poſſit. Ruyſchius quoque, Boerhaavius, Heiſterus, Winslovius, Schroeckius, Hoffmannus, Vaterus, Meadius, Goelickius, Waltherus, Senacus, Cockburnius, Guntzius, Meckelius haec eadem opera laudibus ad coelum extulerunt, & ex iis in ſua ſcripta multa tranſtulerunt ornamenta. Atque in his libris conficiendis dum elaborabat Morgagnus, nihilominus officia ſua praeſtabat aut ſtudioſae iuventuti, quae domum ejus tanquam officinam ſapientiae frequentabat; aut amicis, qui judicium, conſiliumque ſuum ſaepe exquirebant, cum in iis, quae ad eruditionem, tum in iis praeſertim, quae ad rem medicam, caeterasque phyſicas facultates pertinent; aut Germanis, qui Patavii dant operam Philoſophiae, Medicinae, ac rerum divinarum ſcientiae, cum eorum patronus anno MDCCXV. electus fuerit. His perſuaſit, ut ſibi aedem emerent, in qua eorum bibliotheca tutius in omne tempus ſervaretur, in quibus illi tractare ſolent de iis rebus, quas inter ſe communes habent. Qua empta, haec in ingreſſu iidem inſcripſerunt: *Inclyta natio Germanica DD. Artiſtarum, adjuvante liberaliſſimo Protectore Cel. viro Io. Bapt. Morgagno P. P. P. has ſibi emit aedes &c.* Sic cum Morgagnus magno in honore Patavii viveret, electus eſt a Senatu Veneto, ineunte Octobri memorati anni ad tradendam in ejus civitatis Gymnaſio anatomen.

Non eſt praetereunda illius modeſtia hoc loco. Nam quamvis ſuam ingrederetur provinciam, plurimum tamen ſe

vereri dicebat, quidnam pro dignitate loci & expectatione omnium afferre posset, praesertim cum cogitaret Andream Vesalium, Realdum Columbum, Gabrielem Faloppium, Hieronymum Fabricium, Iulium Casserium, Adrianum Spigelium, Ioannem Veslingium, aliosque praestantissimos Anatomicos, qui in hac sede fuerant. Erat quidem inanis timor. Omnes enim jam tum in illud consentiebant elogium, tantum illum excellere anatome, ut nemo esset non solum aetatis suae, sed etiam de majoribus natu, qui ei anteponi posset. Quod judicium non minus oratione, quam factis comprobavit Senatus. Nam cum ei satis amplum quingentorum aureorum stipendium decrevisset, illud primum raro exemplo ad octingentos, postea rarissimo ad bis millenos, singulari demum atque unico ad ducentos supra bis millenos perduxit. Sed maximum, quod Morgagno dari potuit, praemium fuit incredibilis acclamatio, & plausus, quo ille in exedra collocatus fuerit. Cujus rei cum statim fama emanasset, magna undique ei facta est gratulatio, & pro sua eximia in literas & literatos homines voluntate Summus quoque Pontifex Clemens XI. eidem gratulatus est. Non parum sudare debuit Morgagnus primis sui muneris annis, ut hominem informaret ad bene diligenterque anatomicas ostensiones administrandas; sicque Ioannem Baptistam Vulpium ad incidendorum cadaverum officium instituit, ut nemo fortasse esset, qui cum illo comparari posset. Accidit aliquando, ut cum hic aniculae cadaver aperiret, quo adstans Morgagnus ostenderet auditoribus suis singulorum viscerum sedem, etsi plus solito illud nequaquam oleret, neque ullum in eodem praeter implicationem intestinorum vitium appareret, subitus tamen languor Morgagnum oppresserit, non secus ac si deliquium instaret. Revocatis paullulum viribus cum uterque domum e theatro anatomico rediisset, ad eundem modum, eodemque tempore febri correptus est, quae sic Morgagnum male habuit, ut nonnisi aliquot post menses pristinam valetudinem recuperare potuerit

tuerit. Non propterea tamen in eo languit induſtria. Nam eodem, quo antea, ſtudio commodis diſcipulorum domi, in noſocomio ac theatro inſervivit, ac nihil unquam, ſi paucos excipias aeſtivos menſes, quibus in patria fuit, remiſit de labore, quem in anatomicis praeſertim ſcriptionibus ſolitus erat impendere. Etenim, quod mireris, magna pars adverſariorum in hac corporis infirmitate ab eo confecta eſt. Eodem quoque tempore amice per literas cum Lanciſio diſputavit de genere mortis Cleopatrae, multaque in his literis ſane elegantibus atque eruditis, attulit huic convenientia ſententiae, quam ipſe tenebat, Cleopatram aſpidis morſu periiſſe, adverſus eos, qui veneno ore capto ſublatam contendebant. Scripſit & alia multa conſequentibus temporibus, quae eum praeſtantem philologum oſtendunt. Itaque rogatu Ioannis Baptiſtae Vulpii, qui nobilem editionem parabat medicorum operum A. Cornelii Celſi & Q. Sereni Sammonici, ſub finem anni MDCCXX. & intra proximum quatuor exaravit epiſtolas, quarum tres Celſum attingunt, quarta Sammonicum. In iis prioribus diligenter perſequitur aetatem, qua autor ille floruit, ſtudia & ſcripta ejusdem: haud pauca ipſius loca difficilia illuſtrat, ac multa, quae erant depravata, reſtituit: quaedam indicat verba, quae removenda exiſtimabat a latinis lexicis, in quibus ſub mentito Celſi nomine locum obtinuerant: indicat & alia, quae ſunt profecto Celſi, ſed quae in iisdem lexicis non facile reperias. In quarta epiſtola examinat, quid praeſtiterint Aſulanus, Caeſarius, Humelbergius & Keuchenius, tum in emendando, tum in illuſtrando Sammonici poemate de Medicina, iisque lumen de ſuo lumine accendit; qua occaſione multa in medium profert, quae pertinent ad illius ſcriptoris vitam declarandam. Hanc epiſtolam undetriginta poſt annos ſecuta eſt altera, quae explicat, quale judicium fecerit Petrus Burmannus de priori epiſtola, & quale Morgagnus ipſe faciat de opera, quam idem Burmannus in hunc medicum ſcriptorem contulit, cum illum A. MDCCXXXI.

Lugd. Batav. edidit minores inter poetas latinos. Explicat etiam quid sit id, de quo autor a Burmanno dissentiat, qua dissensione sane modesta, & quales homines doctos decet, magis magisque Sammonicus illustratur. Eodem ferme tempore dedit Morgagnus tribus superioribus in Celsum epistolis, quinque alias comites, ut esset unde ad illa, quae notaverat de hoc auctore ejusque scriptis, corollarium adderetur, & unde plurima Celsi sumere possent studiosi, quibus depravata ab Almeloveenio & Lindenio corrigerent, & a quibus magis ad cognitionem intelligentiamque ejusdem scriptoris ducerentur. Has decem epistolas scripsit Morgagnus ad Ioannem Baptistam Vulpium; dedicavit vero Laurentio Heistero, cum inter se & hunc virum propter excellentem utriusque in anatome doctrinam magna intercederet amicitia. Nam quatuor scriptis epistolis (id fuit annis MDCCXXI- & MDCCXXIII.) ad Iacobum Facciolatum una, reliquis ad amantissimum eruditissimum inprimis inter tot alios discipulos suos Iulium Pontederam, his vitiosa multa, quae sunt in rei rusticae latinis auctoribus, ac praesertim Columella & Vegetio emendavit, & loca nonnulla obscura bono in lumine collocavit, omnibus ostendens quanta affluueret eruditionis copia quantumque in eo esset ingenii acumen, ac latinae linguae scientia. Ex quo factum est, ut ejus sententia saepe exquireretur in hoc rerum genere ab eruditis amicis, quibus ille facile poterat satisfacere, praesertim cum recurreret ad copiolas suas. Sic enim vir modestissimus appellabat thesauros illos suos, in quibus admirabilem vim eruditionis tum Graecae, tum Latinae, tum Italicae reconditam habebat. Sunt in manibus hominum, quae, postulante Ioanne Polenio, quo neminem nec amiciorem, nec jucundiorem, nec cariorem habebat, scripsit tum ad eundem Polenium, tum ad Petrum Pluvenium e S. I. de ordinario Frontini consulatu, id habens ratum, quod Norisius olim judicaverat, scilicet anno aerae Christianae C. Frontinum non Frontonem, ut aliqui putabant, Trajani III. Con-

Consulis collegam ordinarium fuisse; quamquam idem Norisius, non satis quidem probabilibus impulsus conjecturis ac rationibus, hanc suam sententiam postea deseruit, pro Frontone pronuncians. Extant etiam quae disseruit de Prospero Alpino, de Philologo Ravennate, & de Angelo Bolognino; nec non ad memoratum Polenium epistolae tres, quarum altera est de quadam particula libri IV. Marci Varronis de lingua Latina in veterem Frontini codicem relata, quam particulam sic explicat Morgagnus, ut Romanae antiquitatis peritum se ostendat; altera est de Vitruvii loco, ex quo in dubium verti potest, utrum scriptor hic Augusti aevo vixerit; tertia demum emendat & explicat alium ejusdem scriptoris locum ad rem medicam spectantem. Sed quam antiquitatis amator fuerit Morgagnus, & quam diligenter habuerit cognitam, ex iis praesertim intelligi potest epistolis, quas Aemilianas inscripsit. Exposuit in iis plurima scitu dignissima de fluminibus Aemiliae atque inprimis de iis, quae propter Ravennam fluunt; sicque persecutus est monumenta nonnullarum urbium, atque oppidorum, quae ab his fluminibus alluuntur, ut ea qui legat non multum desideret historiam contextam illorum locorum. Sed maxime ea in veritatis lucem protulit, quae Forum Livii patriam ejus illustrant, notans unde, & quo tempore orta, qui fuerit ejus status & dignitas, pluribus verbis ostendens, quanto credibilius sit Gallum poetam, cujus de vita multa in apertum profert, suum civem fuisse, & haud pauca recensens de Flavio Blondo, de Hieronymo Mercuriali, de Iacobo a Turre, aliisque viris illustribus Forolivienſibus. Neque sejungere debemus ab operibus, quae Morgagnus manſuetioribus Musis scripsit, vitas Dominici Guglielminii, & Antonii Mariae Valsalvae, quibus non modo laudem diligentis, elegantisque scriptoris reportavit, sed etiam amici benevolentissimi. Quos enim vivos omni officio ac potius pietate coluerat, mortuos monumentis literarum mandare voluit. Sed praesertim lumen ingenii sui, gratumque ac pium animum ostendit in iis, quae de Valsal-

va ſcripſit. Eo enim praeceptore, ut initio docuimus, uſus fuerat. Itaque non ſolum fecit, ut ejus vita plèniſſima eſſet illarum rerum, quae ad illam declarandam pertinerent, ſed etiam duodeviginti exaravit epiſtolas, quae mirabiliter ejusdem viri opera illuſtrant. Harum epiſtolarum undecim attingunt tractatum de aure humana, reliquae diſſertationes. In iis vero ſic omnia perſcripta ſunt de obſervationibus habitis ab ipſo Valſalva, Morgagno, aliisque doctis viris, quibus aut exornantur, aut confirmantur, aut corriguntur res, quae in memoratis Valſalvae operibus continentur, ut nihil non appareat, & facile exiſtimari poſſit, ſingulari ſtudio atque ſcientia fuiſſe Morgagnum in omni re Anatomica. In hoc quoque magnopere is laudandus eſt, quod non ſe tenuit, quin aliquando contra ſuum doctorem (quamquam ſemper aliquam, & quidem probabilem, dedit errato illius excuſationem) diſſeruerit. Videbat enim homini in inquiſitione veri unice occupato nihil tam eſſe adverſarium, quam ad alicujus, quamvis ſapientiſſimi, auctoritatem ita ſe conferre, ut integra judicandi non eſſet poteſtas. Quapropter minime non eſt mirandum, ſi nunquam gravate tulit, quod aliquis ſententiam probaverit, quam ipſe non ſequeretur; & ſi in omni diſſenſione non vincere maluit, quam vinci, dummodo verum inveniretur. Qui autem ſcire cupiat, quantum illi laboris ac temporis poſitum fuerit in perlegendis, conferendis, ſeligendisque Valſalvae chartis, quarum magnum numerum ille reliquerat, quantum in volutandis omnibus pene alicujus nominis Anatomicorum libris, ut ex eorum fontibus hauriret, quae aliqua ratione poſſent illuſtrare res, de quibus aut egerat, aut commemoraverat Valſalva, quantum in obſervationibus habendis, cum ſoleret ex Anatome proferre nihil, quod non propriis oculis, ac ſaepius perſpectum habuiſſet, quantum denique in omni re propoſita diligenter perpendenda, exponendisque judiciis ſuis, legat ea, quae idem praefatus eſt de his anatomicis epiſtolis. Praeter has ſcripſit etiam epiſtolam ad

ami-

amiciſſimum ſuum Franciſcum Mariam Zanottum, quae epitomen complectitur trium, quas Valſalva in Bononienſi inſtituti ſcientiarum Academia habuerat diſſertationum, eaque legitur primo in volumine commentariorum ejusdem Academiae. Editis jam his epiſtolis, cum Morgagnus colligendi ſui, vitandique aeſtivi caloris cauſa in rus ſe contuliſſet, veniſſetque eodem egregiae indolis adoleſcens & cum aliis ſtudiis, tum praeſertim Medicinae deditiſſimus, multum inter ſe collocuti ſunt de rebus ad illam facultatem pertinentibus. Quo quidem in ſermone multa praeclara a Morgagno commemorata ſunt de vera medendi ratione, deque ſua non modo, ſed etiam praeceptorum ſuorum Valſalvae, & Albertini hac in re conſuetudine. Quae inter cum caſu mentio incidiſſet operis Theophili Boneti, quod inſcribitur ſepulchretum, quodque continet diſſectiones eorum, quos morbi e medio abſtulerunt, plurimis ex autoribus collectas, rogatus eſt, ut aperiret, quodnam eſſet de hoc opere judicium ſuum. Affirmavit ille, opus quidem utilitate maximum ſuſcepiſſe Bonetum, ſed non ſatis diligentiae ad illud conficiendum contuliſſe; quapropter eum praeclare acturum, qui hoc ſibi ſumeret, ut multa, quae in illo deficiunt, ſuppleret, non pauca redundantia reſecaret, & accuratius, atque exquiſitius ſeligeret, ac referret obſervationes, quae ad ſingulos morbos pertinerent, notans quid certum, quid incertum, & ſi quid minus recte a Scriptoribus eſſet expoſitum. Tum adoleſcens: non ſum, inquit, neſcius, te aliquid ſimile cogitaſſe, & in commentariolo de Valſalvae vita promiſiſſe te facturum, ut ejus plurimae huc ſpectantes obſervationes in lucem prodirent. Quid igitur differs rem dignam uſu, & iſta ſingulari doctrina tua? Facile ſe exorari ſivit Morgagnus, credo, quod videbat ſe in ſuo regno verſari debere. Itaque vix Patavium rediit, cum ſtudium ſuum ad hanc rem admovit, confectisque aliquot latinis epiſtolis, has ad amicum miſit. Ex hoc autem cognoſci potuit, quam placuerint, quod ille non prius rogare deſtitit Morgagnum, ut his epi-

epiſtolis alias comites daret, quam ſeptuaginta obtinuerit; quodque easdem autori, ut recenſere poſſet, petenti, non antea remiſerit, quam idem auctor ſancte pollicitus eſſet, nihil ſe eſſe detracturum, ac brevi eas editurum. Quod & fecit. Inſcribitur opus de ſedibus & cauſſis morborum per Anatomen indagatis, idque in libros quinque dividitur, quorum in priori agitur de morbis capitis, in ſecundo de morbis thoracis, in tertio de morbis ventris, in quarto de morbis ad Chirurgiam aut univerſum corpus ſpectantibus, in quinto autem ea comprehenduntur, quae ad ſingulos quatuor priores libros addenda videbantur. Multas ex veterum & recentiorum ſcriptis huc ſpectantes collegerat Morgagnus obſervationes, multas ipſe a Valſalva acceperat, multo plures in hujus ineditis ſcriptis notatas repererat, plurimas vero per ſe infinito ſtudio ac diligentia totis ſexaginta annis habuerat, easque omnes in hujus operis confectionem contulit. Bene recteque Iacobus Bartholomaeus Beccarius hoc opus ampliſſimum interioris medicae doctrinae theſaurum pronunciavit. Satis de hoc immortali opere dictum erit, ſi hoc unum addatur, quatuor annorum ſpatio ter illud, quamvis non mole exiguum, typis impreſſum fuiſſe, quod eſt indicium, quam magno plauſu medicinae cultores idem exceperint, quantaque inde facta fuerit acceſſio ad Morgagni gloriam. Iam enim maximi viri uno ore conſenſerant penes illum principatum Anatomes eſſe, e quibus nominaſſe ſufficiat Ioannem Albertum Korffum, Ioannem Bernoullium, Fridericum Ruyſchium, Ioannem Saltzmannum, Laurentium Heiſterum, atque Petrum Senacum.

Extanta nominis celebritate factum fuit, ut invitaretur ad Academiam Imperialem Naturae Curioſorum Praeſide Schroeckio anno MDCCVIII. cujus ſucceſſor Baierus ipſum anno MDCCXXXII. inter Adjunctos retulit. Guilielmus Bromfield obtulit diploma receptionis in Societatem Regiam Londinenſem anno MDCCXXIV. nec defuit Academia Regia Scientiarum Pariſienſis ſufficere in locum Friderici Ruyſchii

ſchii per Petrum Senac Archiatrum Regis Galliae anno MDCCXXXI. Porro acceſſit ad Academiam Imperialem Petropolitanam curante Ioanne Friderico Schreibero anno MDCCXXXV. Tandem Ioannes Fridericus Mechel aditum ſolemnem ad Regiam Academiam Berolinenſem Collegae Honorarii ſignificavit anno MDCCLIV. Cum tanto eſſet Morgagnus in pretio apud exteros, fieri non poterat, ut illum minoris facerent Itali ſui. Itaque nulla apud hos extat alicujus nominis Academia, in quam ille honorificentiſſimis decretis cooptatus non fuerit, nullum floret Gymnaſium, quod ejus ſcriptis maximam non tribuat in rebus phyſicis auctoritatem, iisque plurimum non utatur in erudiendis harum rerum ſtudioſis adoleſcentibus; nulla inter hos exorta eſt aut controverſia, aut dubitatio de re anatomica, de qua idem, tanquam oraculum, haud fuerit conſultus. Multa ſunt illuſtria facta ejus patriae, ut oſtenderet de tanto cive ſe maxime gloriari. In primis quod in publicis aedibus marmoream ejusdem effigiem poſuit, hoc circum eam ſcripto epigrammate:

Hic eſt, ut perhibent doctorum corda virorum
Primus in humani corporis hiſtoria.

Infra autem haec exculpta inſcriptio.

IO. BAPT. MORGAGNO NOB. FOROL.
PATRIA
INVENTIS LIBRISQVE EIVS PROBATISSIMIS
VBICVNQVE GENTIVM ILLVSTRATA
DECREVIT A. D. MCCLXIII.
PONENDAM IN CELEBERRIMO HOC LOCO
MARMOREAM EFFIGIEM
ADHVC VIVENTIS.

Quanta autem dignitate viveret Patavii, haec ſunt indicia. Ejus ſchola, ac domus floruit ſemper nobilitate, ac frequentia diſcipulorum, nec unquam praelectiones, oſtenſionesve habuit anatomicas, quin magnus ad eum omnium ordinum, omniumque aetatum fieret concurſus. Nemo mediocriter eruditus in hanc civitatem veniebat, qui Morgagnum videre, adire, alloqui praetermitteret; nemo vero ab ipſo unquam diſceſſit, qui non parem ejus humanitati ad doctrinae laudem tribuendam eſſe judicaverit. Quamquam autem, ut ſupra demonſtratum eſt, illud ei a Veneto Senatu pro munere docendi decretum fuit ſtipendium, quod nemini unquam, non propterea tamen timere debuit reliquorum Profeſſorum aut offenſionem, aut invidiam, cum inter hos nullus eſſet, qui ejus gloriae plurimum non faveret. Quintum Praeſes Collegii Veneti Gymnaſiaſtici fuit, quae poteſtas, quamquam legibus cautum ſit, ne ultra triennium duret, ſemel tamen ei ad ſeptennium prorogata eſt. Iure igitur is dicebat, ſe in ſummi beneficii loco ponere, quod in eam civitatem cooptatus eſſet, a qua, quae dari maxima poterant, accepiſſet ornamenta, quodque docendi cauſſa in eam ſe contuliſſet civitatem, quae cum humanitate, & doctrina praeſtaret omnes, ſic ei erat carus, ut non magnopere patriam deſideraret. Ex quo factum eſt, ut, licet magnis praemiis invitatus fuiſſet ad docendum in aliis, iisque celeberrimis, tum intra, tum extra Italiam Gymnaſiis, ire ſemper recuſaverit. Hoc quoque ad tanti viri laudem illuſtre fuit, quod Laurentius Heiſterus, Georgius Daniel Coſchwitzius, Albertus Hallerus, e noſtratibus vero Ioſephus Antonius Puiatus, Franciſcus Maria Zanottus, Io. Verardus Zevianus, aliique maximae doctrinae viri quosdam e multis, quos fecerunt, libris, ejus nuncuparunt nomini. In tanta celebritate famae Principibus quoque viris minime placere non poterat Morgagnus; quam quidem non ultimam eſſe laudem vere ab Horatio dictum eſt. Itaque magnam aſſecutus gratiam Caroli Ruzzinii,

Aloy-

Aloysii Pisanii, Petri Grimanii, Francisci Lauretani, Marci Foscarinii, & Aloysii Mocenici, qui omnes summum locum in Venetorum Republica tenuerunt. Foscarinius autem summis etiam laudibus celebravit Morgagnum in eo, quod edidit, opere de Veneta Litteratura. Carolus VI. Augustus de re quadam medica per litteras ab archiatro suo Garellio scriptas illum consuluit; cumque aliquando ejus exercitus in Aemilia hyemaret, Ducibus praecepit, darent operam, ne quis domui, familiaeque Morgagni molestus esset. Fecit hoc idem Carolus Emanuel III. Sardiniae Rex; isque cum semel & iterum per Forum Livii iter habuisset eo tempore, quo ibi feriatus commorabatur Morgagnus, hunc humanissime excepit, & ad plures horas cum eo collocutus est. A Summis Pontificibus Clemente XI. Benedicto XIV. & Clemente XIII. magnas tulit existimationis, ac voluntatis significationes; ac jure in eo praesertim gloriabatur, quod Benedictus suo in opere de Beatificatione Servorum Dei testimonium tribuerit amplissimum illius doctrinae; quodque Clemens XIII. litteras ad eum dederit honorificentissimas, humanissimasque, quibus significabat pergratum sibi fuisse munus illius operum, quibusque ei non tam vim doctrinae admirabilem, quam pietatem in Deum, caeterasque virtutes gratulabatur. Quod testimonium gravissimum reputari debet, quia a Summae dignitatis Principe proficiscebatur, cui notissima erat vita Morgagni. Quo enim tempore sacris Patavinis sanctissime praefuit, ejus saepe consilio in curanda valetudine usus est, eidemque suas semper patere voluit aedes. Constat quoque aliquando Summum Pontificem praedicasse de Morgagni doctrina, modestia, comitate, humanitate, in Deum hominesque caritate, in amicos fide, in suos studio ac diligentia, ut nihil gloriosius ac magnificentius praedicare potuerit; addiditque, illud non mediocre esse verae laudis argumentum, quod is nunquam timere debuit hominum invidiam. Cum plurimum autoritate & gratia valeret, non illas ad utilitatem suam, sed ad aliorum, ac praesertim

sertim amicorum commodum, ac praesidium libentissime conferebat. Atque in beneficiis tribuendis se illa nolle foenerari ostendebat, cum tamdiu meminisset, quoad ille gratus erat, qui acceperat: percepta vero a se immortali retinebat memoria; quod saepe declaravit, & maxime in homine, cujus ope e periculo vitae ereptus est, quod ob lapsum in canalem quemdam, ut initio narravimus, subiit in pueritia. Hujus enim egestatem suis sumptibus sustentavit, mortem deflevit, memoriam grata recordatione prosecutus est. Multum semper vigilavit ac laboravit; & provinciam docendi ad extremam usque senectutem ita sustinuit, ut de se praedicare potuerit illud Virgilianum:

Nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.

Vixit ad aliorum utilitatem; & magnam se Deo habere gratiam dicebat, quod siverit se eam praesertim scientiam profiteri, quae hominibus plurimum prodesset, & quae ad ipsius Dei cognitionem una omnium maxime duceret. Nihil in eo fictum aut simulatum unquam apparuit. Ut autem erat decori amantissimus, aequalitatem universae vitae, singularumque actionum mirabiliter servavit. Quemadmodum in vita, sic in Medicina, quae essent simplicia amavit, & qui saepe plures venaesectione curavit, nunquam tamen hoc remedii genus sibi adhiberi passus est, quoniam naturaliter illud horrebat. Consuevit etiam in quibusdam capitis morbis sanguinem ex occipite mittere, cujus curationis, quae jam diu fieri desierat, tanquam restitutor ab Hoffmanno, Walthero, aliisque merito laudatur.

Duxit uxorem Paulam Vergeriam civem suam, nobili genere natam, cum qua vixit conjunctissime, & ex qua quindecim suscepit liberos. Inter hos tres virilis sexus fuerunt, quorum natu maximus matrimonio sese junxit cum nobili femina

Maria

Maria Serughia. Deceſſit autem anno MDCCLXVI. patri relinquens non ſolum peracerbum ſui deſiderium, ſed etiam nepotum curam, quam mira alacritate & providentia ſuſtinuit. Filiorum alter mortem obivit in pueritia, alter Societati Ieſu nomen dedit. Filiarum vero quatuor occiderunt in cunis, reliquae ſeſe Deo virgines voverunt. Fuit Morgagnus ſtatura magna, & venuſta figura, hilari & laeto vultu, fulvis capillis, oculis caeruleis, & ad ſummam ſenectutem uſus eſt ſenſibus & valetudine optima. Ad hanc autem conſervandam plurimum conduxiſſe putavit, quod ſimplici victu, veſtituque ſemper delectatus eſt; quod non facile tempus variaverit ſumendi cibum dormiendique; quodque ſibi ab intemperie coeli caverit. Optime profecto ad Neſtoris inſtar inter vivos egit, floruit etiam egregiarum animi dotium integer usque dum animam Deo pie placideque redderet d. VI. Decembris anno hujus ſeculi ſeptuageſimo primo, cum vitam honeſtiſſime traduxiſſet, ultra annos LXXXIX. & menſes novem ad dies XI. decenti funeris pompa elatus, communi civium luctu, qui probe perſpexerint, quantum ornamentum ac praeſidium Medicinae amiſiſſet Patavina Univerſitas in uno Morgagno. Nos interim grata mente recolimus memoriam Adjuncti per octo luſtra Florentiſſimi, cujus commendatione ad Academiam noſtram acceſſerunt Viri in Italia Celeberrimi, & munificentia ejusdem bibliothecae noſtrae oblati ſunt operum omnium Tomi ſplendidiſſimi.

Opera Edita.

Opera omnia Morgagni in quinque Tomos in fol. diviſa Baſſani edi curavit an. 1765. Antonius Larber ejusdem Morgagni diſcipulus.

Tom. I. ADVERSARIA ANATOMICA OMNIA. Horum Prima edita ſunt Bononiae 1706. typis Piſarri in 4. magno, poſtea Lugduni Batavorum 1714. apud Wishoff in 8, & Patavii 1719.

apud Cominum in 4. & Lugduni Batavorum 1723. apud Langerak in 4. & rurſus apud eundem 1741. in 4. Altera & Tertia impreſſa fuere Patavii apud Cominum 1717. in 4. & Lugduni Batavorum apud Langerak 1723, & rurſus 1741. in 4. Quarta denique, Quinta, & Sexta impreſſa fuere Patavii 1719. apud Cominum in 4. & Lugduni Batavorum 1723. apud Langerak, & rurſus 1741. in 4.

Tom. II. Epistolae Anatomicae XX. quarum priores duae prodierunt Lugduni Batavorum apud Ioan. a Kerkhem in 4. reliquae impreſſae fuerunt cum Valſalvae operibus Venetiis 1740. typis Pitteri in 4. tom. 2. & deinde 1741. apud eundem in 4. minori tom. 1.

Tom. III. & IV. De Sedibus et Causis Morborum Per Anatomen Indagatis Libri quinque. An. 1761. ex Typographia Remondiniana Baſſani primum prodierunt, an. deinde 1762. recuſi fuerunt Neapoli ſumptibus Dominici Terres in 4.

Tom. V. Miscellanea Opuscula Tres in Partes Divisa. In I. Parte continentur quae ad rem medicam, & Anatomicam ſpectant, eaque ſunt:

Nova Inſtitutionum Medicarum Idea Patavii edita apud Coronam in 4. magno; & Lugduni Batavorum apud Langerak in 4. 1740. & cum Adverſariis conjuncta 1741.

De via atque ordine in tradenda publice Medicina atque Anatome Epiſtola ad Antonium Larber Archiatrum Baſſanenſem.

Prooemia quaedam Anatomicarum Praelectionum.

De Anatomicis Euſtachii Tabulis Epiſtola ad Ioannem Mariam Lanciſium. Edita haec epiſtola a Lanciſio fuit cum iisdem

dem Tabulis Euſtachianis Romae 1714. apud Gonzagam & Genevae 1717. cum Theatro Anatomico Mangeti apud Cramer & Perachon; & rurſus Romae 1728. ſumptibus Pagliarinorum, in fol.

De Glandulis Epiſtola ad Petrum Antonium Michelottum. Edita ab hoc fuit in ſuo de Separatione Fluidorum libro: Venetiis 1721. apud Pinellos in 4.

De Lacrymalibus ductibus, eorumque obſtructione epiſtola ad Dominicum Anelium, qui illam edidit in libro, cui titulus: Suite de la nouvelle methode de guerir les fiſtules &c. Taurini 1714. apud Maireſſe in 4.

De Lumbricis epiſtola ad Antonium Vallisnerium; a quo edita fuit in ſuo libro, qui inſcribitur: Conſiderazioni intorno alla generazione de vermi: Patavii 1711. typis Seminarii in 4. & recuſa inter illius opera: Venetiis 1733. apud Coletum in fol.

De acu intra veſicam intruſa, & de excreſcentia membranae adipoſae epiſtola ad Lucam Schroeckium: habetur in Centuria V. Ephemeridum Caeſareae N. C. Academiae: Norimbergae 1717. typis Heinii.

De Calculis Felleis Epiſtola ad eundem, eaque relata eſt in II. Volumen Actorum ejusdem Academiae. Ibid. 1730. typis Adelbulneri.

De venae cavae varicibus epiſtola ad Antonium Caeleſtinum Cocchium qui ei locum dedit inter ſuas epiſtolas phyſico-medicas, Romae 1725. apud Antonium de Rubeis in 4.

De

De veſicae calculis a Fratre Iacobo Beaulieu Patavii exſectis; & de caſu Corneliae Bandiae epiſtola ad Salvatorem Morandum.

In locum Vitruvii medicum epiſtola ad Ioannem Polenium. Extat in Exercitationibus Vitruvianis ſecundis Polenii 1739. Patavii typis Seminarii in fol.

De iis quae a Valſalva in Bononienſi Academia Inſtituti Scientiarum recitata fuerant epiſtola ad Franciſcum Mariam Zanottum. Extat in Tom. I. Commentariorum de eodem illo Inſtituto. Bononiae 1731. in 4.

Experimenta circa Aquam Calcis vivae. Habentur in citato volumine.

Reſponſum medico-legale circa obſtetricum judicium de mulieris virginitate. Romae 1739. typis Rev. Cam. Apoſtol. in 4.

Reſponſum medico-legale alterum ſuper ſeminis emittendi impotentia.

Reſponſum medico-legale tertium, an poſt ſeptem a conceptione menſes infans naſci poſſit vitalis & perfectus?

In A. Corn. Celſum & Q. Serenum Samonicum epiſtolae X. Harum primae quatuor Patavii prodierunt 1721. apud Cominum in 8. & Hagae Comitum 1724. apud Alberts in 4. & rurſus apud Cominum cum Celſo 1722. omnes autem tum ſolae, tum ſimul cum Celſo apud eundem Cominum 1750.

In II. Parte continentur quae ad Philologiam pertinent, eaque ſunt:

De

De Prosper Alpino epistolae duae ad Hieronymum Davidem Gaubium.

De Philologo Ravennate, & de Angelo Bolognino Epistola ad Ioannem Astruc, a quo edita fuerat in Tom. II. editionis secundae suorum de morbis venereis librorum. Parisiis 1740. in 4.

De vita & scriptis Dominici Guglielmini commentariolum. Extat in Centuria IV. Ephemeridum Caesareae N. C. Academiae, Norimbergae 1715. typis Adelbulneri, in operibus Guglielmini editis Genevae apud Cramer & Perachon an. 1719. in 4. in Bibliotheca Scriptorum Medicorum Mangeti, Genevae apud eosdem in fol. & in Decade I. Vitarum Italorum doctrina excellentium, qui Seculo XVIII. floruerunt. Romae apud Komareckium 1766, in 8.

De vita & scriptis Antonii Mariae Valsalvae commentariolum editum cum hujus operibus Venet. 1740. & 1741. in 4. & in memorata Decade Vitarum Italorum &c.

De genere mortis Cleopatrae epistolae duae ad Ioannem Mariam Lancisium, qui eas vulgavit in appendice ad Mercati Metallothecam Vaticanam, Romae 1719. typis Salvioni in fol.

De ordinario Frontini consulatu epistolae duae, quarum prima est ad Ioannem Polenum, qui eam vulgavit cum Frontino de Aquaeductibus 1722. Patavii typis Seminarii in 4. altera est ad Petrum Pluvenium S. I.

De quadam librorum M. Varronis particula, ut legitur in veteri codice, Epistola ad Ioannem Polenum. Extat in Tomo IV. della Raccolta d'opuscoli scientifici e filologici. Venezia 1730. appresso Cristoforo Zane in 12.

In Vitruvii locum ad tempus, quo is scripsit, attinentem, & in alterum veteris Auctoris compendii Architecturae epistola ad eundem Polenum.

Laudationes a Morgagno habitae olim cum Gymnasiarchas, aliosve Doctoris insignibus exornaret.

In Scriptores Rei Rusticae Epistolae IV. quarum unam dedit ad Iacobum Facciolatum, reliquas ad Iulium Pontaderam. Editae fuerunt Lipsiae cum iisdem scriptoribus Tom. II. 1735. sumptibus Fritschii in 4.

In III. Parte continentur Epistolae XIV. Historico-Criticae, Aemilianae dictae, non modo quia pleraeque olim scriptae fuerant in Aemilia, sed & quia omnes ad antiquitates, & geographiam attinent partis non modicae illius Provinciae.

Epistola ad Ioannem Mariam Lancisium de vena sine pari. Extat in opere cui titulus: Ioannis Mariae Lancisii &c. de motu Cordis & anevrysmatibus, Romae 1745. ex Typographia Palladis apud Fratres Palearinos in 4.

MEMORIA

VIRI

PRAENOBILISSIMI EXCELLENTISSIMI EXPERIENTISSIMIQVE

IOANNIS SEBASTIANI ALBRECHT

MEDICINAE DOCTORIS, IN ILLVSTRI GYMNASIO CASIMIRIANO ACADEMICO PHILOSOPHIAE NATURALIS PROFESSORIS PUBLICI, RURIS COBURGENSIS PHYSICI ATQUE ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM ADIUNCTI

ex

Programmate funebri depromta.

Longaevitate duce, comite sedulitate spartam inter Viros Primarios Academiae Imperialis Naturae Curiosorum ornavit Ioannes Sebastianus Albrecht, natus Coburgi Francorum d. IV. Iunii A. R. S. MDCXCV. Pater ipsi obtigit vir integerrimus Ioannes Christianus Albrecht, mercator ac civis ejus loci honestissimus, mater Margaretha ortu Haasia. Ab his parentibus a prima statim juventute non solum publicae scholae senatoriae praeceptoribus, & imprimis fideli informationi Dn. Christophori Knorri t. t. Rectoris, & Dn Bugelmanni Conrectoris clarissimi, sed etiam privatis fuit traditus, donec MDCCVIII. mense Aprilis superiorum nutu in Gymnasium Casimirianum illustre ac academicum translatus est. Ibi per septem annos a celeberrimis ejusdem Professoribus Dn. Ioanne Conrado Schwarzio, Theodoro Verpoortenio, Ioanne Achatio Colero, SS. Theologiae Licentiatis ac illustris Gymnasii academici Professoribus publicis, nec non a Dn. Ioanne Daniele Gihnlein, I. V. D. Paedagogiarcha, ac P. P. & Dn. Ernesto Salomone Cypriano, SS. Theologiae Doctore, eo tempore Gymnasii Directore, & Consistorii ecclesiastici assessore gravissimo; postea vero Sereniss. Principis Ducis Saxo-Gothani, Supremo a consiliis ecclesiasticis, ut & ab ejus in hoc munere successore maxime Reverendo Godofredo Ludovici, SS. Theologiae D. & Gymnasii Directore, privatim quoque a viro doctissimo Leonhardo Hofmanno, Philosophiae Magistro clarissimo, in literatura latina, graeca & hebraica, oratoria item & mathesi, physica, logica, politica, historia, jure naturae, theologia tum thetica, tum morali summa dexteritate fuit instructus. Positis hisce fundamentis parentum consensu, & amicorum consilio, habita prius valedictoria oratione, de admirandis naturae anno MDCCXIV. visis & hinc inde observatis, ad Almam Salanam profectus d. IX. Maii anno MDCCXV. a Pro-

rectore tunc temporis Magnifico, Dn. D. Ioanne Bernhardo Frieſen, Iurisconſulto, Aulae ac Synedrii ſancti Conſiliario Iſenacenſi, Anteceſſore Facult. Iur. Scabin. & Cur. Provinc. Aſſeſſore Excellentiſſimo, in numerum hujus Academiae ſtudioſorum receptus eſt. Hic igitur commoratus ſtudia mathematica aeque ac phyſica, tum theoretica tum experimentalia, ulterius praeeunte B. Dn. Georgio Alberto Hambergero, Mathematum ac Phyſices Profeſſore Excellentiſſimo, tractavit ſedulo. In experimentis phyſicis, ut & laboribus anatomicis, methodo ſecandi anatomica ad ductum collegii Ms. excellentiſſimi Bohnii, nec minus in excurſionibus botanicis, laudavit induſtriam Hermanni Friderici Teichmeyeri, Medicinae Doct. & Phyſices experimentalis P. P. O. Medico ſtudio operam dedit auſpiciis Illuſtris Georgii Wolfgangi Wedelii Theoret. P. P. Ordin. quem publice docentem audivit, phyſiologiam acroamaticam, pathologiam ſynopticam, methodum medendi, diaetamque medicam; privatim vero interfuit collegio examinatorio in theoremata medica, formulari, ſeu de medicamentorum compoſitione, politiae medicae, materiae ſimplicium demonſtrationibus, materiae medicae ad ductum Macaſii, pathologico-therapevtico, ut & practico de morbis mulierum. Inſuper anno MDCCXVII. die VII. Aprilis, ſub ejus praeſidio de aſthmate diſſertationem cum laude defendit. Excellentiſſimum vero Ioannem Adrianum Slevogtium, chirurgiae & botanices P. P. O. non ſolum quatuor cadavera, tria feminina & unum maſculinum, quam artificioſiſſime ſecantem vidit, adhibitis ſimul ſingulis operationibus chirurgicis, eo ordine, quo Dionis eas tractat, ſed etiam botanices fundamenta publicis lectionibus tradentem audivit. Porro per dimidium annum exercitio caſuali practico interfuit apud Ioannem Iacobum Fickium P. P. extraordinarium. Celeberrimi Ioannis Adolphi Wedelii etiam aſſiduus auditor fuit, cum inſtitutiones medicas bis, phyſiologiam, pathologiam, ſemioti-

cam, methodum medendi generalem Walaeanam, chirurgiam ad ductum Hornii in microtechne, chemiam, & operationes chemicas, casuale item practicum per totum annum, publice vero methodum medendi generalem, morbos medii & infimi ventris, infantum affectus, morbos externos explicaret. His itaque solide tractatis fructum laborum, honores medicinae summos, ambire non dubitavit, &, ut accessus sibi ad examina solemnia concederetur, modeste petiit. Eo magis autem ejus desiderio satisfactum est, quo magis semper ut genuinum artis filium se gessit. Primo itaque examine habito primus ipsi gradus honorum collatus est ex merito. Quo facto in Belgium se contulit, ubi in itinere statim Francofurti ad Moenum singularem expertus est humanitatem Dn. ab Uffenbach, cujus & bibliothecam celebratissimam, quantum per tempus licuit, perlustravit, nec minus Dn. Kisneri atque Dn. Büttneri, utrorumque medicinae Doctorum & practicorum ibidem celeberrimorum, insignem benevolentiam laudavit. Quum Lugdunum perveniisset, quantum per ferias subsequentes licuit, audivit viros celeberrimos Bernhardum Albinum & Hermannum Boerhaave, alterum praxin medicam tradentem, alterum in suas institutiones ac aphorismos commentantem, ad quos privatus quoque accessus semper patuit. Accedentibus jam feriis brevi Belgii perlustravit inclytas urbes, & Angliam quoque adiisset, nisi a ventis adversum tenentibus fuisset impeditus. Amstelodamum itaque rediit, ubi elegantissimis suis injectionibus praeparata & bina corpora infantilia balsamata, & plura alia anatomica illustris Ruyschius conspicienda benevole saepius concessit. Ibidem quoque in rem herbariam meritissimi aeque ac celeberrimi Casp. Commelini munificentiam ac humanitatem veneratus, nec minus sibi gratulatus est, quod in Io. Clerici, Petri Burmanni, Tiber. Hemsterhuis virorum clarissimorum notitiam pervenerit. Reditum in Germaniam parans Hamburgum accessit,

ceſſit, ubi inſignis humanitatis D. Falckii, viri, praeſertim in chemicis, curioſiſſimi & excellentiſſimi fructum percepit. Hic ipſi videre contigit caſu, quod evenit celeberrimo D. Kundmanno, vide ejusdem rariora naturae & artis ſect. II. artic. 33. p. 626. ſeqq. ſed impari fortuna, nam mutatum aurum non ipſi, ſed itineris ſocio Schutteo M. D. Anclamenſi accepiſſe obtigit. Poſtmodum in Herciniam ſe contulit, ut ibi quoque indagandis fodinis, metallorumque officinis deſiderii ſui compos fieret, ubi magno ſibi adminiculo fuit experientiſſimi D. Holzmanni reipubl. Goslarienſis phyſici opera atque humanitas, quibus peregrinos unice ſibi devincire ſtuduit. Tandem perluſtratis quoque vicinis academiis, & ibi quoque ſalutatis viris in arte medica celeberrimis, Bohnio, Rivino, Schachero, Hoffmanno, Stahlio, Alberti, Ienam rediit, ut propoſitum ſuum proſequeretur. Quumque in altero examine bene recteque ſteterit, ad cathedram publicam aditus ipſi conceſſus eſt habenda ſub praeſidio Excellentiſſimi D. Slevogtii diſſertatione inaugurali de ceruſſa.

Redux in urbem patriam factus a. d. XXII. Dec. A. MDCCXVIII. atque a Wedelio ſuo Beatiſſ. Duci Io. Ernesto, glor. mem. etiam atque etiam commendatus, Beatiſſ. Principibus juventutis Filiis ejusd. glor. mem. tum Hungariam & caſtra petentibus fere additus eſſet comes & medicus, niſi conſilio illo mutato, divino numine ſic dirigente, res aliter accidiſſet. Ad praxin enim ſe convertit medicam, cujus ope quot aegroti ſint levati, cives Coburgenſes fuerunt, atque adhuc ſunt teſtes fide digniſſimi. Non multo poſt a. d. XVI. Iun. A. MDCCXXI. interveniente Wedelio, munus phyſici Stolpenſis in Pomerania, conditione commodiſſima ei eſt oblatum, quod tamen ob res domeſticas, & pericula bellica tum maxime in illis regionibus metuenda ſuſcipere noluit; cujus recuſationis eum poſtea non poenituit, cum eandem urbem

urbem anno proxime ſequente fluminis cognominis abundatione graviter perculſam eſſe atque afflictam comperiret. Neque tamen latere potuit Coburgi, nam a. d. XV. Dec. MDCCXXX. a Perilluſtri Io. Iac. Baiero, Academiae Imperialis Natur. Curioſ. Praeſide, ejus Societatis Collega cognomine Panthemi eſt cooptatus. Aliquot annorum ſpatio interjecto in illuſtri hoc Gymnaſio Caſimiriano academico Profeſſio Philoſophiae Naturalis a. d. III. Septembr. A. MDCCXXXIV. ipſi eſt demandata, ad cujus ſuſceptionem oratione habita *de curioſitate phyſica*, *ejusque finibus regundis* aggreſſus eſt. Huic muneri, cui ſumma cum fide & induſtria, quoad corporis vires permitterent, praefuit, mox, videlicet ad diem XV. Mart. A. MDCCXXXVII. juſſu Beatiſſ. Ducc. Sax. Christiani Ernesti & Francisci Iosiae, quorum glor. eſt mem. aliud, ſcilicet illud Phyſici in agris Coburgenſibus eſt adjectum. Cum igitur fama, arte, ſcriptisque mox com. memorandis magis magisque inclareſceret, factum eſt, ut a Perilluſtri Andrea Elia Büchnero memoratae Academiae Imperialis Praeſide a. d. XX. Ian. MDCCXXXVIII. ejusdem Societatis Adjunctus pro Francia Orientali pronunciaretur. Quo honore eo fuit dignior, quo magis, ut ſuam artem elegantiori etiam eruditione ornaret, nunquam non allaboravit, quod ſtudium in eximia copia pinnarum, concharum, natricum, lapidum figuratorum odoratorumque, foſſilium, metallorum, marmorum, petrificatorum, quae vocant, aliarumque rerum naturalium e terris collibusque Coburgenſibus, magnam earum partem ſuppeditantibus, primum collecta, deinde commercio literario cum viris illuſtribus doctiſſimisque, variarum Academiarum urbiumque ornamentis, Baiero, Büchnero, Burggravio, Trewio, Brückmanno, (qui in epiſtolarum itinerariarum Cent. I. epiſt. XXXVII. & Cent. II. epiſt. XXIII. & LXXXV. ad noſtrum miſit b. D. Albrechtum) Delio, Meuſchenio, Nobili de Bailloux, aliisque inſtituto

ſtituto, cum rebus transmarinis atque adventiciis commutata, elucet, quem apparatum cum ſupellectili libraria phyſica, botanica, anatomica, aliaque non mediocri conjunctum adeo auxit, ut SERENISSIMOS etiam multosque alios & cives & peregrinos alliceret ſpectatores, atque rebus urbis noſtrae memorabilibus annumeraretur. Eadem politior doctrina in cauſſa fuit, cur Dux noſter SERENISSIMUS PATER PATRIAE hujusque Gymnaſii ALTOR INDULGENTISSIMUS ſuam Familiaeque clementiſſimae, quam Deus amet, valetudines, a. d. XVIII. Maii A. MDCCLVIII. ei traderet regendas. Quemadmodum igitur in caeteris rebus proſpera ſemper uſus eſt fortuna, ſic eadem in matrimoniis contrahendis illi non defuit. Nupſit enim ei a. d. XV. Octobr. A. MDCCXX. virgo ornatiſſima Anna Sophia Herzogia, unica, patreque jam orba filia, viri inſtructiſſimi Henr. Chriſtoph. Herzogii in aulis Ducum Saxoniae Pharmacopolae privilegiarii, & Margarethae Sophiae natae Heubliniae, eique quinque peperit liberos, e quibus ſola Ioanna Euphroſina, matrona omnibus ſexus ſui dotibus conſpicua b. Io. Chriſtoph. Sommeri Paſtoris quondam Simavienſis meritiſſimi vidua, vel propterea b. Parenti ſuo acceptiſſima, quia ei ob dilectiſſimam, quam eidem dederat, neptem, Sophiam Mariam Sommeriam, quae viro honeſtiſſimo Io. Friderico Herdae, mercatori & civi hujus urbis nupſit, ſuoque avo duos pronepotes Io. Chriſt. Sebaſtianum & Frider. Eliam Gottliebium genuit, proavorum etiam delicias experiundi fecit facultatem, eſt ſuperſtes. Prima autem conjux a. d. I. Febr. A. MDCCXXVII. non ſine magno vidui dolore, diem obiit ſupremum, quo facto duxit in matrimonium a. d. V. Aprilis A. MDCCXXVIII. Mariam Eleonoram, natam Hebereriam matronam lectiſſimam, Viri Cel. Io. Iuſti Bodenii. Ser. Duc. Sax. Salfeld, a Secretis & in Ill. hoc Gymnaſ. Mathem P. P. O. viduam, qua a. d. IX. Mart. A. MDCCXXXI, beate defuncta, tertiam conjugio ſibi conjunxit matronam honoratiſſimam, Annam Barbaram, nat.

Glaſeriam, Viri Conſultiſſ. Wolfgangi Andreae Meyeri I. V. D. & Advocati ordinarii viduam, quod matrimonium felicius reliquis fuit & diuturnius. Ante paucos enim annos, videlicet a. d. XXVII. Ian. A. MDCCLXXII. morte erepta ei eſt conjux deſideratiſſima, ex qua novem ſuſceperat liberos, quorum tres vivunt, optimumque lugent Parentem. Primus eſt Vir Praenobiliſſ. Experientiſſ. & Doctiſſ. Fridericus Ludovicus Albrecht, Med. D. & Ser. Duc. Sax. Hilperhuſ. in agro Sonnenfeldenſi Phyſicus, nat. a. d. XXV. Febr. A. MDCCXXXXI. Altera eſt matrona honoratiſſima, Conſtantia Eleonora Ulrica, Viri Conſultiſſ. Theodori Pauli Schmidii, Ser. Duc. Sax. Cob. & Saalf. Scribae Aedilicii vidua, in lucem edita a. d. XIV. Sept. A. MDCCXXXXII. Tertius eſt Vir integerrimus Io. Frid. Chriſt. Albrecht, mercator & civis Amſtelodamenſis natus a. d. XXII. Iun. a. MDCCXXXXIV. ex quo neptem ſibi genitam eſſe Annam Barbaram Iohannam itidem gaviſus eſt b. noſter D. Albrecht. De cujus valetudine nunc quaedam ſunt adjungenda, quae alias ſatis commoda fuit, ſi a febri illa periculoſiſſima eaque dyſenterica, cujus contagio tum per populum eſt graſſata, diſceſſeris, a qua a. d. XIX. Aug. A. MDCCXXXVI. correptum atque incredibili ardore peruſtum fere contabuiſſet corpuſculum, niſi idem, Deo ei medicinam faciente, id quod ipſe fatetur, critico, quem vocant, ſudore duodecim horas, & quod excurrit, manans, ſomnumque, quem duas hebdomades oculis ſuis non vidiſſet, dulcem capiens ſalubremque, a morbo illo tot hominibus parvulis adultisque peſtifero a. d. II. Sept. e. a. eſſet relictum. Ex ratione, qua hunc morbum, de quo ipſe retulit in Commerc. Phyſ. Techn. Medic. a. ejusd. hebd. XLV. p. 355. in commentariolis ſaepe commemoratis annotavit, colligere licet, quanta tandem pietate, diſſertiſſimis praeſertim Viri Ven. Chriſt. Wilh. Scherzeri, Subdiac. ad. d. Maur. adjutus & ſuſtentatus alloquiis, quantaque fide Deo Pacificatori habita ad ejusdem meritum applicuerit animum, eumque Servatori ſuo tradiderit.

rit. Morbum, quem mors ſequuta eſt, narravit Filius digniſſimus, verus eruditionis paternae haeres, cujus relationem ſubteximus.

Maxime venerandus & chariſſimus Pater, cujus cineres in tumulo adhuc pia memoria proſequar, obiit marasmo ſenili. Ante decem & quod excurrit abhinc annos morbo hypochondriaco-melancholico maxime rebelli laboravit, ex quo tempore ſemper ſomnus parcus & non reficiens fuit, appetitus periit, & vires ſenſim conſumebantur. Hoc ultimo praeſertim anno de infirmitate maxima, continuo frigore, ſomno interrupto, tuſſi pituitoſa, ſiccitate oris, pruritu & dolore artuum vago, atque de difficultate ſpirandi conquerebatur, quae ſymptomata ſenſim ſenſimque ingraveſcebant, & vires conſumebant atque corpus lente attenuabant, donec accedentibus ante XIV. circiter dies anorexia atque virium plenaria proſtratione, aſthmate pituitoſo, & continuo conatu vomendi, pulſuque admodum debili & languido, vitam ipſi eripiebant, ut placide in ſuo Servatore obdormiverit. Vixit annos ſeptuaginta novem, quatuor menſes & quatuor dies.

Index Scriptorum

B. D. ALBRECHT.

Diſſertatio inauguralis medica de Ceruſſa, ſub Praeſid. celeberr. Io. Hadr. Sievogtii, publice defenſa Jenae, d. 17. Decembr. 1718.

Programma, quo recentiorum plerorumque phyſicorum ſententia, foſſilia quaedam figurata diluvii univerſalis eſſe teſtimonia, ex aliquot antiquioribus ingeniorum monumentis adſtruitur & affirmatur, ſimulque ad audiendam orationem invitatur. P. P. a. d. IV. Id. Octobr. MDCCXXXIV.

Kurzgefaßter Unterricht von der in der Nähe hin und her einſchleichenden Hornviehſeuche, darinnen gelehret wird, worinnen ſie beſtehe, wie ihr moeglichſt vorzubeugen, und wie des kranken Viehes zu pflegen ſey, auf Hochfürſtlicher Regierung zu Coburg Special-Befehl dem Publico zum beſten in Eile entworfen. Coburg. 1742. 4.

Joach. Iungii Opuſcula botanico-phyſica, novisque annotatiunculis illuſtrata a D. Jo. Sebaſt. Albrecht Coburg. 1747. 4.

Programma ad natalia Chriſti celebranda 1748, de ſalicis roſis fictis, nec bonorum nec malorum nunciis, communi collegii profeſſorii nomine, vacante Directorate, ſcriptum.

Der kurzgefaßte Unterricht wegen der Hornviehſeuche &c. mit einigen noethigen Zuſätzen vermehrt. Coburg. 1749. 4.

Progr. invitator. ad orationem valedictoriam W. H. Fr. Nendwig, quo ſapientia & providentia divina, in aliis corporis humani partibus ab aliis, diverſis temporibus, demonſtrata, ex capitis humani ſitu ejusque partium concinno ordine delineatur. Coburg. 1750. 4.

Miſcellaneis phyſico-medicis Vratislavienſibus quae Erfurti ab anno 1724. usque ad 1730. typis impreſſa ſunt, inſeruit tredecim obſervationes.

Acta Phyſ. Med. Acad. Caeſ. Leopold. Car. Nat. Curioſorum locupletavit quinquaginta tribus obſervationibus rari ſelectique argumenti.

In Commercio Literario Norico Phyſico-Technico-Medico reperiuntur quadraginta duae obſervationes, quas vir laborioſiſſimus ſubinde conſignavit.

INDEX

INDEX

Aſteriſcus numeris praefixus indicat Appendicis paginas.

A.

Abano (*Petr. de*) citatur *236. 237
Abdominalis ſpasmus virtute moſchi victus 364
Abdominis ex contuſione inteſtinum ileum disruptum 322
Abſceſſuli frigidi *17
Abſceſſus nimis frequenti deligatione in ulcera mutantur *20
— turundis in fiſtulas deviant *21
Abſceſſus frigidi *25. ſcalpello & forcipe diſciſſi ſine dolore 26. 27
Abſceſſus gingivarum *46. ſeq.
Abſceſſus hepatis per urinam excretus 72
— cultro ſanatus 74 ſeq.
Abſceſſus hepatis lethalis 80 ſeq.
Abſceſſu in inguine paſſio iliaca graviſſima ſoluta 163
Abſceſſus internus lethalis 323
Abſceſſus oris non ſemper ſequuntur fiſtulae aut caries & exfoliatio oſſium maxillarium *53
Accareadore de ſvenno, nomen hiſpanicum atropae ſ. belladonnae *225
Acceſcentium eſus variolarum malignitatem non praecavet 349
Aceti naphthae praeparatio 238
Acida nitri & ſalis in uſus internos vocanda non ſunt *383
Acidi in igne electrico praeſentia demonſtratur 200
Acidularum & thermarum quarundam Helvetiae et adjacentium regionum qualitates *103
Acidularum uſus noxius in vitiis renum & veſicae 254
Acidum phoſphori metallis ineſt 202
Aconitum bacciferum vid. Actaea ſpicata
Aconitum lycoctonum *271. ejus characteres 272. effectus noxii *ibid.*
— Napellus 273. ejus characteres ib. effectus noxii 274 ſeq.
Aconiti Napelli radicis differentia a radice hellebori nigri veri 147. ſeq. effectus lethales 149
Aconitum racemoſum, vid. Actaea
Aconiti extractum eſt remedium antarthriticum *394
Acrimonia urinae producta urethrae exulceratio ſanata 259
Actaea, ſpicata *270. ejus characteres *ib.* effectus noxii 271

Actaeae spicatae radicis differentia a radice hellebori nigri veri 145
Actinia virginea; coccinea, tentaculis cylindricis annulatis 53
— truncata; conica glabra rufolutea *ib.*
— squamata; pulvinata, scabra, tentaculis subramosis 54
Adonidis perennis dodecapetali radicis differentia a radice hellebori nigri veri 145
Aegineta citatur 76
Aegopodium podagraria, quomodo differat a cicuta virosa 253
Aera, nomen graecum lolii temulenti *206
Aeris stagnantis, inclusi noxae *376
Aethiopis vegetabilis modus agendi in corpus humanum *386
Aethusa cynapium *257. ejus characteres *ibid.* effectus noxii 253
Aethusa cynapium, quomodo differat a conio maculato *242. a cicuta virosa 254
Aetius citatur 169
Affectibus periodicis omnibus medetur cortex peruvianus 23
Affectuum animi noxius effectus in puerperis 301
Agaricus, muscarius *327. ejus characteres *ib.* effectus noxii 328
Agave vid. Aloe
Agricolarum Insubriae morbus, Pelagra dictus 118. hactenus insanabilis 125.
Agrimoniae Eupatorii floris characteres emendati 172
Agrostis, nomen graecum bryoniae albae *25
Ailhaud pulveris noxii effectus 12
Alabastrino cortice tectum caput humanum 194
Alabastrites antiquorum describitur 186. unde nomen adeptus *ib.* ejus cum variis lapidibus, alabastri nomine insignitis, similitudines & differentiae 187. seq. ejus varietates *ib.* 193. est proprie alabastrum calcarium 198
Alabastrum, vasis unguentarii genus 186
— gelatum 191. calcareum 192. 194. gypseum *ib.* stalactitium 195. hujus notae *ib.* vitreum 197
Alberti citatur *218. 221. 222. 223. 224. 226. 227. 228. 231. 234.
Albinus citatur *132. 133. 134. 135. 137. 138. 141. 144. 146.
Albrecht citatur 301. 323. *226. 228. 229. 230. 231.
Albrecht (*Io. Seb.*) Memoria *435
Albucasis citatur 76
Alcalescentium ab esu abstinentia non praecavet malignitatem variolarum *346

Alcalina terrea pars magneſiae vitriariorum chemice examinata *329. ſeqq.
Aldrovandus citatur 191
Alfronke, Alfsranke, nomina belgica ſolani dulcamarae *232
Allen citatur *326
Allobrogum aqua mineralis *104
Aloes triſtia fata e gelu orta 216
Alpranken, *232
Alt-Waſſer, aqua mineralis Sileſiae *107
Alveolus dentis evulſi excretioni menſium inſerviens 273
Alvi obſtructio cum vomitu nivis externo uſu ſanata 209
Alvi obſtructio frequens haemorrhoidum cauſſa *42
Alumen e ſilice paratum *401
Amanita vid. Agaricus
Amatus Luſitanus citatur. *292. 326
Amavroſis perfecta utriusque oculi electricitate diſcuſſa 62
Ammannus citatur *247
Ampelos leuce, nomen graecum bryoniae albae *235
Ampelos melaina, nomen graecum clematidis vitalbae *282
Amputatio felix penis carcinomatoſi 229
Amuletum contra haemorrhoides *74
Anaſarca, liquore nitri fixi diſcuſſa 160. differt a leucophlegmatia 162
Anatome detectae cauſae quorundam morborum & mortis, non ita praeviſae 322
Anatome gravidae morte ſubitanea extinctae 277
Anatome infantis lacte nutricis, lue venerea affectae, necati 302
Anatome laqueo voluntarie ſuffocati 267
Anatome viri ex eſu baccarum atropae belladonnae demortui *355
Anatomica demonſtratio foetus bicipitis & bicorporei *129. ſeq.
Anatomica ſectio vid. Sectio.
Anatomico-phyſiologica obſervatio de foetu bicipite ad anteriora connato *159
Andreae fontis, prope Stuttgardiam, aqua mineralis *105
Andry citatur *245. 246. 247. 325
Anemone, *vvilde vveiſſe*, *281. *hanenfusartige* 282
Anemone, Pulſatilla, *278. ejus characteres 279. effectus noxii 280
— nemoroſa 280. ejus characteres 281. effectus noxii ib.
— ranunculoides 281. ejus characteres 282. effectus noxii ib.
Anevriſmata vaſorum lymphaticorum *13
Angelica ſylveſtris, quomodo differat a cicuta viroſa ſ. aquatica 253
Anger citatur *137
Ani procidentiae cauſſae *88. remedia 89. ſeq. repoſitio 90
Animadverſiones quaedam botanicae 170

Animalis rabidi morſus non ſola eſt cauſſa hydrophobiae 110
Animalium corpora graviter laedentia venena non ſemper hominibus nocent, & vice verſa *203
Animalium & vegetabilium quaedam differentiae ſexus recenſentur 90. ſeq.
Annihilatio foetus in utero materno, quid? *195.
Anorea, nomen hiſpanicum bryoniae *235
Antiſepticorum diviſiones in claſſes, ordines, genera & ſpecies *372. ſeq. uſus in morbis 379
Antiſepticorum & ſepticorum indolem illuſtrantia experimenta & obſervationes *353
Anydron, nomen graecum atropae ſ. belladonnae *225
Aphonia aliaque incommoda vermium ejectione ſanata 261
Apollinaris Cordi *216
Aprilblume, vveiſſe *281
Aqua gelida, copioſe fluentibus haemorrhodibus, ano applicata ſine effectu & noxa *74
Aquae marinae effectus ſalutares & nocivi *385
Aquarum quarundam mineralium Helvetiae & adjacentium regionum qualitates *103
Aquapendente (Fabric. ab) citatur 76
Arcanum *Herrenſchvvandi* contra taeniam 22
Archezoſtis, nomen graecum bryoniae albae *235
Arenoſis concretionibus obſeſſus uterus & placenta gravidae 273
Arnoldi (Georg. Chriſt.) Obſervatio anatomico-phyſiologica de foetu bicipite ad anteriora connato *59. ſeq.
Aron *322
Arteriae aſperae in ramis multiformia concrementa polypoſa generari poſſunt 167
Arteriae aſperae vulnus transverſale grave ſanatum 244. non opus habet ſutura cruenta 248
Arteriae divulſae parum aut nihil cruoris emittunt 297
Arteriae iſchio-cavernoſae, pene cancroſo reſecto, ambae ſunt ligandae 233
Arteriae phrenicae diuturnum vomitum conſecuta ruptura inopinatae mortis cauſa 36. ſeq.
Arteriae thyroideae vid. Thyroideae.
Arthritica materia retrocedens amavroſeos cauſſa 62
Artus foetus ſuperiores celerius grandeſcunt *169
Arum, maculatum *321, ejus characteres 322. effectus noxii 323
Aſarum *320. ejus characteres 321. effectus noxii ib.
Aſcidia inteſtinalis; elongata, laevis, alba, interaneo in collum producto 51

Aſcidia gelatina; dilatata, laevis, alba, interaneo ſuborbiculato 52
— mammilla; globoſa laevis alba, foramine ſolitario 52
Aſtrantiae radicis differentia a radice hellebori nigri veri 146. ſeq.
Atmoſphaera Lucenſium thermarum deſcribitur 1. ſeq.
Atriplex vid. Chenopodium
Atropae (Belladonnae) characteres *224. ſeq. effectus noxii 226. ſeq. virulentia fixae magis acrimoniae, quam volaticae debetur 231
Atropae belladonnae effectus lethalis in viro ſexagenario *354
— modi agendi in corpus humanum 357. 388.
— baccarum ſucci expreſſi effectus in craſſamentum & ſerum ſanguinis 360. ſeq.
Aurium ſtrepitus chronici hiſtoria *92. ſeq. ſpecies, ib. nec coryza nec ſudore ulla diminutio 93
Autochire ſuſpendio ad vitam revocatus 264. non ad vitam revocati anatome 267

B.

Baadhaus, aqua mineralis *104
Baccarum atropae belladonnae lethalis effectus *354
Bacinet blanc, nomen gallicum anemones nemoroſae *280
— petit 287
Bacon citatur *274. 276. 277
Bactiacenſis aqua mineralis *104
Badenſis Helvetiorum aqua mineralis *105
Baglivius citatur 169. 206
Bangenkraut *238
Barrere citatur *219. 221. 222. 223.
Bartholinus (*Th.*) citatur 210. 294. *130. 140. 175.
Barykokkalon, nomen graecum Daturae *211
Batarra citatur *326
Batrachion arnogloſſophyllon, platyphyllon, nomina graeca ranunculi flammulae *285
Bauhinus (*C*) citatur *274. 275. 276. 277. 278.
Bauhinus (*Io.*) citatur *130. 162. 212. 213. 219. 221. 222. 260. 268. 272. 274. 275. 276. 278. 280. 287. 293. 295. 299. 304. 305.
Baulduc citatur *226. 227. 228. 229. 230. 231.
Baumé citatur *399
Baumer citatur 191
Bauzenkraut *251
Bearfoot, - wort, nomina anglica hellebori foetidi *300
Bechus 51
Behrens citatur *245. 247
Belend, nomen hungaricum hyoſcyami nigri *216
Belfortis citatur *326
Belladonna vid. Atropa belladonna.

Bendtſch, nomen arabicum hyoſcyami nigri *216
Benedictus citatur 168
Bengelkraut, beſtändiges *324
Bergpfeffer *317
Bertrand citatur 75. *218
Betneka-murie, nomen lapponicum Actaeae *270
Beuwin, nomen hungaricum conii maculati *238
Beyerſten citatur *250
Bicipitis foetus ad anteriora connati ſectio anatomica *159
Bicipitis foetus origo *193
Bicipitis & bicorporei foetus demonſtratio anatomica *129. ſq.
Bierchen citatur 159
Bierling citatur *219
Bilguer citatur 248
Biliarium vaſorum varia conformatio 290
Bilſen, Bilſenkruyd, nomina belgica hyoſcyami nigri *216
Bilſenkraut, ſchwarzes, *216
— *ſamen.* ibid.
Bingen (*de*) citatur 128
Binninger citatur *326. 327
Bitterſoet, nomen belgicum ſolani dulcamarae *232
Bitterſüs *232
Bitter-ſweet, nomen anglicum ſolani dulcamarae *232
Blair citatur *219. 223. 226. 258. 259.
Blaſius citatur 290
Blumenſteinenſis aqua mineralis *103
Boccone citatur *234. 247
Bodaeus a Stapel citatur *226. 227 231.
Boecler citatur *280
Boenneken citatur 232. 251
Boerhaave citatur 121. 205. 206. 285. 316. *13. 42. *234. 245. 247. 264.
Boetius de Boot citatur 187. 188
Bolbos agrios, nomen graecum colchici *262
Bolchlaw, nomen anglicum conii *238
Boleti phalli duae ſpecies deſcribuntur *107
Boleti larva & phalaena deſcribuntur 327
Bollvvurz *225
Bomare (*de*) citatur 196
Bombus, ſpecies ſtrepitus aurium *92
Bonnet citatur 75. 77
Borellus (*P.*) citatur *218. 219. 221.
Borrichius citatur *269
Botallus citatur *326. 327
Botanicae quaedam animadverſiones 170
Botanices ſumma utilitas *202
Bourreau des arbres, nomen gallicum ſolani dulcamarae *232
Boyle citatur 34
Brachium infantis in partu praeternaturali ex articulatione ſcapulae avulſum, vulnere poſtea ſanato 294
Bradley citatur *274. 275. 278. 318.

Braſſavola citatur *245. 248
Braunſtein, derber, druſenartiger, ſchuppiger, ſtrahliger, *331
Brendel citatur *144
Brennvvurzel *284
Bromfield citatur 231. *226. 229. 234.
Broſſe (de la) citatur *326
Brovvn (Thom.) citatur 290
Brückmann citatur 192. 196
Brüttelenſis aqua mineralis *105
Brunnenbach, aqua mineralis *106
Bruyn (Corn. le) citatur 191
Bryonia alba *235. ejus characteres 236. effectus noxii ibid. ſeq.
Bryonie, witte, nomen belgicum bryoniae *235
Bryony, white, nomen anglicum bryoniae *235
Bryoron, nomen graecum atropae ſ. belladonnae *224
Buchananus citatur *226. 227. 230.
Budaeus citatur 311
Büchner citatur *213. 214. 215. 218. 221. 247. 255.
Büttnerus citatur *146
Buquet citatur 196
Burghart citatur *209
Burton citatur *168
Buſchmoeren *259

C.

Cabaret, nomen gallicum aſari *321
Cactus vid. Cereus
Caeſalpinus citatur 189
Calcareae terrae obſtructiones glandularum ſolvunt *386
Calcarius lapis vid. Lapis calcarius
Calces metallicas parandi varii modi, illarum & exinde paratorum vitrorum, nec non earundem in vitrum album diaphanum inſerti, colores deſcribuntur 199. ſeq.
Calculi veſicae praegrandes per urethram excreti 249
Calculis acutis obſeſſus uterus & placenta gravidae 273
Caltha, paluſtris, *301. ejus characteres 302. effectus noxii ib.
Calvariae laeſio vehemens, a praecipitatione ex equo, quinque vicibus trepano ſubjecta 113
Camerarius (El.) citatur *218. 222. 223. 224. 226. 228. 229. 230. 234. 235.
Camerarius (Iac. Rud.) citatur 144. *208. 209
Camphorae, in variolis externe adhibitae, effectus 342. ſeq.
Canaheja, nomen hiſpanicum conii *238
Cancer verus extracto cicutae nunquam curatur *391
Cancri mammarum exulcerati foetorem arcendi modus 235
Cancro mammae exulcerato cataplaſma e radicibus dauci ſati-

vi ſine optato effectu applicatum 156
Cancroſum faciei ulcus cataplaſmate e radicibus dauci ſativi ſanatum 155
Capitis laeſio vehemens quinque vicibus trepano ſubjecta 113
Caput humanum alabaſtrino cortice tectum 194
Carben, aqua mineralis *106
Carcinoma vid. Cancer.
Carcinomatoſi penis felix amputatio 229
Cardanus citatur *327
Cardialgia cortice peruviano ſublata 25. 27
Cardialgiae caute adhibenda ſunt ſpirituoſa 12
Cari Carvi characteres emendati 170
Caries oſſium maxillarium non ſemper ſequitur abſceſſus gingivarum annoſiores *53
Carl citatur *226. 229. 230
Cartheuſer citatur 190. *267. *400. 401.
Cartilagines thyroideae vid. Thyroideae.
Catamenia vid. Menſes.
Cataplaſmatis e radicibus dauci ſativi effectus inſignis in ulcere faciei cancroſo, at exiguus in cancro mammae exulcerato 155
Ceguë, Ciguë, nomina gallica conii maculati *238
— des eaux *251
Ceguta, nomen hiſpanicum conii *238
Celſus citatur 43. 162 *136.
Cephalaea venerea liquore mercuriali *Svvietenii* ſanata *394
Ceraſtii aquatici floris characteres emendati 171
Cerebri proceſſuum mammillarium cum naribus connexio 293
Cerefolium vid. Chaerophyllum, Scandix.
Cereus, gelu, igne, ferro, martyr, ſuperſtes 214. ſeq.
Chaerophylla, bulboſum, hirſutum, ſylveſtre, temulentum, quomodo a conio maculato differant, 242. 243. a cicuta viroſa 254
Chaerophyllum ſylveſtre *259. ejus characteres ib. effectus noxii 260
— bulboſum 260. ejus characteres ib. ſeq. effectus noxii 261
— temulum 261. ejus characteres ib.
Chamaeleon mineralis *338
Chamaeleuce, nomen graecum calthae paluſtris *301
Chamaepitys vid. Teucrium
Chamaeſyce vid. Euphorbia.
Champagner Wurzel 266
Characias vid. Euphorbia amygdaloides.
Charlotten-Brunn, aqua mineralis *108

Cheli-

Chelidonios, nomen graecum bryoniae albae *235
Chelidonium minus vid. Ranunculus Ficaria.
Chemica diatribe, vitriariorum magnesiam ejusque partem terream alcalinam considerans. *329. seq.
Chemica disquisitio de silice *397
Chenopodium, hybridum *316 ejus characteres ib. effectus noxii 317
Chesneau, (*Nic.*) citatur *283. 295.
Cherbachen abaid, nomen arabicum veratri albi *266
Chevalier citatur *218. 220. 224
Chinae cortex vid. Cortex peruvianus.
Christellus citatur *146
Christophoriana vid. Actaea spicata.
Christophoriana Actaea, vid. Actaea.
Christophskraut, *-wurz* *270
Christwurz *300
Chrysosplenii alternifolii & oppositifolii florum characteres emendati 171
Cicuta vid. Conium maculatum.
Cicuta minor vid. Aethusa Cynapium.
Cicuta virosa, quomodo differat a conio maculato *241
Cicuta virosa s. aquatica *250. ejus characteres 251. seq. differentia ab oenanthe fistulosa & crocata 252. phellandrio aquatico ibid. conio maculato 253. angelica sylvestri ib. aegopodio podagraria ib. ligustico peloponnesiaco ib. sio latifolio & nodifloro ib. 254. aethusa cynapio 254. petroselino ib. scandice ib. chaerophyllis ib.
Cicutaria vid. Aethusa Cynapium, Chaerophyllum.
Cicutaria latifolia foetida, quomodo differat a conio maculato? *240
— palustris tenuifolia quomodo differat a conio maculato? 241
Cirsii pratensis polycephali vulgaris capitula gestata contra haemorrhoides, sed incassum *74
Cission, Cissanthemon, Cissophyllon, nomina graeca clematidis *282
Clauderus citatur *218. 219. 222 223
Clematis, Vitalba, *282. ejus characteres 283. effectus noxii ib.
— Flammula 284. ejus characteres ib. effectus noxii ib.
Climers, nomen anglicum clematidis flammulae *284
Clivensis aqua mineralis *106
Clysmata & suppositorium ore reddita 207
Coalitus hymenis retentionis mensium caussa 105. sectione sublata 107
Cockowpint, nomen anglicum ari *322

Cocue, nomen gallicum conii *238
Codovvenſis aqua mineralis *109 varia cum illa inſtituta experimenta ibid.
Coffee uſus haemorrhoidariis inſalubris, pellens *74
Colchicum autumnale *262. ejus characteres 263. effectus noxii 264
Coleuvre, Coleuvrèe, Colubrine, nomina gallica bryoniae albae *235
Collo infantis obvolutus funiculus umbilicalis hydrocephalum efficit *131
Colores vitrorum e calcibus metallicis paratorum, ut & harum in vitrum album diaphanum inſerti deſcribuntur 199. ſeq.
Columbus citatur *136
Concharum praeparatarum effectus in craſſamentum & ſerum ſanguinis *360. ſeq.
Concrementa membranoſa cum purulentis ſputis ejecta 165
Conium maculatum ſ. Cicuta *237. ejus nomina graeca 238. characteres ib. ſeq. differentia a liguſtico peloponneſiaco 240. oenanthe fiſtuloſa & crocata ib. 241. phellandrio aquatico 241. cicuta viroſa ib. aethuſa cynapio 242. ſcandice cerefolio & odorata ib. chaerophyllis ſylveſtri, bulboſo, hirſuto, temulento ib. 243. petroſelino 244. effectus noxii 244. ſeq.
Conii maculati ſucci expreſſi effectus in craſſamentum & ſerum ſanguinis *360. ſeq.
Conii maculati vires venenatae *387. & medicatae 388
Convulſivus morbus per purgantia excitatus 12. ſeq.
Coquelourde, nomen gallicum pulſatillae *279
Coqueluchon, nomen gallicum aconiti napelli *273
Corcellus citatur *131
Cordis palpitatio, vid. Palpitatio cordis.
Cordis ventriculus ſiniſter abſque cauſſa manifeſta ruptus 212
Cordus (*Val.*) citatur *249. 264 282.
Cornus ſanguineae floris characteres emendati 170
Cornutus penis ſanatus 233
Corſenae vid. Lucenſium thermarum.
Cortex chinae, vid. Cortex peruvianus.
Cortex peruvianus emphraxis inteſtini recti praecipua cauſſa 221
Corticis peruviani inſignis uſus in omnibus affectibus periodicis 23. in ſpaſmo maxillae utriusque periodico 24. odontalgia & dolore maxillae 25. cardialgia flatulento - ſpaſmodica ib. ſeq. 27
Coryza ſtrepitus aurium non diminutus *93

Couvper citatur *132. 136. 137. 138. 145.
Cranii laesio vehemens, a praecipitatione ex equo, quinque vicibus trepano subjecta 113
Crantz citatur *219. 221. 222. 226. 227. 236.
Crassamentum sanguinis vid. Sanguinis crassamentum.
Crassulae generis 28. novae species in Capite bonae spei detectae describuntur, nimirum Crassula cordata 330. spatulata ib. tecta 331. hemisphaerica ib. montana 332. barbata ib. cotyledonis ib. tomentosa 333. cephalophora ib. spicata ib. deltoidea 334. corallina ib. vestita 335. columnaris ib. pyramidalis ib alpestris 336. turrita ib. rupestris 337. argentea ib. retroflexa 338. perforata ib. thyrsiflora 339. capitella ib. crenulata ib. pubescens 340. mollis ib. ramosa 341. adscendens ib.
Crataegi Oxyacanthae characteres emendati 172
Cronstedt citatur 190. 191. *342
Crowfoot, nomen anglicum ranunculi *285. 286. 287. 288. 292. 294. 296. 298. 299.
Cruor sanguinis vid. Sanguinis crassamentum.
Crurum febris topica *21
Crustulae lenticulares *12
Cuvage, nomen gallicum polygoni hydropiperis *319
Cynicus spasmus curatus 236
Cynocrambe vid. Mercurialis.
Czaschelius citatur 75

D.

Dactylitis, nomen graecum digitalis *304
Dalechamp citatur *258
Daphne. Mezereum, *317. ejus characteres ib. seq. effectus noxii 318
Darnel, nomen anglicum lolii temulenti *206
Daturae characteres *210. 215. seq. effectus noxii 212. seq. 215.
Daubentonius citatur 186. 194
Dauci sativi e radicibus confecti cataplasmatis effectus insignis in ulcere faciei cancroso, at exiguus in cancro mammarum exulcerato 155
Decoctum lignorum in lue venerea summe efficax 306 seq.
Degner citatur *226
Deligatio absceſſuum nimis frequens nocet *20
Delineatio foetus primitiva, quid? *194
Delius citatur 220. 221. 251. *359 369. 386.
Demonstratio anatomica foetus bicipitis & bicorporei *129. seq.
Dens elephantinus molaris sub terra calcinatus 367
Dentis evulsi ex alveolo mensium excretio 253
Dessenius citatur *269

Diatribe chemica, vitriariorum magnesiam ejusque partem terream, alcalinam considerans *329. seq.
Differentiae quaedam sexus, cum in animalibus, tum in vegetabilibus, recensentur 90. seq.
Digitalis, purpurea *304. ejus characteres ib. effectus noxii 305
Dillenius citatur *226. 230. 231
Dioscorides citatur 186. *226. 284.
Dippelhaber *206
Disquisitio chimica de silice *397
Diverticulum intestini ilei 9. ro.
Dobrzensky citatur *269
Dodonaeus citatur *274. 275. 278.
Doederlinus citatur *212
Dolcamara, nomen italicum solani dulcamarae *231
Dolik, nomen belgicum lolii temulenti *206
Dollen-appel, nomen belgicum Daturae *211
Doris clavigera; ovalis candida, pedicellis clavatis croceis 48
— fasciculata; oblonga, alba, fasciculis marginalibus fuscis 49
— quadrilineata; oblonga alba, lineis quatuor nigris, auriculis sulphureis 50
— tuberculata; ovata, supra undique verrucosa 50
Dornapfel *211
Dorn-appel, nomen belgicum Daturae *211
Dotterblume *302
Douceamere, nomen gallicum solani dulcamarae *232
Douve, la, nomen gallicum ranunculi flammulae *285
Dran, (*le*) citatur 233
Drelincurt citatur *248. 249
Drüsvvurz *292
Dulcamara vid. Solanum.
Dulcruyd, nomen belgicum atropae s. belladonnae *225
Dulle besien, nomen belgicum atropae s. belladonnae *225
Durt *206
Dwale, nomen anglicum atropae s. belladonnae *225
Dysenteria epidemica Peylaviae *35. seq.
Dysenteriae signum pathognomonicum tenesmus *38

E.

Ebrodunensis aqua minerasis *104
Ebur fossile Spirense 367
Echetrosis, nomen graecum bryoniae albae *235
Ectemata *5
Eems (*van*) citatur *215. 218
Ehrhard citatur 140. *219. 221. 228. 231. 245. 246. 247. 248. 249. 274. 278. 302. 306. 307.
Eisenhütlein, *gelbes* *271
— *blaues* 273
Electricitate amavrosis perfecta utriusque oculi discussa 62
Electricitate res fere omnes metallicae in calcem converti possunt 200

Elephantinus dens molaris ſub terra calcinatus 367
Elleborus vid. Helleborus.
Ellebore, veratre blanche; nomina gallica veratri albi *266
Emphraxis inteſtini recti, praecipue a cortice peruviano 221
Emulgentes venae, vid. Venae emulgentes.
Endormie, nomen gallicum hyoſcyami nigri *216
Enemata & ſuppoſitorium ore reddita 207
Enoron, nomen graecum atropae ſ. belladonnae *225
Enulae radix raſpata, butyro frixa, eſt remedium in ſcabie aliisque morbis cutaneis *12
Enulae unguenti deſcriptio *97
Enzian, vveiſſer, *235
Erba di St. Chriſtoforo *270
Eſchenbach citatur *137
Eſclere, petite, nomen gallicum ranunculi ficariae *287
Eſelsmilch *313
Eſſerae *9. 12.
Eſula, vid. Euphorbia.
Etlinger citatur *255
Ettmüllerus citatur 206. *221. 267. 268.
Evolutio foetus in utero materno, quid? *194
Euphorbia, Chamaeſyce, *307. ejus characteres ib.
— Peplus, 308. ejus characteres ib.
— exigua acuta 309. ejus characteres ib.
Euphorbia, paralias 309. ejus characteres 310
— helioſcopia 310. ejus characteres ib. ſeq.
— verrucoſa 311. ejus characteres ib.
— platyphyllos 312. ejus characteres ib.
— Eſula, 313. ejus characteres ib.
— cypariſſias 314. ejus characteres ib.
— amygdaloides 314. ejus characteres 315.
— ſylvatica 315. ejus characteres ib.
Euphorbie, niedrige *307
— *runde* 308
— *kleine* 309
— *Waſſer-* 309
— *vvarzige* 311
— *breitblaetterichte* 312
— *Cypreſſen-* 314
— *Mandel-* 315
— *Wald-* 315
Euſtachius citatur *136. 140
Exanthemata miliaria rubra lymphatica *3. purulenta *6. alba *8. parva opaca *10
Exanthematum chronicorum hiſtoria *94 ſeq.
Exanthematici morbi multiformis hiſtoria *3. ſeq.
Exoſtoſis maxillae inferioris ſectione ablata 27. ſeq.
Experimenta & obſervationes ſepticorum & antiſepticorum indolem illuſtrantia *353

Exulceratio urethrae ab acrimonia ſeri urinarii curata 259

F.

Faber, (*Io. Matth.*) citatur *218 219. 221. 223. 224. 226. 228 229. 230. 231.
Fabricius ab Aquapendente citatur 76
Faciei frontis puſtulae panacea mercuriali ſanantur *128
Faciei ulcus cancroſum cataplaſmate e radicibus dauci ſativi ſanatum 155
Faeces inteſtinorum per penem exoneratae *197
Fallopius citatur *138. *267. 268. 270.
Faſcia haemorrhoidalis *75
Faule Grete *257
Faye (*de la*) citatur 225. 228. 243.
Febris cruribus topica *21
Febris nervoſo-putridae hiſtoria 175. ſeqq. praecipua ſymptomata 188
Febre morbilloſa nervorum morbus ſublatus 20
Febre putrida petechiali laboranti foeminae ſenſus frigoris in ventriculo & inteſtinis 55
Feigvvarzenkraut *288
Fellea veſicula ramulos quosdam ex hepatis ſubſtantia recipit 291
Felleorum vaſorum varia conformatio 290
Fellin-Wood, nomen anglicum ſolani dulcamarae *232
Ferrum compactum *331
— intricatum ib.
— mineraliſatum *330
— nigricans, ſplendens, e centro radiatum ib.
— radiatum *331
— reniforme ib.
Feſſera, Feſire, Alfeſcera, Alfeſire, nomina maurica bryoniae albae *235
Feu ardent, nomen gallicum bryoniae *235
Feyer unyors, nomen hungaricum veratri albi *266
Fingerhut, *purpurrother* *304
Fioravanti citatur *290
Fiſſurae ſuris cruentae *7. 9
Fiſtulae non ſemper ſequuntur abſceſſus gingivarum licet annoſiores *53
Flatulento-ſpaſmodica cardialgia cortice peruviano ſublata 25 ſeq.
Fliegenſchvvamm *327
Fliehenſis aqua mineralis *104
Flöhkraut, *ſcharffes* *319
Floyerus citatur *233. 247
Fodi Tock, nomen hungaricum bryoniae albae *235
Foeminae, febre putrida petechiali laboranti, ſenſus ſingularis frigoris in ventriculo & inteſtinis 55
Foeminis mercurialia non tam ſalutaria ſunt, quam maribus 306

Foetorem in cancro mammarum exulcerato arcendi modus 235
Foetus bicipitis ad anteriora connati sectio anatomica *159. seq.
Foetus bicipitis & bicorporei & demonstratio anatomica *129. seq.
Foetus bicipitis origo *193
Foetus brachium in partu praeternaturali ex articulatione scapulae avulsum, vulnere postea sanato 294
Follfoot, nomen anglicum asari *320
Folliculus felleus vid. Vesicula fellea.
Fordice citatur 307
Foreſtus citatur 317. *267. 263. 269. 326.
Forficula, noctambulo, devastator 219, seq.
Foxglove, nomen anglicum digitalis *304
Fractura calvariae vehemens, a praecipitatione ex equo, quinque vicibus trepano subjecta 113
Frigida aqua, copiose fluentibus haemorrhoidibus, ano sine effectu & noxa applicata *74
Frigoris sensus singularis in ventriculo & intestinis foeminae febre putrida petechiali laborantis 55
Fritſch citatur *247. 248
Frontis faciei pustulae panacea mercuriali sanantur *128
Froſchpfeffer *289
Fungorum character communis *325. effectus noxii ibid. nocentissimorum characteres ib. conf. Agaricus.
Funiculus umbilicalis, circa collum obvolutus, hydrocephalum efficit *131
Furunculi *17. seq.

G.

Gaenſeſus, unaechter *316
Galenus citatur 163. 167. 232. *138. 306. 326.
Gans de notre Dame, nomen gallicum digitalis *304
Garengeot citatur 249. *133. 134 138. 139. 142.
Garidel citatur *219. 221. 265
Gataker citatur *234
Gelida aqua, copiose fluentibus haemorrhoidibus, ano sine effectu & noxa applicata *74
Gelkflower, nomen anglicum calthae paluſtris 302
Gelu effectus diversi in cereum & aloen 214. 216
Gerard citatur *226. 231
Geſner citatur 323. 367
Geſnerus (C.) citatur *268. 274
Gichtrebe, Gichtrübe, Gichtwurz *235
Gingivarum abscessus *46. seq.
Gioglio, nomen italicum lolii temulenti *206
Giusquiamo, nomen italicum hyoscyami nigri *216
Glandularum tumores scrophulares interni 85. lethales 87
Gleditſch citatur *304
Gleiſſe *257

Gliſſonius citatur *143
Gmelin (*Eberh.*) Experimenta & obſervationes ſepticorum & antiſepticorum indolem illuſtrantia *353
Gmelin (*I. C.*) citatur *218. 219 221. 222. 223. 224.
Gmelin (*Io. Frid.*) Hiſtoria venenorum vegetabilium Sueviae indigenorum *201
Gmelin (*I. G.*) citatur *218. 220 221. 222. 223. 267. 270. 281.
Goeckel citatur *226. 227. 228 230. 231.
Goldvvieſenblume *302
Gonorrhoeae virulentae medetur panacea mercurialis *127
Gorterus citatur *121
Graf citatur *244. 246. 247
Gramen loliaceum vid. Lolium temulentum.
Graſ citatur *268. 269
Gravidae feminae uterus & placenta acutis petrefactis punctis obſeſſa 270
Gravidae morte ſubitanea extinctae hiſtoria & anatome 277
Graviditas cum continuo catameniorum defectu, horumque praeternaturalis poſt partum excretio 253
Greiſelius citatur 75
Grenouillette aquatique, nomen gallicum ranunculi ſcelerati *289
Grevv citatur *267. 268
Grimm citatur *227. 228. 229 230.
Grünvvald citatur *218. 219. 220 221.
Grundelius citatur *274. 277
Guerin citatur *213. 215. 228 230. 234. 318. 325.
Guiſart citatur *325. 326
Guldenklee (*a*) citatur 245. 246 247. 249. 307. 326.
Gurnigelenſis aqua mineralis *103
Guſtatorius nervus ad cutem occipitis reflexus *197
Gutta ſerena vid. Amavroſis.

H.

Haemorrhoidum fluxus hiſtoria *72. imminentis ſigna 73. cauſſa 73. ſeq. remedia 74. 75. 76 effectus ſalutares & nocivi 84. 85
Haemorrhoidalis faſcia *75
Haen (*de*) citatur 21. 230. 323 *134. 138. 226. 229. 230.
Hagedorn citatur *219. 222. 247.
Hagen citatur *338
Hagen (*Car. God.*) Diatribe chemica, vitriariorum magneſiam ejusque partem terream alcalinam conſiderans *329. ſeq.
Haguenot citatur 210
Hain citatur *274. 275. 277
Haller citatur 42. 43. 121. 147. 170. 172. 206. 317. *130. 131. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 142. 143. 144. 146. 160. 168. 172. 173. 174. 175. 176. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184.

184. 185. 186. 188. 190. 191. 194. 197. 199. 214. 218. 219. 220. 222. 223. 227. 245. 258. 264. 265. 267. 274. 275. 281. 286. 287. 302. 305. 317. 320. 323. 325. 328.
Hameb alcha chaich, Hamebathanaleb, Hanabalthaleb, nomina arabica ſolani nigri *233
Hanebane, nomen gallicum hyoſcyami nigri *216
Hanebane, Henbane, Henbayne, Hennequalt, nomina anglica hyoſcyami nigri *216
Hanenfus, *Sumpf*, - *Waſſer*- *285. 286. 289
— *boeſeſter*, *brennender* 289
— *knolliger* 292
— *brennender*, *ſcharfer* 294
— *Acker*- 296
— *groſſer vveiſſer* 298
— *vveiſſer Waſſer*- 299
Harderus citatur *246. 247
Harveius citatur *172. 182
Haſelvvurz *321
Haſeneſt citatur *226. 227. 229 230.
Hatte citatur *326. 327
Hebenſtreit citatur 190. *174
Hee citatur *244. 245. 246. 247. 248.
Heiſter citatur *141
Held ab Hagelsheim citatur *255 256. 260.
Helenii radix, butyro frixa, eſt remedium in ſcabie aliisque morbis cutaneis *12
Helleboraſter vid. Helleborus foetidus.
Helleborus albus vid. Veratrum album.
Helleborus caule plerumque unifloro &c. vid. Trollius Europaeus.
Helleborus, foetidus, *300. ejus characteres ib. effectus noxii 301
Helleboros leucos, Aſcis, Atomos, Pignatoraxis, Heraleios, Polyeidos, Anaphytos, nomina graeca veratri albi *266
Helleborus niger ſaniculae folio vid. Aſtrantia.
Helleborus niger tenuifolius vid. Adonis perennis dodecapetalos.
Hellebori nigri radicis loco venenata quaedam radix in vino medicato exhibita lethales edidit effectus 129. ſeq.
— notae characteriſticae ib. 142 effectus diverſi non climati vel ſolo adſcribendi 139
— delineationes optimae 139
Hellebori nigri veri radicis differentia a radice hellebori nigri flore viridi 144. ſeq. adonidis perennis dodecapetali 145. actaeae ſpicatae 146. aſtrantiae 146. ſeq. trollii europaei 147. aconiti napelli 147. ſeq.
Helmet-Flower, yellow, nomen anglicum aconiti lycoctoni *271
— blew 273
Helmont citatur *218. 219. 220. 221. 274. 276.
Helvet citatur *147
Hemervvurz 266

Hem-

Hemlock, Homblocke, Homlocke, nomina anglica conii maculati *238
— Water- *251
Henkel citatur *332. 398
Hepar duplex rariſſime in foetubus bicipitibus invenitur *172
— trimeſtri foetui album ibid.
Hepar novem librarum cum pancreate diſlocato 151
Hepar praemagnum ſubitaneae mortis cauſſa 284
Hepatis abſceſſus per urinam excretus 72
— cultro ſanatus 74. ſeq.
Hepatis abſceſſus lethalis 80. ſeq.
Hepatis ex ſubſtantia abeunt ramuli quidam biliarii ad veſiculam felleam 291
Hepatitis funeſta ab ulcere exſiccato 263
Herbariae rei cognitionis ſumma neceſſitas & utilitas *202
Herbe à la taupe, aux magiciens, aux ſorciers, de demoniaques, du diable, nomina gallica Daturae *211
Herbe aux Gueux, nomen gallicum clematidis *283. 284.
Herbe aux poulx, nomen gallicum pedicularis paluſtris *303
Herbe aux tignes, nomen gallicum hyoſcyami nigri *216
Herbe de St. Chriſtofle *270
Herbſtblume *263
Hermodactyle, nomen belgicum colchici *262
Hernia inteſtini recti *88
Herpes puſtularis ruber *11
Herrenſchwandi remedium contra taeniam ſ. lumbricum latum 20. ſeq.
Heucher citatur *226. 231
Heuermann citatur *144
Highmorus citatur 291
Hildanus citatur 225. 229. *274 275. 276 278. 326.
Hill citatur 189. 193. 194
Hinſchkraut *232
Hippocrates citatur 77. 157. 273 311. *326.
Hiſtoria venenorum vegetabiliumSueviae indigenorum *201
Hoff-Geiſmar, aqua mineralis *106
Hoffmannus (Frid.) citatur 121 206. *53. *295.
— (M.) citatur *318. 319
Hombergii pyrophorus *341
Hominum corpora graviter laedentia venena non ſemper animalibus nocent, & vice verſa *203
Hoppes, wilde, nomen anglicum bryoniae *235
Horſt (Greg.) citatur *226. 229
Hovvndesberry, nomen anglicum ſolani nigri *233
Hoyer citatur *219
Hunervvolff citatur *218. 221. 222. 223. 224.
Humanum caput alabaſtrino cortice tectum 194
Hundshoden *263
Hundskoel *324
Hundskurbis, Hundsreben *235
Hurae crepitantis floris character emendatus 173

Hydatis in hepate 324
Hydrocephalum efficit funiculus umbilicalis circa collum obvolutus *131
Hydrophobia cum morte terminata, absque morsu rabidi animalis orta 110
Hydropiper vid. Polygonum.
Hydrops anasarca liquore nitri fixi discussus 160. differt a leucophlegmatia 162
Hygrometri praestantis confectio 8
Hymenis absque dilaceratione foemina potest impraegnari 232
Hymenis coalitus retentionis mensium caussa 105. sectione sublata 107
Hyoscyami nigri characteres *216. effectus noxii 218. seq.
Hyperici kalmiani floris character emendatus 175
Hypochondriaci mali historia *65 seq. paroxysmorum decursus ib. seq. caussae 67. remedia fere nulla 70
Hypochondriacis & hystericis in morbis caute usurpanda sunt spirituosa 12
Hystericis & hypochondriacis in morbis caute usurpanda sunt spirituosa 12

I.

Iacobaeus citatur *219. 221. 222
Ianin citatur 308
Iaugeon citatur *256
Icteri recens natorum vera caussa 20. seq
Ie laenger je lieber *232
Iecur vid. Hepar.
Igelskolben *211
Ileum intestinum inflictu ungulae equinae disruptum 322
Ilei intestini saccus inconsuetus 9. 10. ejus origo 10
Iliaca passio gravissima abscessu in inguine soluta 163
Imagines ante oculos volitantes in melancholico *91
Imperatus (*Ferr.*) citatur 191
Impetigo pustulosa *11
Infantis bicipitis & bicorporei demonstratio anatomica *129. seq.
Infantis bicipitis ad anteriora connati sectio anatomica *159. seq.
Infantis brachium in partu praeternaturali ex articulatione scapulae avulsum, vulnere postea sanato 294
Infantis, lacte nutricis, venereo morbo affectae, enecati anatome 302
Infantes rhachitici quomodo curandi? 34. seq.
Infantum recens natorum icteri caussa 205. seq.
Inflammatio hepatis vid. Hepatitis.
Inflammatio sanguinea partialis vera *17
Inflammatio serosa *13
Ingber, t cuiscber 32

Inguinis dextri abſceſſu graviſſima paſſio iliaca ſoluta 163
Inſecta ſaepius pulverem florum ſeminalem ab aliis plantis afferunt 96
Inſubriae morbi, Pelagra dicti, hiſtoria 118
Inteſtinum ileum inflictu ungulae equinae diſruptum 322
Inteſtini ilei ſaccus inconſuetus 9. 10. ejus origo 10
Inteſtini recti emphraxis, praecipue a cortice peruviano 221
Inteſtini recti procidentia, vid. Ani procidentia.
— hernia *88
Inteſtinorum & ventriculi ſenſus frigoris ſingularis in foemina febre putrida petechiali laborante 55
Inteſtinorum faeces per penem exoneratae *107
Ionſton (*I. H.*) citatur *258. 259
Iron-Wort, yellow, nomen anglicum aconiti lycoctoni *271
— blew 273
Iunckerus citatur 207
Jungius citatur *258
Iuſquiaume, nomen gallicum hyoſcyami nigri *216

K.

Kaau-Boerhaave citatur 167. *130. 131. 134. 138. 139. 140. 213. 214. 215.
Kaelberkropf, vvilder *259. *bolliger* 260. *berauſchender* 261
Kaempfer citatur *213. 214
Kappenblumen *273
Kaychavvka, nomen bohemicum veratri albi *266
Kazenpeterlein *238
Kedroſtis, nomen graecum bryoniae albae *235
Kelber *238
Kellerhals *317
Kerbelkern *259
Kerkringius citatur *145. 175
Kervel, dulle, nomen belgicum conii maculati *238
Keyſeliz citatur *168
Kircherus citatur 245. 247. 248
Klein citatur 168. *139
Koerbel, vvilder *259
Kokorchiin, nomen hungaricum colchici *263
Kollichen citatur *326
Kramer citatur *213. 214. 244
Krapf (*C.*) citatur *285. 288. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 297. 299. 300.
Kratochvill citatur *265
Krauſe citatur *213
Küchenſchelle *279
Kuevveyſen, nomen belgicum lolii temulenti *206
Kuhvveizen *206
Kulmus citatur *162. 175. 179. 180. 181. 185. 191.
Kunkel citatur *332

L.

Labium leporinum ſingulare & curatu perdifficile ſanatum 223

Lac lunae eſt ſpecies ſtalactitis *103
Lactis nutricis morbo venereo affectae lethalis effectus per anatomen detectus 302. ſeq.
Lactea dantur vaſa naturaliter ex carne oriuntia *143
Lacrymandi pronitas nimia 251
Lacuna citatur *219. 221
Laeſio calvariae vehemens, a praecipitatione ex equo, quinque vicibus trepano ſubjecta 113
Laeuskraut *303. 317
Lambergen citatur *226. 227. 229. 230.
Lancisius citatur 4
Landeccenſes aquae minerales *108
Lange citatur *245. 246. 319
Lantanae, a trifolia & annua diverſae, deſcriptio botanica 173. ſeq.
Lapis Manganenſis *330
Lapidis ſingularis calcarii prope pagum Enzvveyhingen in Ducatu Würtembergiae reperti hiſtoria 66. analyſes chymicae 68. ſeq. natura ſtalactica 71
Lapides quidam, quos recentiores alabaſtri nomine appellaverunt, deſcribuntur 186. ſeq.
Laqueo ſuſpenſus ad vitam revocatus 264. non ad vitam revocati anatome 267
Lardum medicamentum vulnerarium 296
Larva & phalaena boleti deſcribuntur 327
Laryngis vulnus transverſale grave ſanatum 244
Launay d'Hermont citatur *227. 228. 229. 230.
Laureole rouge, nomen gallicum daphnes mezerei *317
Lauſannenſis aqua mineralis *104
Ledelius citatur *267. 268. 269. 307
Lentilius citatur *267. 268. 269. 274.
Lepidium bidentatum deſcribitur 324
Leporinum labium vid. Labium.
Leuckenſis aqua mineralis *104
Leucophlegmatia, quomodo differat ab anaſarca 162
Levret citatur 232. *131
Licetus citatur 317
Lichenes *11. 12
Lichtblume *2 3
Lien in foetu bicipite nullus inventus *175
Ligamentum *Poupartii* eſt propria lacerta ligamentoſa, non ima pars muſculi obliqui externi *132
Lignorum decoctum in lue venerea ſumme efficax 306. ſeq.
Liguſticum peloponneſiacum, quo modo differat a conio maculato? 240. a cicuta viroſa 253
Lilek Wetffy, nomen bohemicum atropae ſ. belladonnae *225
Liliorum character communis *262
Limprecht citatur *244. 245. 246 247. 248.
Linder citatur *209
Linguae ulcus phagaedenicum ſanatum 258

Linnaeus citatur 190. 196. *213 271. 290. 318. 319. 332.
Liquor tingens *Meyeri* *334
Liquoris mineralis anodyni eximia efficacia in febre nervoso-putrida 180. 181. 183
Liquoris *van Swieten* mirabilis virtus in sananda lue venerea 83
Liquore mercuriali *Swietenii* cephalaea venerea sanata *394
Liquore nitri fixi hydrops analarca discussus 160
Lobelius citatur *218. 219. 221. 226. 227. 231.
Lobstein citatur *213. 214. 215
Lochbad, aqua mineralis *105
Lochiorum post partum excretio fere nulla 253
Loeske citatur *146
Loeseke error deridendus 217
Loglio, nomen italicum lolii temulenti *206
Lolii temulenti characteres *206. seq. effectus noxii 208. seq. particulae nocentes sunt magis volaticae quam fixae 210
Loquelae defectus vid. Aphonia.
Lorry citatur *268. 269
Louis citatur 273
Loiverus citatur *131
Lucensium thermarum atmosphaera 1. seq. situs 2. salubritas 7
Ludovici citatur *264
Lülch *206
Lues venerea liquore *van Swieten* sanata 83. seq.
Lues venerea, an panacea mercuriali possit sanari, experientia declarandum *127. conf. Venereus morbus.
Luille, nomen gallicum lolii temulenti *206
Lumbrici intestinorum aphoniae causa 261
Lumbrici lati remedium 20. seq.
Luridae plantae *205. 20. seq.
Lychnites 189
Lygdinum marmor 189
Lympham processus vermiformis continebat *142
Lymphatica dantur vasa naturaliter ex carne oriuntia *143
Lynen *283. 284
Lysimachiae nemorum floris characteres emendati 170

M.

Macbride citatur *264
Maculae ante oculos volitantes in melancholico *91
Maculae rubrae tibiarum *42
Maculae serpiginosae rotundae *11
Maculae surarum coccinei coloris *11. femorum & genuum *12
Madriettes, nomen gallicum aconiti *271. 273.
Maeusleins-Bad, aqua mineralis *103
Magnesia hemisphaeriis continuis *331
— radiata ib.
— solida ib.

Magnesia squamosa ib.
— striata ib.
— textura vitrea ib.
Magnesiae vitriariorum ejusque partis terreae alcalinae chemicum examen *329
— variae denominationes 330. faci es externa 331. loca natalia ibid. gravitas specifica 332. partes constitutivae secundum hypotheses auctorum, & verae 332. 333. seq. 351.
— examen chemicum in igne aperto 333. per destillationem simplicem ib. & adfusa aqua destillata 334. per solutionem in acido vitriolico 334. in acido nitri 335. in aqua regis ib. in acido salis 336. in igne aperto, addito sale tartari 337. hepate sulphuris ibid. nitro depurato 338. in retorta additis floribus salis ammoniaci ib. mercurio sublimato corrosivo 339. cinnabari factitia ib. floribus sulphuris 340. per solutionem in oleo olivarum 341. per vitrificationem cum borace ib. vitro saturni 342. fritta ibid. vitro antimonii hyacinthino ib. vitro arsenici ib.
— terra 343. varii hanc separandi modi ib. seq. experimenta cum illa instituta 345. seq continet partes metallicas 348. non est terra mere calcaria 349. nec aluminosa 350. nec muriatica ib. sed ex alcalina, calcariae proxime accedente & muriatica composita 351
Malum hypochondriacum, vid. Hypochondriacum malum.
Mammae tumor extracto cicutae sanatus *393
Mammae cancro exulcerato cataplasma e radicibus dauci sativi sine optato effectu applicatum 156
Mammarum cancri exulcerati foetorem arcendi modus 235
Mammarum triplex tumorum & ulcerum forma 159
Mammillarium cerebri processuum cum naribus connexio 293
Mandragoras, nomen graecum atropae s. belladonnae *225
Manetti citatur *226. 228
Manganensis lapis *330
Manget citatur *138
Mappius citatur *131. 226. 227 231.
Maranta citatur *245
Margus citatur *264
Marggraf citatur *345. 351
Marquet citatur *219. 224
Marina aqua vid. Aqua marina.
Marinorum molluscorum Norvegiae descriptio 48. seq.
Marmor onychites 187. lygdinum 189 phengites 193
Martin (*de St.*) citatur *22. 228. 229 230.
Martine citatur *247. 248
Martius citatur *258

Mata lovo giallo, nomen hiſpanicum aconiti lycoctoni *271
Materiae medicae ſolicita cognitio pharmacopoeo inprimis incumbit 130. 141
Matrix vid. Vterus.
Matthiolus citatur *218. 219. 221. 226. 227. 228. 231. 244. 245. 247. 248. 249. 258. 274. 275. 276. 277. 278. 280. 318. 323.
Mausvveizen *206
Maxillae dolor periodicus cortice peruviano ſublatus 25
Maxillae fiſſura in labio leporino intra quorundam menſium ſpatium plane aboletur 228
Maxillae inferioris exoſtoſis ſectione ablata 27. ſeq.
Maxillae utriusque ſpaſmus cortice peruviano ſublatus 24
Mead citatur 21
Meekel citatur *147. 183
Medica materia vid. Materia medica.
Medicus citatur 174
Meditationes de quibusdam differentiis ſexus, cum in animalibus, tum in vegetabilibus, & de variis admodum notabilibus, quae in poſterioribus vario tempore contingunt, mutationibus, ſexum ſpectantibus 90. ſeq.
Meerſpizen 51
Meimendro, nomen hiſpanicum hyoſcyami nigri *216
Melanoceraſos, nomen graecum atropae ſ. belladonnae *225
Melle (*a*) Demonſtratio anatomica foetus bicipitis & bicorporei *129. ſeq.
Melothros, nomen graecum bryoniae albae *235
Membranoſa concrementa cum purulentis ſputis ejecta 165
Membrum virile vid. Penis.
Memoria *Io. Bapt. Morgagni* *409. ſeq.
Memoria *Io. Sebaſt. Albrecht* *435. ſeq.
Menſium cum continuo defectu graviditas, eorumque praeternaturalis poſt partum excretio 253
Menſium retentionis cauſſa, hymenis coalitus 105 ſectione ſublata 107
Mercatus citatur *330
Mercklinus (*Ge. Abr.*) citatur 76
Mercurialis Panacea vid. Panacea mercurialis.
Mercurialis, perennis, *33 ejus characteres ib. ſeq. effectus noxii 324
Mercurialia foeminis non tam ſalutaria ſunt, quam maribus 306
Mercurii ſublimati corroſivi mirabilis virtus in lue venerea 83
Mercurii ſublimati effectus in craſſamentum & ſerum ſanguinis *366. ſeq.
Mercurium dulcem rite parandi & examinandi modus 210
Merk, breitblätterichter, *250

Merzenblume *281
Meſue citatur *268. 269
Metallicas res ad calcis ſtatum redigendi varii modi, calcium metallicarum, vitrorum ex his paratorum, nec non iſtarum in vitrum album. inſerti colores deſcribuntur 199. ſeq.
Metallis phoſphori acidum ineſt 202
Meyer citatur *334. 380. 401
Meyeri liquor tingens *334
Mezereum vid. Daphne.
Miliaria exanthemata rubra lymphatica *3. purulenta *6. alba *8. parva opaca *10.
Miller citatur *218. 219. 221. 222. 223. 226. 229. 230. 248. 258. 274. 277.
Mineralium aquarum quarundam Helvetiae & adjacentium regionum qualitates *103
Molluſcorum marinorum Norvegiae deſcriptio 48. ſeq.
Molybdaenum tritura atra *330
Mondmilch, vid. Lac lunae.
Monro citatur 213. *134
Monſtrum, quid? *161
Monſtra, quomodo oriantur *193
Monſtri bicipitis & bicorporei demonſtratio anatomica *129. ſeq.
Montamy citatur 351. 352
Moraeus citatur *274. 275. 277. 278.
Morbillosa febre nervorum morbus ſublatus 20
Morbi nervorum ſpecies per purgantia intempeſtive data excitata 12. ſeq.
Morbi nervoſo-putridi hiſtoria 175. ſeq.
Morbi puſtularis multiformis hiſtoria *3. ſeq. tabula ſynchrona 29. ſeq.
Morborum quorundam mortisque cauſſae, non ita praeviſae, anatome detectae 322
Morbis periodicis omnibus medetur cortex peruvianus 23
Morbona *Ritteri* *1. conf. *Ritteri.*
Morell, great, nomen anglicum atropae ſ. belladonnae *225
Morell, pety, nomen anglicum ſolani nigri *233
Morella erba, nomen italicum ſolani nigri *233
Morelle, nomen gallicum ſolani dulcamarae *232. & ſolani nigri 233
Morelle marine, nomen gallicum atropae ſ. belladonnae *225
Morgagni (*Io. Bapt.*) Memoria *409. ſeq.
Morgagnus citatur 42. 43. 45. 46. 149. 169. 209. 287. 311. 315 316. 317 320. *132. 138. 141. 142.
Mors inopinata ab arteriae phrenicae ruptura diuturnum vomitum conſecuta 36 ſeq.
Mortis & morborum quorundam cauſſae, non ita praeviſae, per anatomen detectae 322

Mortis ſubitaneae mulieris gravidae hiſtoria 277
Morſus rabidi animalis non ſola cauſſa hydrophobiae 110
Mort au chien, Tue chien, nomina gallica colchici *263
Moſchi eximia efficacia in febre nervoſo-putrida 180. 183
Moſchi virtute ſpaſmus abdominalis victus 364
Moulin (*du*) citatur * 227. 228. 229. 230.
Mulieris gravidae ſubitaneae mortis hiſtoria 277
Muralt citatur * 139. 268. 269. 295.
Murmur, ſpecies ſtrepitus aurium *92
Murray citatur 167. 172
Murtenbad, aqua mineralis *107
Muſchenbroeck citatur *332
Mutationes variae admodum notabiles, ſexum ſpectantes, in vegetabilibus recenſentur 90. ſeq.
Myrrhe, nomen graecum chaerophylli ſylveſtris *259
Myrrhis vid. Chaerophyllum.
Myrrhis, quomodo differat a conio maculato. *242

N.

Nachtſchade, nomen belgicum ſolani nigri *233
Nachtſchade, dollmakende, nomen belgicum atropae ſ. belladonnae *225
Nachtſchatten *232. 233
Nachtſchatten, toedlicher *225
Nackende Hure *263
Napellus vid. Aconitum.
Naphthae aceti praeparatio 278
Nappenkaerfel 261
Nardus, vvilder *321
Narium cum proceſſibus cerebri mammillaribus connexio 293
Narrenkappen *273
Naſcaye, groote, nomen belgicum atropae ſ. belladonnae *225
Navier citatur *219. 222
Nervoſo-putridi morbi hiſtoria 175. ſeq.
Nervus guſtatorius ad cutem occipitis reflexus *197
Nervorum morbus per purgantia excitatus 12. ſeq.
Neumann citatur *267
Neuxa, nomen hiſpanicum bryoniae *235
Nezarchaſen, Nezargieſan, nomina maurica bryoniae albae *235
Nicolai citatur *236
Nieſvvurz, ſtinkende *300
Nieſvvurz, vveiſſe 266
Nigellae arvenſis floris character emendatus 172
Nightſhade, deadly, nomen anglicum atropae ſ. belladonnae *225
Nightſhade, vvoody, nomen anglicum ſolani dulcamarae *232
common *233
Nitri acidum in uſus internos non eſt vocandum *383
Nitri fixi liquore hydrops anaſarca diſcuſſus 160

Nivis externus usus in vomitu & obstructione alvi 209
Noix metelle, nomen gallicum Daturae *21
Norca blanca, nomen hispanicum bryoniae *235
Norenus citatur *137
Norvegiae molluscorum marinorum descriptio 48 seq.
Nueza blanca, nomen hispanicum bryoniae *235
Nutricis, morbo venereo affectae, lac contagiosum & lethiferum 302

O.

Observatio anatomico-physiologica, de foetu bicipite ad anteriora connato *159. seq.
Observationes & experimenta septicorum & antisepticorum indolem illustrantia *353
Obstructio alvi frequens haemorrhoidum causa *42
— intestini recti, praecipue a cortice peruviano 221
Occipitis ad cutem reflexus nervus gustatorius *197
Oculi utriusque amavrosis perfecta electricitate discussa 62
Oculis obvolitantes maculae in melancholico *91
Ocun, nomen bohemicum colchici *263
Odontalgia periodica cortice peruviano sublata 25
Oenanthe crocata, quomodo differat a conio maculato *241 a cicuta virosa. 252
Oenanthe fistulosa s. aquatica, quomodo differat a conio maculato? *240. a cicuta virosa 252
Omentum quarto mense in foetu incipit apparere *176
Ophiostaphylos, nomen graecum bryoniae albae *235
Opii extracti effectus in crassamentum & serum sanguinis *366
Opium pollidet vim antisepticam *38
Oreillette, nomen gallicum asari *321
Origo foetus bicipitis *193
Oris interni ulcera *46
— tortura curata *236
Orthogyon, nomen graecum atropae s. belladonnae *225
Osterblume *279
Otto citatur *137
Oxyacantha vid. Crataegus.

P.

Palpitationis cordis historia *70. seq. causae ib. seq. remedia 72
Palucci citatur 233
Panaceae mercurialis praeparatio *126. usus & modus applicandi in gonorrhoea virulenta 127 in scabie 128. in pustulis faciei frontis ibid. usus internus experientia declarandus 127
Pancreas dislocatum cum hepate novem librarum 151
Pancreata saepe plura in uno corpore *139

Papekullekens, nomen belgicum ari *322
Paraeus citatur *130
Paralyſis ſiniſtri faciei lateris ſanata 236
Paraphrenitis lethalis cum hydrophobia, absque morſu rabidi animalis orta, conjuncta 110
Partu in praeternaturali infantis brachium ex articulatione ſcapulae avulſum, vulnere poſtea ſanato 294
Paſſeflower, nomen anglicum anemones pulſatillae *279
Paſſio iliaca graviſſima abſceſſu in inguine ſoluta 163
Patouillart citatur *218. 221. 222.
Pauli (*Sim.*) citatur 290. *218. 220. 221. 224. 226. 327. 231. 245. 246. 247. 248. 249. 318.
Pechlinus citatur 159
Pedicularis, paluſtris *303. ejus characteres ib. effectus noxii 304
Pedis ulcus exſiccatum hepatitidis funeſtae cauſſa 263
Pelagrae, morbi Inſubriae, hiſtoria 118
Penis cornutus ſanatus 233
— inteſtinorum faecibus exitum concedens *197
— carcinomatoſi felix amputatio 229
Pene juxta ſynchondroſin oſſium pubis fere amputato, foemina tamen impraegnari poteſt 232
Pene cancroſo reſecto ambae arteriae iſchio-cavernoſae ſunt ligandae 233
Pennier citatur *326
Pentadryon, nomen graecum atropae ſ. belladonnae *228
Peplos, nomen graecum euphorbiae *308
Periodicis morbis omnibus medetur cortex peruvianus 23
Perſicaria vid. Polygonum. Hydropiper.
Perſil d'âne, nomen gallicum chaerophylli ſylveſtris *259
Peruvianus cortex, vid. Cortex peruvianus.
Petechiali putrida febre laboranti foeminae ſenſus frigoris in ventriculo & inteſtinis 55
Peterlein, Glanz-, Hunds-, Kazen-, Kroeten-, ſtinkender, toller *257
Petersvvaldau aqua mineralis *107
Petitus citatur *131. 248. 318.
Petrefactis acutis punctis obſeſſus uterus & placenta gravidae 273
Petroſelinum, quomodo a conio maculato differat? 244. a cicuta viroſa 254
Petroſelini devaſtator forficula 219. ſeq.
Peyer (*I. C.*) citatur *265
Peylavienſis dyſenteria epidemica *35. ſeq.
Pfaffenhoedlein *288
Pfaffenpint *322
Pfauenkraut *319

Pfer-

Pferſingkraut, ſcharfes *319
Phagaedenicum linguae ulcus ſanatum 253
Phalaena & larva boleti deſcribuntur 327
Phalli boleti duae ſpecies deſcribuntur *107
Pharmacopoeo incumbit diſtincta materiae medicae cognitio 130. 141.
Phellandrium aquaticum, quomodo differat a conio maculato? *241. a cicuta viroſa 252
Phengites marmor 189
Phlyctaenae *13. 14
Phoſphori acidum metallis ineſt 202
Phrenica arteria vid Arteria.
Phtirion, nomen graecum pedicularis paluſtris *303
Pilevvort, nomen anglicum *ranunculi* ficariae *287
Pituita glutinoſa cauſſa ſenſus frigoris ſingularis in ventriculo & inteſtinis 58
Picyuſa, nomen graecum euphorbiae eſulae *313
Placenta & uterus gravidae acutis petrefactis punctis obſeſſa 273
Planchon citatur *219. 221. 222. 223. 224.
Plantae luridae *205. 210. ſeq.
Plantarum & animalium quaedam differentiae ſexus, illarumque variae notabiles mutationes, ſexum ſpectantes, recenſentur 90. ſeq.
Plantarum venenatarum Sueviae indigenarum hiſtoria *201
Platnerus citatur *131
Plinius citatur 187. 188. 189. 192. 193. *268. 327.
Pluviae decidentis quantitas, quomodo determinanda? 8
Poerner citatur *399
Polyandrarum plantarum character communis *279
Polygonum, Hydropiper, *19. ejus characteres 329. effectus noxii ib.
Polypoſa multiformia concrementa intra tracheas generari poſſunt 167. 169
Pomme epineuſe, nomen gallicum Daturae *211
Populage, nomen gallicum calthae paluſtris *302
Porta (*l. B.*) citatur *227
Poſed, nomen bohemicum bryoniae albae *235
Pott citatur 190. 192. 193
— refutatur *333. 336
Poupartii ligamentum eſt propria lacerta ligamentoſa, non ima pars muſculi obliqui externi *132
Praeparatio ad variolas, per acescentium ciborum eſum, vana 346
Pranginenſis aqua mineralis *104
Pringle citatur 75
Proceſſus vermiformis nulla valvula praeditus *142. nihil faecum ſed lympham continebat ib.
Proceſſuum cerebri mammillarium cum naribus connexio 293

Procidentia ani vid. Ani procidentia.
Prolapsus ani vid. Ani procidentia.
Pronitas lacrymandi nimia 251
Pruni spinosae characteres emendati 172
Psilothros, nomen graecum bryoniae albae *235
Puerperis animi affectus non raro lethales 301
Pulmonum de substantia an aliquid exspui possit? 168
Pulsatilla vid. Anemone.
Pulsus, species strepitus aurium *92
Pulveris *d'Ailhaud* noxii effectus 12. seq.
Pulvis contra strumas *386
Purgantium in nervis mobilibus damnum 12. seq.
Purpura mineralis Cassii 201
— vera alba absterſione destruitur *10
— spuria rubra *3. purulenta *6. alba *8. parva opaca *10
Purpurae chronicae historia *94 seq.
Purulentis cum sputis membranosa concrementa ejecta 165
Pustulae faciei frontis panacea mercuriali sanantur *128
— miliares parvae, inflammatoriae, prurientes, opacae *10
Pustularis morbi multiformis historia *3. seq. tabula synchroma 29. seq.
Putredini resistentia vid. Antiseptica.
Putrida petechiali febre laboranti foeminae sensus frigoris in ventriculo & intestinis 55
Putridi nervosi morbi historia 175. seq.
Pyrophorus *Hombergii* *341

Q.

Quelmalz citatur *175
Quer citatur *274

R.

Rabidi animalis morsus non sola causa hydrophobiae 110
Radix dauci sativi vid. Dauci sativi.
— enulae raspata, butyro frixa, est remedium in scabie aliisque morbis cutaneis *12
— hellebori nigri vid. Helleborí nigri.
Radicis cujusdam venenatae, pro radice hellebori nigri venditatae, effectus lethales 129. & noxii 136
Rajus citatur *248. 249
Ranunculus, flammula, *285 ejus characteres 286. effectus noxii ib.
— Lingua, 28 . characteres & effectus noxii 287
— Ficaria 287. characteres & effectus noxii 288
— sceleratus 288. ejus characteres 289. effectus noxii 290. seq.

Ranunculus, bulbosus 292. ejus characteres ib. effectus noxii 293
— acris 294. ejus characteres ib. effectus noxii 295
— arvensis 295. ejus characteres 296. effectus noxii 297
— aconitifolius 298. ejus characteres ibid. effectus noxii 299
— aquatilis 299. ejus characteres. ib. effectus noxii ib.
Ranunculus flore globoso vid. Trollius europaeus.
— nemorosus vid. Anemone.
Ranunculorum characteres communes *285
Rasvvurzel *235
Rau citatur *227. 228. 229. 230
Rauchapfel *211
Raulin citatur *218
Reichard (*Io. Iac.*) citatur 171
Reimann citatur *255. 256. 267. 268. 269.
Reinerz, aqua mineralis *110
Reismann citatur *245. 247. 248. 249.
Reneaume citatur *248. 249
Renum & vesicae morbis nocent acidulae 254
Repositio procidentiae ani *90
Respirationis impedimenta varia 282. seq.
Reveille-matin de vignes, nomen gallicum euphorbiae *308 310. 314.
Rhachitidem curandi methodus 33 seq.
Rhagades surarum *79.
Rhazes citatur *268
Rhevmatica materia retrocedens amavroseos causa 62
Rindsvvurzel *216
Ringentium plantarum character communis *302
Riolanus citatur *135
Ritter citatur 190. *274. 318. 319. 323.
Ritteri (*Io. Iac.*) Morbona *1. exanthemata miliaria rubra, lymphatica 3. purulenta 6. alba 8. rheumatismus 4. haemorrhoides 4. 7. sensus tumoris absque tumore 6. fissurae suris cruentae 7. 9. pustulae miliares parvae opacae 10. maculae suris coccinei coloris 11. crustulae lenticulares natibus 12. vesiculae sphaericae s. phlyctaenae 13. seq. tuberculum cuti conicum absque dolore nascens, rubens 17. furunculi ib. seq. febris cruribus topica 21. abscessus majores s. apostemata 25. dysenteria 35. seq. febris tertiana regularis 40. maculae tibiarum rubrae 42. abscessus gingivarum & ulcera oris interni 47. seq. morborum minorum ordo chronologicus 53. seq. hypochondriaci mali historia 66. seq. palpitationis cordis historia 70. seq. haemorrhoidum fluxus historia 72. seq. ani procidentia 88. maculae ante oculos volitantes 90. strepitus aurium 92. morbi pustularis reliquiae 94.

94. aegritudines ultra morbonae terminum adficientes 99.
casus fortuiti 100
Rivière citatur *258. 259
Rivinus citatur *162
Rodel, brauner *303
Rödder citatur *267. 269 274. 276. 278.
Roederer citatur *131. 143.
Roi (du) citatur 175
Rollensis aqua mineralis *104
Roloff citatur *175
Roncallus Parolinus citatur *226 229.
Rondeletius citatur *245
Roris collectio & analysis, quomodo instituenda? 4
— putrefacti vermiculi 5
Rosalinae maculae *42
Rosenstein citatur 205. 206
Ruckerus citatur *234. 235
Rueff (de) citatur *219. 224.
Ruptura arteriae phrenicae, diuturnum vomitum secuta, inopinatae mortis caussa 36
Rusius citatur 290
Rust citatur *317
Rustelius citatur 85
Rusticorum *Insubriae* morbus, Pelagra dictus 118. hactenus insanabilis 125
Ruysschius citatur 167. 233. *139 144.

S.

Saccus intestini ilei inconsuetus 9 10. ejus origo 10
Säubonen *216
Säukraut *225
Safranblume, wvilde *263
Saffron, wild, nomen anglicum colchici *262
Sage citatur 201. 202
Saginae procumbentis floris characteres emendati 170
Salices saepius formam suam mutant 102
Salis acidum in usus internos non est vocandum *383
Sanguifera vasa divulsa parum aut nihil cruoris emittunt 297
Sanguinis crassamenti & seri mutationes a succo baccarum belladonnae, conii maculati, mercurio sublimato, conchis praeparatis, opio *360. 366. 368.
Santorinus citatur *136
Saviardus citatur 77. 225
Sauvages citatur *213. 214. 215. 218. 220. 221. 222. 223. 224. 226. 228. 229. 230.
Saxonia (H. a.) citatur *274. 276.
Scabies panacea mercuriali sanatur *128
— retropulsa spasmi vesicae urinariae lethalis caussa 125
— — innumeros alios produxit morbos ib. seq.
Scabiei aliorumque morborum cutaneorum remedium est radix enulae raspata, butyro frixa *12
Scaliger citatur *218. 219. 223. 248.
Scandix cerefolium & odorata, quomodo differant a conio maculato?

culato? *242. a cicuta virosa 254
Scapulae ex articulatione brachium infantis in partu praeternaturali avulsum, vulnere postea sanato 294
Scharbockskraut *283
Scharff citatur *290. 291. 292
Scharschmid citatur 74. *143. 161.
Scheere *259
Scheerling, nomen belgicum conii maculati *238
Scheilam, nomen persicum lolii temulenti *206
Scheisvvurz *235
Schenckius citatur 169. *218. 221.
Scheuchzerus citatur 190
Schierling *238. 251. 257
Schinzenacensis aqua mineralis *105
Schlafbeere *225
Schlafkraut *216. 225
Schlangenbad vid. Serpentariae thermae.
Schlottenblume *279
Schmucker citatur 78
Schnittvveyher, aqua mineralis *104
Schober (*Gottl.*) citatur *209
Schoelkraut, kleines *288
Schreber citatur *261
Schroeck citatur *226. 227. 228. 229. 230. 231.
Schroeder citatur *267. 268.
Schulze citatur *218. 220. 221. 222.
Schulzius citatur 148
Schurigius citatur *146
Schuster citatur *226. 228. 229.
Schwalbacensis aqua mineralis *106
Schvvalbenvvurz *288
Schvvarzkraut, aehrenförmiges *270
Schvvefelbrunn aqua mineralis comitatus Glacensis *108
Schvvencke citatur *255. 256
Schvvindelhaber *206
Scopoli citatur 175. 191. 315. *226. 230. 274. 306. 307.
Scrophulaire, petite, nomen gallicum ranunculi ficariae *287
Scrophularum medela 35. seq.
Scrophulares tumores interni 85. lethales 87
Scybala dura frequens haemorrhoidum causa *42
Seckingensis aqua mineralis *105. seq.
Sectio anatomica conf. Anatome.
— — foetus bicipitis ad anteriora connati *159
— — foetus bicipitis & bicorporei *129. seq.
— — militis ex scabie retropulsa mortui 127
— — viri & foeminae vino medicato, quod radix venenata loco radicis hellebori nigri ingrediebatur, interemtorum 131. 134
Sedes procidua *88
Seeger citatur *208. 209
Seidelbast *317
Selenitis gravitas specifica determinata 198

Selinon hydaticon, nomen graecum ranunculi ſceleratí *289
Senac citatur 74. *137. 140. 183
Septicorum & antiſepticorum indolem illuſtrantia experimenta & obſervationes *353
— uſus in morbis 379. 384
Serpentariae thermae infuſum Thee Boey gratiſſimi ſaporis praebent *105
— in morbis a fibra rigida egregii effectus ib.
Serre (*la*) citatur *219. 221
Serum ſanguinis vid. Sanguinis ſerum.
Severinus (*M. A.*) citatur 76
Sexus differentiae quaedam, cum in animalibus, tum in vegetabilibus, variaeque in his notabiles mutationes, ſexum ſpectantes, recenſentur 90
Sibilus, ſpecies ſtrepitus aurium *92
Sicaran, nomen arabicum hyoſcyami nigri *216
Sicelius citatur *226. 228. 229. 230.
Siegesbeck citatur *265. 307
Silicis analyſis chimica *397. partes conſtitutivae 408
Sinopaeus citatur *134
Sium latifolium *249. ejus characteres 250. effectus noxii ib.
— conf. Cicuta viroſa.
Sium latifolium & nodiflorum, quomodo differant a cicuta viroſa 253. 254.
Slevogt citatur *223
Sloane citatur *219. 221. 222. 223. 324. 327.
Smellie citatur *131. 161
Soden, aqua minerális *106
Solanum (Dulcamara) *231. ejus characteres 232. effectus noxii 233
— foetidum vid. Datura.
— furioſum, manicum, melanoceraſos, vid. Atropa.
— nigrum *233. ejus characteres ib. ſeq. effectus noxii 234.
Solatro, nomen italicum ſolani dulcamarae *231
— — nigri 233
Solingen citatur *146
Sommerlolch *06
Sorbi aucupariae floris character emendatus 172
Spaſmus abdominalis virtute moſchi victus 364
— cynicus curatus 236
— maxillae utriusque cortice peruviano ſublatus 24
— veſicae urinariae lethalis ex ſcabie retropulſa 125
Specificum *Herrenſchwandi* remedium contra taeniam 22
Speerkraut, *kleines* *285. 286
Sphondylii characteres emendati 170
Spigelius citatur *182
Spindler citatur *219
Spinnblume *263
Spirenſe ebur foſſile 367
Spirituoſa in hypochondriacis & hyſtericis caute uſurpanda 12
Splen in foetu bicipite nullus inventus *175

Spongia,

Spongia, aqua gelida ebria, copiose fluentibus haemorrhoidibus, ano sine effectu & noxa applicata *74
Springfeld citatur *170
Spurge, petty *308
— Sou- 310
— broadleaved 312
— little 313. nomina anglica euphorbiarum.
Sputis cum purulentis membranosa concrementa ejecta 165
St. Amand aqua mineralis *10
Stachelnus *211
Stalactitae singularis prope pagum Enzweyhingen in Ducatu Würtembergiae reperti historia 66. analyses chimicae 68. seq.
Stalpart van der Wiel citatur *326. 327
Stechapfel *211. blaeulichter 215
Steinmilch *309. 315
Stellariae nemorum floris characteres emendati 171
Sternblümlein, *Gold-*, *Schmalz-* *288
Stickwurz, weisse *235
Stisser citatur *219. 222. 223. 224.
Stoerck citatur *212. 215. 245. 246. 262. 264. 265. 273. 274. 275. 276. 280. 295.
Storch citatur *218
Stramonium vid. Datura.
Strepitus aurium chronici historia *92. seq. species ib. nec coryza nec sudore ulla diminutio 93
Strumarum medela 85
— remedium *386
Strychnon cepajon, nomen graecum solani nigri *235
— glycypicron, nomen graecum solani dulcamarae *231
— manicon, persion, perisson, peritton, nomina graeca atropae s. belladonnae *224
Stupiditas summa ex scabie retropulsa 126
Sturmhut, gelber *271
— blauer 273
Sucaram, nomen arabicum conii maculati s. cicutae *238
Sudamina *9
Sudore strepitus aurium non diminutus *93
Sueviae indigenorum venenorum vegetabilium historia *201
Sulzer citatur *209
Superfoetationis exemplum 109
Suppositorium & clysmata ore reddita 207
Suppositoriorum roborantium in nimio haemorrhoidum fluxu effectus *6
Surarum maculae coccinei coloris *1
— rhagades seu fissurae cruentae *10
Suspensus laqueo ad vitam revocatus 264. non ad vitam revocati anatome 267
Susurrus, species strepitus aurium *92
Sutura cruenta haud indigent vulnera asperae arteriae 248
Suyt-bitter, nomen anglicum solani dulcamarae *232

Swieten (*van*) citatur 121. 167 169. 316. *13. 318.
— liquore lues venerea sanata 83. seq.
Sydenham citatur 123.

T.

Taeniae seu vermis lati remedium 20. seq.
Tartari emetici effectus in expellendis lumbricis 262.
Taubensus *292.
Tenesmus Signum dysenteriae pathognomonicum *38.
Teplyvvodensis aqua mineralis *109.
Terminthus *18.
Terra magnesiae vitriariorum vid. Magnesia vitriariorum.
Terrae calcareae obstructiones glandularum solvunt *386.
Terrea alcalina pars magnesiae vitriariorum chemice examinata *329.
Testacea obstructiones glandularum solvunt *386.
Tethya s. Tethyum vid. Ascidia intestinalis.
Teucrii Chamaepitydis floris character emendatus 175.
Teufelsabbeis *298.
Teufelsaugen *216.
Teufelsbeere *225.
Teufelskirschen *235.
Teufelsmilch *308.
Teufelspeterlein *238.
Thalius citatur *226. 230. 231.
Thee Boey cum thermis serpentariis infusum praebet gratissimi saporis *105.
Theophrastus citatur 188. *245. 275. 278.
Thermarum & acidularum quarundam Helvetiae & adjacentium regionum qualitates *103.
— Lucensium atmosphaera vid. Lucensium thermarum.
— Wisbadensium noxius in haemorrhoidario effectus *75.
Thermae serpentariae vid. Serpentariae thermae.
Thiming citatur *130.
Thoracum usus pro infantibus rhachiticis noxius 35.
Thorn-apple, nomen anglicum Daturae *211.
Threlkeld citatur *218. 301.
Threvon, nomen graecum atropae s. belladonnae *224.
Thrygron, nomen graecum atropae s. belladonnae *224.
Thymelaea vid. Daphne.
Thyroidearum cartilaginum, arteriarum & musculorum vulnus transversale grave sanatum 245.
Tibiarum maculae rubrae *42.
Tilemannus citatur *143.
Tinea vid. Phalaena.
Tingens liquor *Meyeri* *334.
Tinnitus, species strepitus aurium *92.
Tissot citatur *18.
Tithymalus conf. Euphorbia.

Tithymalorum characteres communes *305. effectus noxii 306
Tobhaber *206
Toeberich *206
Tollbeere, Tollkirſchen, Tollwurz *225
Tollkoerſel *238
Tollkorn *206
Tollkraut *211. 216. 225
Tortura oris curata 236
Tournefort citatur *280
Tragus citatur 227. 230. 319
Trepano quinque vicibus ſubjecta laeſio calvariae vehemens 113
Trepſendorf *206
Treſpe *206
Treſpdorp *206
Trewvius citatur *146. 174. 255. 258. 274. 277.
Treyzen *206
Triticum temulentum vid. Lolium temulentum.
Trollblume *298
Trollii europaei radicis differentia a radice hellebori nigri veri 147
Tropanegger citatur *214
Tuberculum cuti conicum, absque dolore naſcens, rubens *17
Tue-loup, jaune, nomen gallicum aconiti lycoctoni *271
— bleu 273
Tütloſen, nomen belgicum colchici *262
Tulipae ſylveſtris floris characteres emendati 171
Tulpius citatur 167. 168. *130. 146.
Tumores ſcrophulares interni 85. lethales 87
Tumorum & ulcerum in mammis triplex forma 159
Turundis abſceſſus in fiſtulas deviant *2
Tvvalk, nomen belgicum lolii temulenti *201i

V.

Valentini citatur *209. 216. 227. 228. 229. 230. 231. 274. 275. 276. 278.
Valvula nulla praeditus proceſſus vermiformis *142
Varenius citatur 4
Varices vaſorum lymphaticorum *13
Variolas antecedens praeparatio, per aceſcentium ciborum eſum, vana 346
Variolis externe applicatae camphorae effectus 34. ſeq.
Varioloſi morbi graviſſimi hiſtoria 342 ſeq.
Vaſa dantur lymphatica & lactea naturaliter ex carne oriuntia *143
— ſanguifera divulſa parum aut nihil cruoris emittunt 297
Vaſorum felleorum varia conformatio 293
Vegetabilium & animalium quaedam differentiae ſexus, illorumque variae notabiles mu-

tationes, sexum spectantes, recensentur 90. seq.
Vegetabilium venenorum Sueviae indigenorum historia *201
Veladro, Helleboro bianco, nomina italica veratri albi *266
Velenho & Velenno, nomina hispanica hyoscyami nigri *216
Venae emulgentes non in sinum renis sed superficiei externae se insinuantes *148
Venae sectionis in haemorrhoidario noxius effectus & innoxia intermissio *77
Venena, quid? *203
— animalium corpora graviter laedentia, non semper hominibus nocent, & vice versa ibid.
Venenorum vegetabilium Sueviae indigenorum historia *201
—— in corpus humanum agendi modus & effectus *204. seq.
Venenatae cujusdam radicis, loco radicis hellebori nigri adhibitae, effectus lethales 129. & noxii 136
Venerea lues conf. Lues.
— — an panacea mercuriali sanari possit, experientia declarandum *127
Venereo morbo affectae nutricis lac contagiosum & lethiferum 302
Venereis in morbis summe efficax decoctum lignorum 306. seq.
Ventriculi & intestinorum sensus frigoris singularis in foemina febre putrida petechiali laborante 55
— ulcera ex lacte nutricis, venereo morbo affectae, orta 314
Ventriculos duos plerumque habent foetus bicipites *176
Ventriculus bilocularis 10
— cordis sinister absque caussa manifesta ruptus 212
Veratrum album *266. ejus characteres 266. effectus noxii 267. seq.
— nigrum vid. Helleborus niger.
Verde gambre blanco, Yerva de ballestе, nomina hispanica veratri albi *266
Verenae fons Badensis calidissimus *105
Vermiculi in rore putrefacto 5
Vermiformis processus vid. Processus.
Vermes intestinorum aphoniae caussa 261
Vermis lati remedium 20. seq.
Vesica urinaria in foetu subinde continet urinam, alias nullam *178
Vesicae urinariae spasmus lethalis ex scabie retropulsa 125.
— carnositas morbosa 128
— calculi pragrandes per urethram excreti 249
— & renum morbis nocent acidulae 254

Veſicula fellea ramulos quosdam ex hepatis ſubſtantia recipit 291
Veslingius citatur *143
Vidus Vidius citatur *326. 327
Vine, wild, nomen anglicum bryoniae *235
— — nomen anglicum clematidis vitalbae *283
Vini medicati, quod radix quaedam venenata loco radicis hellebori nigri ingrediebatur, effectus lethales 129. ſeq.
Vinum rubrum cauſſa haemorrhoidum *74
Viorne, nomen gallicum clematidis vitalbae *283
Virgins-Bower, nomen anglicum clematidis flammulae *284
Viridet citatur *274. 277
Virulentae gonorrhoeae medetur panacea mercurialis *127
Vit de chien, Vit de prêtre, nomina gallica ari *322
Vite bianca, nomen italicum bryoniae *235
— ſalvatica, nomen italicum ſolani dulcamarae *231
Vitiligo ſerpens *11
Vitriariorum magneſia vid. Magneſia.
Vitrum album diaphanum, quibus coloribus a calcibus metallicis tingatur 199. ſeq.
Vitra varia ex magneſia vitriariorum cum aliis corporibus facta 341. ſeq.
Vitrorum e calcibus metallicis paratorum colores deſcribuntur 199. ſeq.
Vlbersdorffenſis aqua mineralis *108
Vlcus exſiccatum hepatitidis funeſtae cauſſa 263
— faciei cancroſum cataplaſmate e radicibus dauci ſativi ſanatum 155
— linguae phagaedenicum ſanatum 258
Vlcera in ventriculo ex lacte nutricis, venereo morbo affectae, orta 314
— oris interni *46. ſeq.
Vlcerum & tumorum in mammis triplex forma 159
Vmbilicalis funiculus, circa collum obvolutus, hydrocephalum efficit *131
Vnguentum ſulphuratum *8
Vnguenti enulae deſcriptio *97
Vnzer citatur 209
Vocis defectus vid. Aphonia.
Vogel citatur 191. *306. 307
Vogel (*Zach.*) citatur 225. 228. 232. 309.
Vomica rupta & ſanata 184. ſeq.
Vomitus cum obſtructione alvi nivis externo uſu ſanatus 209
Vomitum diuturnum ſecuta arteriae phrenicae ruptura, inopinatae mortis cauſſa 36. ſeq.
Vomitu clyſmata & ſuppoſitorium reddita 207

Vrachus in adultis apertus & urinam continens visus *133. ut & in foetu 137
— in foetu apertus *137
Vrethra excreti calculi vesicae praegrandes 249
Vrethrae exulceratio ab acrimonia seri urinarii curata 259
Vrinae ab acrimonia orta urethrae exulceratio curata 259
Vrinaria vesica, vid. Vesica.
Vrinarias per vias abscessus hepatis excretus 72
Vterus & placenta gravidae acutis petrefactis punctis obsessa 273
Vteri defectus plenarius 105
Vulnus laryngis transversale grave sanatum 244. non opus habet sutura cruenta 248
Vulnera lardo sanantur 296

W.

Wagner citatur *226. 227. 228. 230. 231.
Wald-Anemone, - *Haenlein*, - *Hanenfus*, *vveisser* *281
— gelbe 282
Waldglöklein, - *Schelle* *304
Waldrebe, *steigende* *283
— *brennende* 284
Walkenbaum *225
Wallerius citatur 189. 352
Waltherus citatur 74
Walther (*C. L.*) citatur *224
Walther (*F. A.*) citatur *178
Warmbrunn s. *Warmbad*, aqua mineralis prope *Hirschbergam* *109
Warthonus citatur 85
Wassereppich *250. 89
Wassermerk *250
Wasserpastinak *250
Wasserpeterlein *250
Wasserschierling *251
Wasserpfeffer *319
Watereype, nomen belgicum sii latifolii *249. cicutae virosae 251
Waterpeper, nomen anglicum polygoni hydropiperis *319
Water-parsnep, great, nomen anglicum sii latifolii *249
Watson citatur *247. 248
Weckerus citatur 317
Wedelius (*G. W.*) citatur *218 219. 220. 221. 222. 224. 319. 321.
Weissenburgensis aqua mineralis *103
Weitbrecht citatur *132. 136
Wepfer citatur *218. 220. 221. 223. 226. 234. 245. 251. 252. 255. 256. 257. 267. 269. 274. 275. 276.
Westendorff (*Io. Christ.*) citatur 239

Weyherpeterlein *250
Whytte citatur *245. 247
Wiegleb (*Io. Christian.*) Disquisitio chimica de silice *397
Wierus citatur *209. 226. 229
Wilhelmi citatur *262
Willichius citatur 171. 173
Willisius citatur *219. 274. 277. 278.
Winde, groote, nomen belgicum solani dulcamarae *232
Windflovver, yellovv, nomen anglicum anemones ranunculoidis *282
Winslovv citatur *132. 133. 134. 135. 141. 143. 144. 146.
Winter citatur *268. 269
Wisbadensis aqua mineralis *106
Wisbadensium thermarum noxius in haemorrhoidario effectus *75
Wolfartus citatur 190
Wolff citatur *247. 248
Wolfsbayne, yellovv, nomen anglicum aconiti lycoctoni *271
— blevv 273
Wolfskirschen *225
Wolfsmilch *312. 313. 315
Wolfsvvortel, gele *271. 273
Wolfsvvurz, gelbe *271
— blaue 273
Woltersdorff citatur 190
Womeg, nomen bohemicum aconiti lycoctoni *271
Woodvvardus citatur 190
Wrisbergius citatur *144
Wurgerling *238
Wutbeere *225
Wuterich *238. 251
Wyngaarde, vvilde, nomen belgicum bryoniae albae *235

Y.

Yerva mora, nomen hispanicum solani nigri *233
— — major, nomen hispanicum atropae s. belladonnae *225
Yoio, nomen hispanicum lolii temulenti *206
Yvraye & Yvroye, nomina gallica lolii temulenti *206
Yvray, nomen anglicum lolii temulenti *206

Z.

Zaffaranc bastardo, salvatico, nomina italica colchici *262
Zaunrebe, Zaunrübe *235
Zehrvvurz *322
Zeitlosen *263

Zep-Zolo, nomen hungaricum solani nigri *233
Ziegerkraut *238
Ziegeunerkraut *216
Zimmermann citatur *226. 229. 230.
Zinniae pauciflorae & multiflorae characteres emendati 172. seq.
Zinnius citatur 172
Zittvver, vvilder *235
Zizania, nomen hispanicum lolii temulenti *206
Zizanie, nomen gallicum lolii temulenti *206
Zizanion, nomen graecum lolii temulenti *206
Zuberus (*Christ.*) citatur 128
Zucca salvatica, nomen italicum bryoniae albae *235
Zvvinger citatur 276. *5. 11. 12. 13. 25. 95.

Fig. 3. ad Obs. XXIII. pag. 118.



Fig. 1.



ad Obs. VII. pag. 33.

Fig. 2.



Fig. 1 ad Observ. XXXV. pag. 194. Fig. 2



Fig. 1.

ad Observ: XLIII pag. 223.



Fig. 2.



ad Observ. XLIV. pag. 229.

Fig. 1.

Fig. 2.

ad Observ. XLIV. pag. 234.

Fig. 1.

Fig. 3.

ad Observ. XLIX. pag. 249.

Fig. 2.

Fig 2.

Fig 3.

ad Observ. LXVI.
pag. 324.

Fig. 1

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 4.

ad Observ. LXVII.
pag. 327.

ad Observ. LXVIII.
pag. 335. 336.

Fig. 3.

ad Observ. LXXI. pag. 367.



Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 4.



Fig. 1.



Fig. 3.



Fig. 2.



Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 7



Fig. 8.

Fig. 11.

Fig. 12.

Fig. 6.



Fig. 9

Fig 10.

Fig. 1.



Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 4.